COLLECTANEA ARCHIVI VATICANI
27/1

PONTIFICIO COMITATO DI SCIENZE STORICHE

ATTI E DOCUMENTI
3/1

AMERICA PONTIFICIA

PRIMI SAECULI EVANGELIZATIONIS
1493-1592


DOCUMENTA PONTIFICIA
EX REGISTRIS ET MINUTIS PRAESERTIM
IN ARCHIVO SECRETO VATICANO EXISTENTIBUS

collegit, edidit
JOSEF METZLER

MANDATU PONTIFICII COMITATUS
DE SCIENTIIS HISTORICIS



LIBRERIA EDITRICE VATICANA
CITTÀ DEL VATICANO
1991



ISBN 88-209-1699-1.

PRAEFATIO

Evangelizatio Americae novum aperuit caput historiae missionum. Nunc enim annuntiatio evangelii universalis evasit. Nunc nuntius Christi Salvatoris revera usque ad ultimum terrae pervenit, quo ut eum deferrent Christus ipse apostolis suis eorumque successoribus mandaverat.

Mens quidem et finis huius editionis est demonstrare partem activam studiumque continuum Summorum Pontificum in mundo evangelizando, quem populi eurasiani, quibus privilegium divinum evangelizationis primariae contigerat, «novum» habebant, ope documentorum quae in Archivo Secreto Vaticano de primo saeculo propagationis fidei in America reperiuntur. Originalia sane exemplaria huiusmodi documentorum maxima ex parte non iam prostant vel saltem ignota sunt aut in archivis mundi universi dispersa. In Archivo Vaticano econtra plurimorum documentorum, quae ad rem faciunt, textus in regesta transcripti vel minutae servatae sunt, id est conceptorum textuum primae compositiones. Istis igitur haec editio quam maxime innititur. Anteriores vero quae sint unius vel alterius documenti editiones pariter indicantur. Documentorum iterum cognitorum, quorum nec transcriptio in regesta Archivi — quippe quae ob causas historicas completa iam non sint; desunt v.g. de pontificatu Alexandri VI 122 volumina, ex pontificatu Iulii II 123 volumina, ex pontificatu Leonis X 97 volumina, etc. —, nec minuta praesto est, editiones appositae adhibitae sunt. Ita viri docti textus ad invicem comparare valent.

In primis quae ad novum mundum referuntur scriptis pontificiis notatur fidei propagationem studium maximum Summi Pontificis esse, *nostris praesertim temporibus*. Alexander VI reges hispanicos et lusitanos hortabatur omnia prorsus suscipere ut fides catholica in terris recenter repertis propagaretur, *ut fides catholica et christiana religio nostris praesertim temporibus exaltetur ac ubilibet amplietur et dilatetur* (*Inter cetera* 3.V.1493); *ut colatur et veneretur Altissimus* (*Eximiae devotionis* 16.XI.1501); Iulius II vero eos admonebat curam adhibere *ut fides catholica plantetur et plantata dilatetur* (*Illius fulciti praesidio* 15.XI.1504) et *ut falsis et perniciosis ritibus extirpatis vera religio plantetur* (*Universalis Ecclesiae* 28.VI.1508).

Romani Pontifices regnis Hispaniae et Lusitaniae licentiam ad insulas terrasque novi mundi occupandas solummodo dederunt, *ut no-*

men Salvatoris nostri in partibus illis facile introduceretur (*Inter cetera* 3.V.1493). Ex hac tantum causa concessa est «investitura» in *omnes et singulas terras et insulas sic cognitas quae sub dominio actuali temporali aliquorum dominorum christianorum constitutae non sint* (*ibid.*). Atque ista tantum ratione intelligendi sunt termini seu verba «donamus, concedimus et assignamus», quae attentis modis propriis iuris feudalis mediae aetatis (quae vocatur) interpretari oportet. Finis unicus illius «investiturae» erat, *incolas et habitatores ad colendum Redemptorem nostrum et fidem catholicam profitendam reducere* (*Inter cetera* 4.V.1493).

Alexander VI regi et reginae hispanicis strictissime mandavit *in virtute sanctae obedientiae ut ad terras firmas et insulas praedictas viros probos et Deum timentes doctos peritos et expertos ad instruendum incolas et habitatores praefatos in fide catholica et bonis moribus imbuendum destinare debeatis* (*ibid.*).

P. Bernardus Boil, Superior primorum missionariorum, qui anno 1493 in Americam mittebantur, necnon hi ipsi mandatum receperunt, *ut inibi verbum Dei praedicetis et seminetis ac incolas et habitatores insularum et terrarum qui fidei nostrae cognitionem non habent, ad fidem ipsam ac religionem christianam reducatis et in mandatis Domini eos ambulare doceatis et instruatis* (*Piis fidelium* 25.VI.1493).

Secundum primas notitias, ut Alexander VI scribebat, innumerae ibi gentes in statu naturali degunt, sed pacifice simul vivunt et si instruantur, boni christiani erunt. Sub excommunicationis poena prohibuit, ne mercaturae vel lucri causa quis Americam adiret (*Inter cetera* 4.V.1493); atque idcirco tantum regibus hispanicis et lusitanis patronatum missionum largitus est, id est privilegium pro sedibus episcopalibus et beneficiis ecclesiasticis viros aptos ipsisque gratos praesentandi, semper vero sub condicione ac modo, *ut vera fides plantetur*, ad fidem igitur propagandam atque Ecclesias locales fundandas (*Universalis Ecclesiae* 25.VI.1508).

Pius V eam rem postea clarissime et verbis explicitis enuntiavit: Praedecessores suos coronae hispanicae occupationem terrarum mundi novi ideo tantum permisisse, ut evangelium ibi gentibus annuntiaretur; propagationem fidei christianae et cognitionem veri Dei atque infinitae eius misericordiae maximum esse desiderium pastorale Pontificis; se hac de causa regem obsecrare, ut in nominandis gubernatoribus pro novo mundo ad id animadvertat, ut isti fines ad effectum adduci possint; finem principalem esse conversionem infidelium, quapropter apti tantum missionarii eo mittendi sunt, qui non solum praedicatione, sed etiam et praesertim propria vivendi ratione religioni christianae testimonium reddant; auctoritates locales obligatas esse

sustentationis convenientis missionariorum curam habere. Pontifex deinde sufficientem urget instructionem catechumenorum et christianorum neoconversorum in veritatibus fidei. Institutionem catecheticam scribit ita temperandam esse, ut qui interesse debeant, longius ire non teneantur; propterea Indos, qui in montibus dispersi vivunt, contrahendos et in pagis collocandos esse. Ubi vero christiani ac pagani in eodem loco una vivunt, cavendum est, ne pagani cultui deorum falsorum indulgeant neve christiani in propria religione exercenda impediantur. Ubi christiani antiqui et novi una vivunt, christiani antiqui ceteris exempla vitae christianae sunto, ut isti in fide confirmentur et infideles ad conversionem incitentur. Curandum praeterea est ut pagani legem naturalem observent et unitatem matrimonii colant. Auctoritatibus civilibus Pontifex iustam commendat administrationem; stricte prohibet quodvis genus servitutis. Ii tantum Indi pro servitio assumi possunt, qui se ipsi offerunt istique iusta ratione remunerandi sunt. Officiales civiles, qui ista non observant, iudicio tradendi sunt. Tandem Pontifex instat de bona et christiana vivendi ratione advenarum hispanicorum, quippe quod sit auxilium missionis efficacissimum. Prohibet ne cum vi et armis contra Indos procedatur (*Instructio pro Nuntio in Hispania*).

Alii quoque Pontifices praecepta pastoralia similia dederunt. Paulus III regulas edidit pro baptismo pluribus simul ministrando, quibus statuitur: *Catechismus et Exorcismus fiat singulis*; sal vero et saliva, impositio vestimenti albi et traditio candelae non nisi duobus vel tribus e baptizandis praebenda sunt, dum singuli cum sacro chrismate in fronte inungendi sunt; oleo catechumenorum viri, pueri ac puellae prope cor ungendi sunt, mulieres autem adultae *in parte quam ratio pudicitiae demonstrabit* (*Altitudo divini consilii* 1.VI.1537).

Baptismos plurimorum simul ministratos esse etiam e litteris patescit, quas Pius V archiepiscopo urbis *México* scripsit, qui Pontifici nuntiaverat se eodem die 5000 personas baptizavisse (*Lectis litteris tuis* 2.IV.1570). Studium quidem, quo hic praesertim Pontifex propagationem fidei prosequebatur, ex aliis eius litteris archiepiscopo urbis *México* missis apparet. Iam initio sui pontificatus enim istum rogavit, ut ipsum de rebus ecclesiasticis tam in propria dioecesi quam in dioecesibus suffraganeis occurrentibus semper certiorem redderet, et si auxilio indigeret, id ipsi fidenter exponeret (*Credimus allatas esse* 7.X.1587).

Ex omnibus istis igitur aliisque numerosis documentis evincitur Summos Pontifices ex animo participes fuisse operis propagationis fidei in mundo novo, quam aliqui ex ipsis cum discidio fidei in Europa

conferentes veluti compensationem habebant christianorum, qui in regionibus europaeis ab Ecclesia catholica avulsi erant.

Editio horum documentorum pontificiorum e primo saeculo evangelizationis Americae, ut iam dictum est, principaliter innititur seriebus regestorum ac voluminibus minutarum Archivi Vaticani. Solummodo ubi ista pro documentis magni momenti deficiunt, editiones anteriores pro nostra editione textuum pro fundamento adhibitae sunt, ad quas etiam pro aliis documentis, quantum fieri potest, referimus. Mens erat ut imago quam fidissima textuum redderetur, qui in regestis et minutis continentur. Ita exempli gratia modus scribendi «e» loco «ae» retentus est. Contra usus litterae «u» pro «v» et vicissim, qui in manuscriptis occurrit, ad morem hodiernum correctus est. Interpunctio quoque in manuscriptis adhibita quantum fieri potest retenta ac raro tantum lectionis facilioris gratia in formam modernam redacta est. In primis solummodo documentis formulae signo «etc.» notatae et omissae, ut «et apostolicam benedictionem», in uncis angulosis suppletae sunt. Verba in manuscriptis quae legi non poterant, uncis [...] indicata sunt. Notae ad minimum reductae sunt ac generatim nonnisi momenta vitalia personarum, praecipue quidem episcoporum, quantum explorari poterant, exhibent. Studia comparata textuum regestorum ac minutarum necnon diversarum editionum cum originalibus cognitis doctis relinquuntur investigatoribus, cum marginem huius editionis excederent et editionem ipsam distulissent, nec cum mente eorum convenirent qui editionem mandaverunt.

Editor gratias quam magnas agit Reverendo P. Amando Reuter, OMI, qui partem summariorum conscripsit necnon Praefationem et Introductionem libri in linguam latinam vertit; doctae dominae Giuseppina Roselli, quae plurima documenta e regestis et minutarum voluminibus saepe haud facilibus ad legendum magna cum peritia et competentia transcripsit, exempla typographica correxit, indicesque composuit; clarissimo moderatori Instituti Historici Austriaci, qui dominae Dr. Annae Mur Raurell de Rudolf concessit ut ulteriora documenta pro hac editione transcriberet, necnon Reverendo P. Michaeli Batllori, SJ, pro revisione nominum propriorum ac verborum geographicorum et pro consiliis eius sapientissimis.

INTRODUCTIO

Documenta pontificia legenti et perscrutanti, quae de evangelizatione gentium «mundi novi» agunt, duo prae aliis argumenta in conspectum veniunt, quae partem a Summis Pontificibus in opere propagationis fidei assumptam eorumque curam de novis christianis velut per speculum referunt: temperatio ecclesiastica seu ratio qua Ecclesiae locales in territoriis recenter repertis instructae et ordinatae sunt, et normae missionariae et pastorales ab ipsis editae.

1. *De Ecclesiis novellis in America constitutis*

Ad constitutionem vel ordinationem ecclesiasticam quod attinet, Summi Pontifices terras novas non ut regiones marginales orbis catholici habebant, sed eas ab initio ut partes integrantes Ecclesiae universalis tractabant. Ita factum est ut multae institutiones ecclesiasticae ex Europa in partes transmarinas «exportarentur». Contra defectum adaptationis ergo, qui ab auctoribus nostrae aetatis exprobrari solet, consilium stat omnino positivum integrationis immediatae in Ecclesiam universam. Locutiones *ut in reliqua christianitate* etiam atque etiam in scriptis pontificiis saeculi XVI occurrunt, quae Americam respiciunt [1]. Ad quaestiones missionarias autem et pastorales quod attinet, Pontifices Romani sese promptos monstrabant ad accommodationes concedendas, quae cum condicionibus culturalibus incolarum Indorum Americae convenirent, ut mox videbitur.

Iam tempore maturo, decem annis ab initio evangelizationis vix elapsis, Iulius II (1503-1513) hierarchiam ecclesiasticam erexit in insula *Hispaniola,* quae in documentis aliquando *Nova Hispania* appellatur, quod quidem nomen postea regione Mexicana reperta istam terram designabat. Erectio hierarchiae ecclesiasticae in *Hispaniola* signum est intentionis Pontificis Apostolorum sequendo exemplum statim Ecclesias locales sui iuris constituendi. Tria oppida insulae in sedes episcopales erexit, quarum unam metropolitanam statuit. Constitutio hierarchiae efficere debebat, ut Ecclesia in aliqua regione plantaretur atque incolae ad religionem christianam adducerentur. Propter-

---

[1] Cfr. *Illius fulciti praesidio* 15.XI.1504.

ea oppida praecipua et maiora regionis erectione in civitates cum sede episcopi ibi residentis honoranda erant, certitudine simul addita quod in iisdem semper personae idoneae praesto essent ad fidem propagandam et ministerium pastorale exercendum. Munus vero ipsius episcopi Summus Pontifex in documento erectionis ita describit: verbum Dei praedicare, conversos in fide instruere et docere, baptizare, sacramenta ministrare et omnia pro divino cultu necessaria et pro animarum salute expedientia providere. Sedes metropolitana erecta est in oppido *Hyaguata* (*Yaguate*), dioeceses suffraganeae erant *Maguá* et *Baynúa* (*Bainoá*) [2]. Episcopi pro novis dioecesibus nominati sunt.

Corona autem hispanica recusavit novas dioeceses agnoscere, quamvis ipsa, ut Pontifex expressis verbis in illo documento notat erectionem commendavisset. Artius enim vinculum appetebat inter Ecclesiam in America constituendam et hierarchiam hispanicam et patronatum missionarium super illam requirebat, cuius sane in bulla erectionis nulla prorsus mentio facta erat. Pontifex voluntati coronae hispanicae cedere debuit. In celebri bulla *Universalis Ecclesiae regimini*, cuius tamen neque exemplum originale nec textus in regestis vaticanis neve in voluminibus minutarum servatus est, quae autem in pluribus exemplaribus saeculi XVI exstat, amplum patronatum missionarium coronae hispanicae concessit atque accurate circumscripsit. Celebre hoc documentum non tantum concedit ius regium praesentationis ad omnes ecclesias cathedrales in *Hispaniola* erectas, cui nomen *Nova Hispania* datur, aut ad eas quae in aliis terris repertis erigendae sunt, eamque praesentationem non solum ad omnia beneficia ecclesiastica ac loca pia extendit, sed etiam originem historicam et naturam intimam patronatus universalis declarat, quae istam praesentationem insignire debet. Describitur enim tamquam pars et consequentia iuris exclusivi patronatus, quod regi competebat ut fundatori et sustentatori omnium Ecclesiarum indianarum, quemadmodum hic patronatus ipse derivatur a Sacro bello Cruce signatorum evangelico, quo Corona dispendiis ingentibus operam dedit ut ad effectum adduceretur verbum Scripturarum: *In omnem terram exivit sonus eorum* [3].

Pontifex prohibet, *quod nulla Ecclesia, Monasteria aut locus pius, tam in praedictis jam acquisitis, quam aliis acquirendis Insulis et locis, absque eorundem Ferdinandi Regis et Joannae Reginae ac Regum Castellae et Legionis pro tempore existentium consensu, erigi aut fundari possint; et cum expediat eidem Regi, Ecclesiis et Monasteriis praefatis, personas fidas et gratas et acceptas praeesse, jus Pa-*

[2] *Ibidem.*

[3] *Leturia,* Relaciones I 15.

tronatus et praesentandi personas idoneas, tam ad Metropolitanas, quam alias cathedrales Ecclesias erectas, et pro tempore erigendas, et alia quaecumque beneficia ecclesiastica, infra annum a die illorum vacationis computandum, et ad inferiora Beneficia Ordinariis locorum, et in eventu quod praefati Ordinarii infra decem dies absque legitima causa instituere recusaverint, quicumque alius Episcopus, ad eorum requisitionem, praesentatum huiusmodi instituere possit, concedi summopere cupiunt [4].

Amplus iste patronatus missionum statim consequentiam negativam pro Ecclesia americana habuit. Velox enim constitutio hierarchiae in mundo novo inde ab hoc tempore omnino subiecta erat dominationi Hispaniae, *congruenter cum conceptione absorbente et ad centrum conversa, qua Ferdinandus Catholicus Ecclesiam Indiarum ordinare satagebat* [5].

Primum Summus Pontifex tres dioeceses supprimere et in loca cum nomine hispanico transferre debebat. Causa vero huius translationis dioecesium, quae regi parceret, ut videbatur, haec indicata est: *propter earum incommoditatem et situationem geographicam*. Novae sedes cathedrales erecta sunt oppida *Santo Domingo* et *Concepción de la Vega,* utrumque in insula *Hispaniola*, atque *San Juan* in insula *Puerto Rico*, quae tamquam dioeceses suffraganeae sedi metropolitanae Hispalensi in Hispania (*Sevilla*) subordinantur. Episcopi vero pro oppidis *Hyaguata* (*Yaguate*) *Maguá* et *Baynúa* (*Bainoá*) iam nominati ad novas sedes transferuntur. Hac quidem occasione Pontifex iterum affirmabat officium esse episcoporum propagationi fidei operam dare, sacramenta ministrare, religiosos in proprias dioeceses advocare et cultum divinum quocumque modo augere [6].

Regula quidem ac consilium pro tempore futuro erat: quotquot bullas fundationis sedium episcopalium novimus, ab ipsa sua origine per montes, vulgo *Andes* nuncupatos, et per saecula amplissimum illum patronatum expandunt et ulterius determinant, quem semel pro semper et modo composito Iulius II anno 1508 contulisset. Immo, aliquando in illis bullis sententiae similes reperiuntur quam eae quae prostant in ipsis quae se referunt exempli gratia ad Ecclesias de *Arequipa* et *Guamanga,* ubi legitur ius patronatus et praesentandi per Sedem Apostolicam *quacumque ratione derogari non posse, nec derogatum censeri, nisi ipsius [Regis] ... ad hoc expressus accedat assensus, et si aliter quoquo modo derogetur, derogationem huiusmodi cum in-*

---

[4] *Universalis Ecclesiae regimini* 28.VII.1508.

[5] *Leturia,* Relaciones I 65.

[6] *Romanus Pontifex* 8.VIII.1511.

de secutis nullius roboris, efficaciae et momenti fore [7].

Similes condiciones occurrunt in bulla erectionis dioecesis lusitanae *Sancti Salvatoris* seu *Bahia* in Brasilia, ubi habetur: ... *cuius ius patronatus regum ex veris et totalibus fundatione et donatione sequitur ac regi et magistro seu administratori praedictis ita competere ac si illud eis ratione vere et totalis donationis competeret, illique etiam per Sedem eandem derogari non posse nec derogatum censeri nisi Ioannis Regis ac magistri seu administratoris pro tempore existentium praedictorum ad id expressus accedat assensus* [8].

Cum 330 annis postea Congregatio «de Propaganda Fide», cui nunc nomen est «pro Gentium Evangelizatione», anno quidem 1622 erecta, quae pro fidei propagatione competens est, patronatum lusitanum in India derogare cuperet, Gregorius XVI (1831-1846) theologos et canonistas inquirere iussit, utrum Summus Pontifex illis formulis attentis ius haberet patronatum missionum derogare etiam sine assensu patroni, immo et illo invito. Responsum unanime affirmativum erat quia nullus Pontifex nomine successorum suorum iurisdictionem pontificiam super Ecclesiam universalem vel super partem eiusdem renuntiare possit. Nihilominus illae formulae vel condiciones in conspectu patronorum momentum iuridicum habebant [9].

Archiepiscopum oppidi *Hyaguata* (*Yaguate*) Papa Petrum de Deza nominaverat, qui anno 1511, cum hierarchia ecclesiastica nova ratione ordinabatur, episcopus dioecesis *Concepción de la Vega* in insula *Santo Domingo* factus est. Garcías de Padilla, OFM, primum episcopus in *Baynúa* (*Bainoá*) episcopus pro *Santo Domingo* electus est. Sed antequam a Hispania abiret, Alexandrum Gerardinum successorem obtinuit. Ut statim hoc loco anticipetur: anno 1528 *Concepción* et *Santo Domingo* in unam dioecesim coniuncta sunt [10]. Sed cum anno 1546 *Santo Domingo* in sedem archiepiscopalem erigeretur [11], iterum seiuncta sunt et *Concepción de la Vega* dioecesis suffraganea sedis metropolitanae *Santo Domingo* constituta est. Episcopum dioecesis *San Juan* in *Puerto Rico* — quae ideo etiam Ecclesia Portoricensis

---

[7] *Leturia,* Relaciones I 16-17.

[8] *Super specula* 15.II.1551.

[9] De sensu ac vi huisce et similium formularum cfr. Positionem in Archivo Congregationis «de Propaganda Fide»: Acta vol. 200, 1837, fol. 299r-454v, necnon *J. Metzler,* Die Missionen der Kongregation in Indien mit besonderer Berücksichtigung der Patronatsfrage. In: Sacrae Congregationis de Propaganda Fide Memoria Rerum III/1, 388-435, praesertim 402-404.

[10] *Apostolatus officium* 23.XII.1528.

[11] *Super universas* 12.II.1546.

nuncupatur — Papa Alfonsum Manso nominavit, qui primum episcopus dioecesis *Maguá* iterum suppressae electus erat.

Successor Iulii II, Papa Leo X (1513-1521) erectionem dioecesium ea ratione continuabat, qua «Conquista» hispanica novas insulas et terras reperiebat et occupabat. Iam primo anno pontificatus dioecesim *Sanctae Mariae del Antigua (Nuestra Señora de la Antigua)* vel *Darién* ad ripam orientalem sinus de *Urabé* erexit atque Ioannem de Quevedo, OFM, episcopum ibidem instituit [12]. Quod non solum cum ipso noviter electo communicavit, sed etiam cum fidelibus novae civitatis episcopalis et etiam, uti par erat, cum Corona hispanica, quae erectionem dioecesis proposuerat. Haec ceteroquin tempore postero consuetudo notabilis facta est: Summus Pontifex nominationem novi episcopi semper etiam cum fidelibus, clero, capitulo cathedrali, omnibus incolis et universis vasallis Ecclesiae N.N. communicat.

Dioecesis *Sanctae Mariae de la Antigua* in provincia *Nova Baetica* seu Neogranatensi paulo post iterum supprimitur, sede ut videtur ad Ecclesiam Panamensem translata, quae etiam *Castellae Aureae* appellabatur propter aurum copiosum in illa regione inventum [13].

Anno 1517 Leo X dioecesim in insula *Fernandina,* postea *Cuba* nuncupata, sub patronatu sancti Iacobi erexit. Ecclesia cathedralis in *Baracoa* sita erat, ubi prima ecclesia in insula constructa erat. Primus episcopus electus est Ioannes de Ubita (de Witte), OP, qui anno 1522 ecclesiam cathedralem et ipsam sedem episcopalem propter aerem non salubrem in *Baracoa* et incommodum situm geographicum eius loci in oppidum *Santiago* transtulit, quod Hadrianus VI (1522-1523) confirmavit [14]. Anno 1525 de Witte officio suo renuntiavit cui Michael Ramírez successit.

Anno 1517 Hispani primum ad *Yucatán* appulerunt, ad regionem *tantae magnitudinis, ut adhuc incertum sit, an Insula aut Terra continens sit,* et ubi *plura millia hominum habitant rationis et humanitatis capaces,* qui iudicio primorum Hispanorum eo appulsorum facile converterentur. Activitas missionaria a Franciscanis ordinata et directa statim incepta est. Post annum hic iam plures paroeciae exstabant, ita ut Leo X die 24 ianuarii 1519 in Civitate Carolensi (*Cucumel*) ecclesiam cathedralem sub invocatione Beatae Mariae de Remediis erexerit, ubi *magnus numerus fidelium de praesenti habitat,* et episcopo Carolensi opus evangelizationis et curam animarum commen-

[12] *Pastoralis officii* 28.VIII. 1513.
[13] Cfr. Hierarchia Catholica III 268.
[14] *Regiminis Ecclesiae* 28.IV.1522.

davit [15].Quod quidem inceptum tum ad effectum adduci non potuit.

Apparuit autem quod *Yucatán* non insula erat, sed terra continens et iam a nonnullis mundus novus appellabatur, in quo diversae provinciae existebant, quarum incolae *humanitatis ac religionis capaces* erant, et quarum una *Terra Florida* nominabatur, quae *magna et insignia oppida* habet. In civitate, quae *Terra Florida* appellatur, *ecclesia paroecialis Sancti Iacobi existit,* quam Summus Pontifex die 5 decembris anni 1520 in ecclesiam cathedralem erexit sub invocatione sancti Iacobi. In eadem civitate et dioecesi *Terrae Floridae* Summus Pontifex insuper dignitates, canonicatus aliaque beneficia instituit et episcopo insignia, privilegia, immunitates et gratias confert, quibus episcopi in Hispania gaudent [16]. Primus episcopus Georgius de Priego nominatus est [17]. Etiam huius dioecesis erectio tunc perfici non potuit et dioecesis *Yucatán* anno 1561 modo definito constituta est.

Praeter translationem sedis episcopalis a *Baracoa* in civitatem sancti Iacobi de *Cuba* supra memoratam, incepta pro ordinatione ecclesiastica in Indiis Occidentalibus tempore brevis pontificatus Hadriani VI (1522-1523) nota non sunt. Attamen hic Papa celebrem bullam *Exponi nobis* emisit, in qua omnimodam auctoritatem pontificiam superioribus missionariorum Franciscanorum largitur, quapropter haec etiam *Omnimoda* nominabatur [18]. Amplissimae facultates autem in ea contentae missionariis pro iis tantum regionibus concedebantur, ubi sedes episcopales nondum erectae erant.

In decursu agminis (*Conquista*) Hispani in *Yucatán* novam et maioris momenti civitatem *Tenuxtitlán* (*Tenochtitlán*) nuncupatam reperierunt et occupaverunt, in quam ecclesiam cathedralem Carolensem sub invocatione Beatae Mariae de Remediis transtulerunt. Episcopus et imperator a Papa rogabant, ut translationem approbaret, quod Clemens VII (1523-1534) etiam concessit [19]. Imperatori vero Papa ius tribuit limites dioecesis definire. Iste die 19 septembris anni 1526 sedem episcopalem ad *Tlaxcala* transtulit et Pontifici Iulianum Garcés, OP, episcopum proposuit, qui etiam nominatus est, sed anno 1539 ad Ecclesiam Angelopolitanam (*Puebla de los Angeles*) translatus est, in quam sedes episcopalis a *Tlaxcala* translata erat.

Anno 1519 expugnatores hispanici (*Conquistadores*) primum usque ad terram Mexicanam proruperunt, quod momentum supre-

---

[15] *Sacri Apostolatus ministerio* 24.I.1519.

[16] *Super specula* 5.XII.1520.

[17] *Regimini universalis Ecclesiae* 5.XII.1520.

[18] *Exponi nobis* 9.V.1522.

[19] *Devotionis tuae probata sinceritas* 13.X.1525.

mum in historia hispanica de America constituit. Versus finem anni 1527 imperator Carolus V a Papa petiit ut dioecesim in *México* erigeret et simul Ioannem de Zumárraga episcopum proposuit. Erectio autem dioecesis nonnisi anno 1530 effecta est *in Indiis maris Tyrrheni Indici,* in civitate, quae *longum et latissimum et distinctum territorium circum circa* habet et ubi *ultra viginta millia vicinorum et incolarum, quorum plures fideles noviter conversi* habitant, ubi ecclesiae, monasteria et pia loca erecta sunt. Ecclesia parochialis sub invocatione Sanctae Mariae Virginis in ecclesiam cathedralem erecta est. Ius patronatus super novam dioecesim imperatori conceditur, quae suffraganea Ecclesiae Metropolitanae Hispalensis (*Sevilla*) constituitur [20].

Primus episcopus Mexicanus nominatus est Ioannes de Zumárraga, OFM, vi iuris patronatus a Carolo Imperatore praesentatus [21]. Occasione huius nominationis mendum occurrit eo quod novus episcopus in bulla nominationis et simili modo in documentis posterioribus Franciscus Zumárraga appellabatur, ita ut in America dubia exorta essent de validitate eorum; quare ad mentes dubitantium sedandas nova bulla pontificia, in qua mendum correctum erat, emissa est [22], qua dubia sublata sunt.

Iam ante erectionem dioecesis Mexicanae Clemens VII Corona hispanica urgente aliam rem susceperat, quae si eo tempore perfecta esset, momentum congruens pro ulteriore constitutione vel dispositione propria Ecclesiae americanae habere potuisset, sensu quidem Hispaniae. Rex enim hispanicus, iam cum primae dioeceses in Indiis Occidentalibus erectae essent, in mente habebat nominationem patriarchae pro Indiis Occidentalibus a Papa perficiendam, qui in aula regia Matritensi rationibus Ecclesiae americanae consulere debuisset. Eiusdem sedes prope aulam regiam unionem novae Ecclesiae cum Ecclesia-matre hispanica et cum regno hispanico artiorem reddere praestituta erat, ut videtur. Hac quidem ratione rex die 26 iulii 1513 ad proprium legatum in Urbe scripsit. Ob rationes autem non cognitas Clemens VII demum die 21 maii 1524 primum patriarcham nominavit Antonio de Rojas, cui die 2 septembris 1530, die quidem erectionis dioecesis Mexicanae, successor datus est Gabriel Merino, archiepiscopus Barensis, qui simul episcopus dioecesis Giennensis (*Jaén*) in Hispania et a rege pro munere patriarchae propositus erat [23].

In Consistorio secreto diei 26 februarii 1531 Clemens VII Corona

[20] *Sacri Apostolatus ministerio* 2.IX.1530.
[21] *Apostolatus officium* 2.IX.1530.
[22] *Dudum siquidem* 19.IV.1532.
[23] *Licet alias felicis* 30.X.1530.

hispanica rogante aliam itidem dioecesim in America erexit, et quidem in *Nicaragua*. Modum sequendo usitatum imperatori privilegia patronatus contulit necnon facultatem limites novae dioecesis definiendi et sanctum eius patronum eligendi. Didacus Álvarez de Osorio primus episcopus electus est, qui autem ordinationem episcopalem denique die 5 decembris 1536 suscipere potuit et paulo post mortuus est. Papa ipsi permiserat ut iam antequam documenta nominationis expedita essent possessionem dioecesis caperet et necessitatibus spiritualibus fidelium subveniret [24]. Sed bullae erectionis et nominationis Clementis VII *superveniente eius obitu* non iam datae erant. Paulus III (1534-1549) vero die 3 novembris 1534 erectionem dioecesis confirmavit, quae nunc nomen Legionensis (*León de Nicaragua*) obtinuit, sub invocatione Gloriosae Dei Genitricis semper Virginis Mariae [25].

Die 21 iunii 1531 etiam provincia *Venezuela* dioecesim obtinuit, quin Papa statueret, ubi episcopus residere debeat. Rodericus de Bastidas, decanus ecclesiae in *Santo Domingo,* primus episcopus constitutus est [26]. Iterum imperatori facultas data est *imponendi nomen ecclesiae sic erectae et declarandi, assignandi limites terrarum et locorum pro dioecesi dictae ecclesiae.* Supplemento vero in Consistorio diei 30 augusti eiusdem anni deciso oppidum *Coro* ad oram septentrionalem regionis *Venezuela* situm sedes episcopi statutum est. Imperatori autem libertas concessa est intra biennium cum consensu Summi Pontificis aliam sedem episcopalem eligendi. Hoc iure Carolus V usus est, quatenus dioecesis mox nomen *Venezuela* vel *Caracas* obtinuit [27]; Rodericus de Bastidas autem anno 1541 episcopus Portoricensis factus est.

Paucis mensibus post, die 6 septembris 1531, secuta est erectio dioecesis Truxillensis in Honduria, ubi *aliqui fideles morantur*, et quidem sub invocatione Salvatoris Dei [28]. Ista civitas *Truxillo* in summitate septentrionali Honduriae confundenda non est cum civitate *Truxillo* (*Trujillo*) in Peruvia, ubi anno 1577 pariter dioecesis erecta est et suffraganea sedis metropolitanae Limanae constituta, dum *Truxillo* in Honduria suffraganea sedis Hispalensis effecta est. Haec dioecesis in documentis aliquando simpliciter *de Honduras* appellatur et tandem *de Comayagua*, quo sedes episcopalis translata erat. Posthac sub nomine Comayaguensis in documentis pontificiis memoratur. Primus

---

[24] *Cum nos pridie* 5.VI.1531.
[25] *Aequum reputamus* 3.XI.1534.
[26] *Apostolatus officium* 21.VI.1531.
[27] *Coro* anno 1922 iterum in propriam dioecesim erigitur.
[28] *Super specula* 6.IX.1531.

episcopus nominatus est Alfonso Guzmán y Talavera [29].

Iam anno 1532 Clemens VII etiam dioecesim Sanctae Marthae in Columbia erigere volebat, sed difficultates obstitisse videntur. In actis legitur: *Fuit proposita erectio ecclesiae S. Marthae in Indiis et non fuit expedita*. Duobus annis post difficultates superatae erant et erectio dioecesis die 9 ianuarii 1534 effecta est, Alfonsus de Tobes vero primus eius episcopus nominatus est [30]. Paulo post, die 20 aprilis eiusdem anni, Summus Pontifex alteram adhuc dioecesim in Columbia erexit: *Cartagena* (Carthaginensis) sub invocatione Sanctae Catharinae [31]. Primum eiusdem episcopum Thomam de Toro, OP, nominavit [32], qui autem post brevem et salutarem, sed difficultatibus confertam activitatem aestate anni 1536 mortuus est. Successorem habuit Hieronymum de Loaysa, OP, qui postea (1541) archiepiscopus Limanus factus est.

Ultima incepta Clementis VII de constitutione vel ordinatione Ecclesiae in America erant translatio iam memorata sedis episcopalis *Santa Maria del Antigua* ad *Panamá*, in actis etiam *Castellae Aureae* nuncupata, die quidem 11 februarii 1534, et nominatio episcopi Thomae de Berlanca, OP [33].

Etiam sub Paulo III (1534-1549) eadem impigra activitas, qua Ecclesiae novellae in America centrali et australi semper melius ac modo temporibus accomodato ordinarentur, continuata est. Insuper hic Summus Pontifex, uti videbimus, primo ex parte Curiae Romanae oppositionem strenuam contra servitutem instituit. Sed antea dicemus de eius inceptis, quae constitutionem ecclesiasticam respiciunt et iam a primis hebdomadibus pontificatus ipsius initium ceperunt.

Ita die 3 novembris, qua ipse Papa coronatus est, erectionem dioecesis Legionensis in *Nicaragua* a praedecessore decretam confirmavit [34], cuius episcopum Didacum Álvarez de Osorio nominavit [35]. Nova dioecesis provinciae ecclesiasticae Hispalensi in Hispania suffraganea assignata est, iure patronatus de more imperatori collato [36]. Franciscus Marroquín primus eiusdem episcopus factus est [37]. Iste demum die 8 aprilis 1537 in civitate *México* a Zumárraga

[29] *Apostolatus officium* 6.IX.1531.
[30] *Apostolatus officium* 9.I.1534.
[31] *Illius fulciti praesidio* 24.IV.1534.
[32] *Apostolatus officium* 24.IV.1534.
[33] *Apostolatus officium* 11.II.1534.
[34] *Aequum reputamus* 3.XI.1534.
[35] *Aequum reputamus* (bis) 3.XI.1534.
[36] *Illius fulciti praesidio* 18.XII.1534.
[37] *Apostolatus officium* 18.XII.1534.

ordinationem episcopalem accepit, quod signum est morarum, quas distantiae geographicae et magis adhuc condiciones non sufficientes viarum ac commeatus tunc causabant.

In civitate *Oaxaca* (*Oajaca*), quam Hispani *Antequera* appellabant, Mexicani vero *Huaxyacac* pronuntiabant, Papa die 21 iunii 1535 novam dioecesim erexit sub invocatione Beatae Mariae et Ioannem López de Zárate, canonicum Ovetensem (*Oviedo*), primum eius episcopum nominavit [38]. Ista quoque dioecesis adhuc suffraganea metropolitanae Hispalensis effecta est. Anno post, die 8 augusti 1536, erectio dioecesis *Mechoacán* (*Michoacán*) in provincia eiusdem nominis secuta est cum Vasco de Quiroga primo episcopo [39], qui una cum Zumárraga episcopis illustrioribus Americae Latinae saeculo decimo sexto adnumerandus est. Quindecim annis postea imperator sedem episcopalem ad *Pazairo* (*Pázcuaro*) transtulit, qui situs aptior et commodior erat. Die 8 iulii 1550 Iulius III (1550-1555) translationem approbavit. In utroque loco, *Oaxaca* et *Pazairo,* ecclesia cathedralis sancto Francisco dicata erat. Ad permutationes evitandas imperator titulum ecclesiae in *Pazairo* mutavit eamque Sancto Salvatori dicavit, quod Summus Pontifex pariter confirmavit [40].

Cuzco (*Cusco*), vetus caput regni gentis *Inca,* prima dioecesis in Peruvia facta est, postquam consilium hispanicum de dioecesi in oppido *Túmbez* erigenda ad effectum adduci non potuit. Dioecesis erecta est die 8 ianuarii 1537 [41]. Ecclesia Sanctae Mariae dedicata in ecclesiam cathedralem erecta est. Eodem die Vincentius de Valle Viridi (Vincente Valverde), OP, episcopus Cuschensis nominatus est [42]. Ipsi licentia data erat, ut ab unico episcopo ordinaretur duobus viris ecclesiasticis in dignitate constitutis adstantibus [43], sed videtur ordinationem episcopalem demum mense aprili vel maio 1537 Salmanticae (*Salamanca*) accepisse. Dioecesis eius a *Nova Granata* in parte septentrionali usque ad *Chillam* (*Chillán*) in meridionali, a *Tucumán* et *Río de la Plata* in orientali usque ad Oceanum Pacificum in parte occidentali extendebatur.

Inter viros clarissimos et maximos novi mundi saeculo decimo sexto eminet Bartholomaeus de las Casas, qui sane celebritatem propriam iam adeptus erat, antequam episcopus fieret utpote qui missio-

---

[38] *Apostolatus officium* 21.VI.1535.
[39] *Illius fulciti praesidio* et *Apostolatus officium* 8.VIII.1536.
[40] *Exponi nobis* 8.VII.1550.
[41] *Illius fulciti praesidio* 8.I.1537.
[42] *Apostolatus officium* 8.I.1537.
[43] *Tuae devotionis* 29.I.1537.

narius iura humana Indorum strenue defendisset. In Consistorio diei 19 martii 1539 Paulus III dioecesim Civitatis Regalis seu Chiappensem (*Chiapas*) sub invocatione Sancti Christophori erexit, iure patronatus ipsi imperatori collato, qui eius limites definire valebat; quae pariter suffraganea sedis Hispalensis constituta est [44]. Primum episcopum novae dioecesis imperator Ioannem de Ortega, socium Hieronymitarum proposuit, qui tamen officio renuntiavit [45]. Alterum tunc candidatum imperator praesentavit Ioannem de Arteaga, militis S. Iacobi de Spata, qui mortuus est, antequam possessionem dioecesis capere posset. Tertius tandem candidatus ab imperatore propositus est Bartholomaeus de las Casas, quem Paulus III die 13 decembris 1543 nominavit [46]. Ipsum cum adveniret Indi maxima cum laetitia salutaverunt ac receperunt; qui optimo iure patronus Indorum habetur.

Hoc loco etiam dioecesis et sedes archiepiscopalis *Funchal* in insula *Madeira* memoranda est, quia ad ipsam *Brasilia* lusitana pertinebat, usque dum ibi quoque dioecesis propria erigeretur. Leo X iam die 12 iunii 1514 Ecclesiam Funchalensem erexerat et regi Lusitaniae patronatum eiusdem contulerat [47]. Clemens VII in Consistorio secreto diei 31 ianuarii 1534 ipsam sedem archiepiscopalem et metropolitanam provinciae ecclesiasticae constituit, cuius extensionem alia vix unquam aequavisse videtur, cum praeter Brasiliam Africam quoque et Asiam Orientalem complecteretur. Pontifex eidem *universas terras de Brasil, cum omnibus terrarum de Brasil castris, oppidis, villis, locis et districtibus, necnon clero, populo, ecclesiis, monasteriis et aliis piis locis ac beneficiis ecclesiasticis* assignavit. Bulla erectionis autem dum Papa vivebat expedita non est; Paulus III vero die 8 iulii 1539 decisionem praedecessoris confirmavit [48].

Aliam itidem dioecesim in Peruvia Paulus III die 13 (14?) maii 1541 erexit eo quod in Civitate Regia (*Ciudad de los Reyes, Lima*), *ubi iam quamplures Hispani ac Indi christiani habitant* necnon plures iam ecclesiae exstabant, unam earum sub invocatione sancti Ioannis Evangelistae ecclesiam cathedralem faciebat. Ista quoque dioecesis adhuc suffraganea sedis archiepiscopalis Hispalensis constituta est, dum imperator ius patronatus super ipsam obtinuit [49]. Hieronymus de Loaysa, OP, primus eius episcopus factus est.

---

[44] *Inter multiplices curas* 19.III.1539.
[45] *Apostolatus officium* 19.III.1539.
[46] *Apostolatus officium* 13.XII.1543.
[47] *Pro excellenti* 12.VI.1514.
[48] *Romani Pontificis* 8.VII.1539.
[49] *Illius fulciti praesidio* 13. (al. 14.) V.1541.

Propter nimiam distantiam provinciae Sancti Francisci de *Quito* (*Equador*) a *Cuzco* imperator die 31 maii 1540 Summo Pontifici erectionem alterius dioecesis in hac provincia proposuit et statim proprium candidatum pro episcopatu praesentavit. Sed consilium solummodo quinque fere annis elapsis ad effectum adductum est, cum Paulus III die 8 ianuarii 1546 oppidum vel pagum de *Quito* in civitatem atque in eadem ecclesiam cathedralem sub invocatione Beatae Mariae erexit. Nomen novae dioecesis erat Ecclesia Sancti Francisci *del Quito,* quae pariter suffraganea sedis metropolitanae Hispalensis constituta ac patronatui hispanico subiecta est [50]. Primus eius episcopus Garcias Díaz Arias electus est [51].

Quitensis autem ultima dioecesis novi mundi erat, quae sedi metropolitanae hispanicae suffraganea subiecta atque assignata est. Quinquennio fere post Paulus III tandem erectionem iam dudum debitam provinciarum ecclesiasticarum sui iuris in terris Americae dominationi hispanicae subiectis perfecit.

Hic vero passus historicus factus est die 12 februarii 1546, cum tres provinciae ecclesiasticae erectae sunt: *Santo Domingo, México* et *Lima.* Sedi *Santo Domingo* assignatae sunt dioeceses suffraganeae *Concepción de la Vega,* quae proinde tunc iterum dioecesis sui iuris facta est, dum ab anno 1528 cum dioecesi *Santo Domingo* unita fuerat; praeterea *San Juan de Puerto Rico, Santiago de Cuba, Coro* in Venezuela, *Santa Marta* et *Cartagena* in *Columbia* et *Truxillo* in Honduria. In bulla *Super universas* Papa asserit res ipso Carolo V rogante ita dispositas esse. Separatio Ecclesiae in Indiis Occidentalibus ab Ecclesia hispanica primus gradus erat ad ecclesias locales americanas sui iuris constituendas. Gradus ulteriores — episcopi locales, clerus nativus etc. — per longum tempus morari debebant, cum nulla adhuc ratione praeparati essent. Necessitas quidem, quae in eo erat quod etiam provinciis ecclesiasticis americanis constitutis episcopi hispanici dioeceses americanas regebant, separationem ab ecclesia metropolitana hispanica minus acerbam reddere videbatur. Causam autem erectionis provinciarum ecclesiasticarum Papa magnam distantiam harum Ecclesiarum a sede metropolitana Hispalensi allegabat, quae recursus fidelium ad archiepiscopum difficiliores faciebat. Omnia iura metropolitana tunc a sede Hispalensi ad *Santo Domingo* translata et novo archiepiscopo ibi constituto collata sunt [52], qui Al-

[50] *Super specula* 8.I.1546.
[51] *Apostolatus officium* 8.I.1546.
[52] *Super universas* 12.II.1546.

phonsus de Fonte maiore (de Fuenmayor) erat.

Eadem die Paulus III provinciam ecclesiasticam Mexicanam constituit cum quinque dioecesibus suffraganeis, quibus mox sexta adiungenda erat. *Mexico insulae Novae Hispaniae* sedes metropolitana facta est, *Antequera* (*Oaxaca*), *Mechoacán, Tlaxcala, Guatemala et Civitas Regalis de los Navos Chiapa,* uti hic nuncupatur, sedes suffraganeae. Nova dioecesis, quam Papa erigendam promisit, *Nova Galitia* erat. Causae vero pro erectione provinciae ecclesiasticae eaedem allegabantur ac pro provincia ecclesiastica *Santo Domingo:* magna distantia a sede Hispalensi, difficultas recursus fidelium ad Metropolitam, desiderium imperatoris *et nonnullae aliae rationabiles causae.* Iura metropolitana ab archiepiscopo Hispalensi ad archiepiscopum Mexicanum pro tempore existentem Zumárraga transferuntur, cuius sedes metropolitana efficitur [53].

Tertia provincia ecclesiastica pro regione magis meridionali novi mundi erecta est cum sede metropolitana in civitate Limana et dioecesibus suffraganeis *Cuzco, San Francisco de Quito, Castelle de Auro* (*Castilla del Oro, Panamá*), *Nicaragua* et dioecesi mox erigenda *Papayan* (*Popayán*) [54]. Episcopus Limanus, Hieronymus de Loaysa, OP, archiepiscopus factus est et iura metropolitana recepit, quae hucusque archiepiscopi Hispalensis propria fuerant [55]. Tribus novis archiepiscopis Summus Pontifex pallium tribuit *insigne plenitudinis pontificalis officii,* quod episcopi vicini ipsis tradere debebant. Quod si distantiae geographicae maiores erant, etiam alii viri in dignitate ecclesiastica constituti pallium tradere valebant [56].

Erectio proposita dioecesis in *Popayán* effecta est die 27 augusti 1546 in provincia eiusdem nominis *in insulis Indiarum maris oceani, cuius incolae divinae legis expertes existunt,* ubi autem complures iam christiani habitant. Paulus III oppidum *Popayán* in civitatem et in ea cathedralem ecclesiam sub invocatione Beatae Mariae erexit [57]. Eadem die Ioannes de Valle primus eius episcopus nominatus est [58].

Acerbitatis causa qua Indi expugnatoribus hispanicis resistebant, Juan de Salazar anno 1537 in provincia *Paraguay* arcem exstruxit, quae postea oppidum *Asunción* devenit. Decem annis post, die 1 iulii 1547, Paulus III hoc loco novam dioecesim erexit nomine *Río de la*

---

[53] *Super universas* 12.II.1546.
[54] *Super universas* 12.II.1546.
[55] *Super universas* 12.II.1546.
[56] *Cum nos nuper* 15.VI.1547; *Cum pallium insigne* 15.VI.1547.
[57] *Super specula* 27.VIII.1546.
[58] *Apostolatus officium* 27.VIII.1546.

Plata [59], vel, uti anno 1579 primum nominatur, *Fluminis Argentei*. Ab anno 1591 Sanctae Assumptionis seu de *Paraguay* appellatur. Primus episcopus Ioannes de Barrios, OFM, factus est [60].

In bulla erectionis provinciae ecclesiasticae Mexicanae sermo erat de nova dioecesi brevi tempore erigenda nomine *Nova Galitia*. Haec sane ultima res erat, quam Paulus III pro Ecclesia in America constituenda suscepturus erat. Reapse die 13 iulii 1548 dioecesim *Guadalaxara* (*Guadalajara*) seu Sancti Iacobi Compostellanensis in *Nova Galitia* seu partibus Mexicanis erexit. Primus eius episcopus Petrus Gómez Malaver (Maraver) factus est, qui tamen iam die 21 decembris 1551 mortuus est.

Iulius III (1550-1555) quinquennio sui pontificatus duas dioeceses in novo mundo erexit. Prior quidem erat *San Salvador* seu *Bahia* in Brasilia, quam sedi Lisbonensi dioecesim suffraganeam assignavit. Haec quidem usque ad hoc tempus unica dioecesis in Brasilia erat, quippe quae ad archidioecesim Funchalensem pertinuisset. Patronatum super dioecesim, quae totam Brasiliam complectebatur, Papa regi lusitano contulit [61]. Primus episcopus Petrus Fernandes ex dioecesi Evorensi (*Evora*) in Lusitania factus est, qui autem iam die 16 iulii 1556 mortuus est. Donec aliae duae dioeceses in terra ingenti Brasiliana erigerentur, usque ad annum 1676 exspectandum erat. Evangelizatio in hac regione tardius procedebat quam in terris ab Hispanis occupatis. Lusitania vires suas in Indiam Orientalem et reliquas partes Asiae conferebat, dum Brasilia pro ipsa secundarii tantum momenti erat. Etiam coloni lusitani in Brasilia, inter quos non pauci ad opus damnati vel deportati erant, parum pro evangelizatione Indorum fecerunt.

Altera dioecesis, quam Iulius III in America erexit, *La Plata* in Bolivia (*de las Charcas,* Carcassensis) erat, quae provinciae Limanae attributa est [62]. Sedes episcopi in *Chuquisaca* statuta erat, quae nunc *Sucre* appellatur. Primus episcopus Thomas de Sancto Martino (*Sanmartin*), Prior Provincialis Ordinis Fratrum Praedicatorum factus est.

Duo qui secuti sunt Summi Pontifices Marcellus II (1555) et Paulus IV (1555-1559) propter brevitatem pontificatus ipsorum in constitutione Ecclesiae americanae evolvenda agere non potuerunt. Eorum successor autem Pius IV (1560-1565) sex iterum novas dioeceses et

[59] *Super specula* 1.VII.1547.
[60] *Apostolatus officium* 1.VII.1547.
[61] *Super specula* 25.II.1551.
[62] *Super specula* 27.VI.1552.

unam provinciam ecclesiasticam erexit. Prima eius actio hac in re ad Chiliam (*Chillán*) directa erat, ubi Rodrigo González Marmolejo, qui fundator et pater Ecclesiae Chilensis factus est, ab anno 1546 activitatem missionariam exercebat. Die 27 iunii (18 maii ?) 1561 Pontifex *oppidum Sancti Jacobi del nuovo extremo in provincia de Chilla in Insulis Indiarum maris Oceani in civitatem et in ea unam cathedralem ecclesiam sub invocatione Beatae Mariae pro uno episcopo Sancti Jacobi del nuovo extremo cum dote et alias modo et forma prout in cedula* erexit, *et illam subiecit archiepiscopo Civitatis Regum cum dote 200 ducatorum per serenissimum d. Regem Catholicum assignandorum, ac reservatione iurispatronatus pro eodem Rege, ac provisione eidem Ecclesiae Sancti Jacobi del nuovo extremo sic ab illius primaeva erectione vacanti de persona Roderici Gonzales presbyteri Hispalensis dioecesis et alias prout in cedula* [63]. Sed episcopus electus mortuus est mense septembris vel octobris anni 1564, quin ordinationem episcopalem recepisset.

Verbis similibus Pontifex eadem die 27 iunii civitatem et dioecesim Verae Pacis (*Verapaz*) in provincia eiusdem nominis in insulis maris oceani *pro commodo Indorum conversorum et convertendorum* erexit eamque archiepiscopo Mexicano suffraganeam subiecit. Primus eius episcopus Petrus de Angulo, Ordinis Praedicatorum, electus est, qui pariter iam ante ordinationem episcopalem die 1 aprilis 1562 obiit [64].

Die 16 novembris 1561 Pius IV modo definito dioecesim *Yucatán* erexit, postquam erectio dioecesium Carolensis anno 1519 et Terrae Floridae anno 1520 perfici non potuit. Primus episcopus dioecesis *Yucatán* Franciscus Toral, OFM, factus est, qui ex *Úbeda*, dioecesis Giennensis (*Jaén*) in Hispania oriundus, iuvenis terram Mexicanam missionarius adierat.

In hodierna Columbia quidem dioecesis Sanctae Marthae iam exstabat. Philippus II optabat ut episcopus Martinus de Calatayud sedem ad *Santa Fe* transferret. Sed cum eius praeceptum die 22 februarii 1549 emissum ad Columbiam perveniret, episcopus iam mortuus erat; cuius successor Ioannes de los Barrios praeceptum executus est. Die 11 decembris 1562 ipse Summus Pontifex sedem canonica ratione transtulit vel novam dioecesim *Santa Fe de Bogotá* erexit atque Ioannem de los Barrios eiusdem episcopum nominavit. Anno et dimidio postea, die 22 martii 1564, Pius IV episcopatum *Santa Fe* ad sedem

---

[63] Archivum Consist. Acta Miscell. 19 fol. 292r.
[64] *Ibidem;* Acta Cam. 43 fol. 112r.

archiepiscopalem et metropolitanam elevavit cum dioecesibus *Popayán* et *Cartagena* suffraganeis, utraque quidem in ipsa Columbia [65]. Ita quarta provincia ecclesiastica in novo mundo constituta est.

Ultima dioecesis, quam Pius IV erigere potuit, Civitatis Imperialis in *Chile* erat, pro qua oppidum eiusdem nominis in civitatem elevavit ac in ea ecclesiam cathedralem sub invocatione Sancti Michaelis erexit; dioecesis suffraganea Civitatis Regum (*Lima*) facta est. Redditus mensae episcopalis accurate definiti sunt; rex hispanicus facultatem obtinuit limites novae dioecesis statuendi, *quando ac quoties sibi expedire videbitur* eosque immutandi; ius vero patronatus in eandem coronae hispanicae confertur [66]. Cum autem hoc decretum non iam ad effectum adduci posset, dum Pius IV vivebat, Pius V (1566-1572) die 30 decembris 1567 erectionem dioecesis confirmavit [67] et pariter nominationem episcopi Antonii de Sancto Michaeli (*de San Miguel*) [68].

Altera dispositio Pii V pro Ecclesia in America, a Philippo II expetita, erat erectio dioecesis Tucumanensis in Peruvia, quam die 14 maii 1570 perfecit. Papa ideo oppidum *Tucumán* in civitatem erexit *et in ea ecclesiam cathedralem sub invocatione Sanctorum Petri et Pauli, pro uno episcopo qui archiepiscopo viciniori Civitatis Regum iure metropolitico subsit.* Modo usitato redditus mensae episcopalis statuuntur et episcopo eadem privilegia conferuntur, quibus episcopi in Hispania gaudent. Rex ius obtinet limites dioecesis definiendi, sed aliter ac prius factum erat, Papa nunc sibi ius reservat, futuras limitum immutationes ipse decernendi. Ius patronatus in dioecesim iterum coronae hispanicae confertur [69]. Primus episcopus Franciscus de Beaumont, OFM, nominatus est; gubernium hispanicum autem hanc nominationem non agnovit aliosque candidatos proposuit. Postremo Gregorius XIII (1572-1585) Lusitanum Franciscum de Vitória, OP, anno 1578 episcopum Tucumanensem nominavit, qui die 18 novembris eiusdem anni Hispali ordinationem episcopalem recepit et tribus annis post ad propriam dioecesim advenit.

Ulterior dispositio Pii V pro constitutione Ecclesiae in America erat translatio sedis episcopalis a *Pascuaro* ad *Guayangareo* in eadem provincia *Mechuacan* (*Michoacán*), quia *locus commodior pro cura animarum* erat. Res a rege hispanico quidem postulata erat, sed Pon-

---

[65] *In suprema* 22.III.1564.

[66] *Super specula* 22.III.1564.

[67] *Provisionis nostrae* 30.XII.1567.

[68] *Apostolatus officium* 22.III.1564; *Provisionis nostrae* 30.XII.1567.

[69] *Super specula* 14.V.1570.

tifex conditionem translationis statuit consensum episcopi eiusque capituli [70].

Archiepiscopus Limanus Loaysa atque episcopus Cuschensis Solano petierant ut propriae dioeceses propter locorum distantiam et populorum frequentiam dividerentur, *ut episcopi dioeceses suas commode visitare et necessitatibus spiritualibus occurrere possint.* Gregorius XIII petitionem probavit et die 15 aprilis 1577 duas novas dioeceses erexit: *Arequipa* et *Trujillo.* Haec civitas *Trujillo* permutari non debet cum *Truxillos* vel Trugillensis vel Comayaguensis neque cum *Truxillo* in Honduria. *Trujillo* in Peruvia dioecesis suffraganea sedis Limanae statuta est [71]; primus eius episcopus Franciscus de Ovanda, OFM, erat. Notandum tamen est erectionem dioecesis sub Paulo V (1605-1621) tantum perfectam esse.

Res simili modo processerunt pro dioecesi *Arequipa,* quam Gregorius XIII eadem die erexerat. Conicitur sane causam ob quam efficax utriusque dioecesis erectio retardata est, oppositionem capitulorum fuisse, quae timebant ne redditus ipsorum divisione diminuerentur. Episcopus dioecesis *Arequipa* Antonius de Ervias, OP, a Gregorio XIII nominatus erat [72].

Ita quidem constitutio Ecclesiae in novo mundo primo saeculo evangelizationis interim conclusa erat. Quod si summae universae eae quoque dioeceses adnumerentur, quae iterum suppressae vel ad alium locum translatae sunt, vel quarum erectio posteriore tantum tempore perfecta est, Summi Pontifices eo tempore quattuor provincias ecclesiasticas et quadraginta septem dioeceses vel sedes archiepiscopales erexerant.

2. *Praecepta et incepta missionaria vel pastoralia*

Documenta pontificia e primo saeculo evangelizationis populorum novi mundi, quae de rebus vel argumentis missionariis aut pastoralibus agunt, perquam numerosa et fundamentalia exstant, sed adhuc parum attenta sunt vel partim omnino neglecta aut ignota manserunt. Attamen in iisdem maxime manifestatur sollicitudo Summorum Pontificum de religione christiana in culturas populorum Americae inserenda, de evangelizatione Indorum, quos propriae curae et tutelae

---

[70] *Super universas* 10.XI.1571.

[71] *Illius fulciti* 1.V.1577.

[72] *Apostolatus officium* 15.IV.1577.

commissos noverant. Suspicari licet multo plura adhuc documenta eius generis conscripta esse, quam hic in lucem eduntur, nam uti iam dictum est, archivum vaticanum praecipue pro hoc saeculo decimo sexto non paucas exhibet lacunas. Nihilo minus documenta pontificia quae cognita sunt, imaginem vividam rerum proferunt, quae a Pontificibus Romanis pro Ecclesiis novellis in America inceptae vel praeceptae sunt. Pertinent quidem ad quaestiones urgentes de iuribus humanis Indorum necnon de prohibitione servitutis; de dispensationibus a legibus canonicis communibus iisdem concedendis, quippe qui in Ecclesiam vix recepti indulgenter tractandi essent; de administratione sacramentorum necnon de exercitiis pietatis popularis; praeterea de promotione spirituali et materiali Indorum; de accomodatione ad mores ususque locales; adhuc de activitate missionaria vel pastorali episcoporum et religiosorum necnon de mutuis inter eos relationibus; de constitutione propria institutorum regularium et aliis eius generis.

Prima quidem hic exsurgit quaestio de modo agendi quem Summi Pontifices assumpserint circa suppressionem Indorum, qui tamquam mancipia tractabantur; qui sane usus indignus non tantum expugnationi hispanicae, quae *conquista* audit, vitio versus est, sed etiam post ac propter eandem ipsam activitatem missionariam usque ad hunc diem haud parum gravare noscitur. Paulus III anno 1537 primitus de servitute vocem edidit. Usque ad illud tempus sane in scriptis pontificiis frustra declarationes quaesiveris de quaestione servitutis in Hispania iam dudum acriter disputata necnon sententias de triginta quinque legibus (*ordenanzas*) anno 1512 in urbe Burgensi (*Burgos*) latis [73]. Cum autem Paulus III tandem vocem edidisset, rege hispanico premente mox nonnulla decreta retractare coactus est. Breve pontificium, quo Paulus III servitutem prohibebat, incipit a verbis *Pastorale officium* ac die 29 maii 1537 datum Cardinali-Archiepiscopo Toletano inscriptum est. Locus gravissimus sic sonat: *Hos [Nos?] igitur attendentes Indos ipsos, licet extra gremium Ecclesiae existant, non tamen sua libertate, aut rerum suarum dominio privatos, vel privandos esse, cum homines, ideoque fidei, et salutis capaces sint, non servitute delendos, sed praedicationibus, et exemplis ad vitam invitandos fore.* Sub poena vero excommunicationis *latae sententiae* Papa prohibet, ne [coloni] *praefatos Indos quomodolibet in servitutem redigere, aut eos bonis suis spoliare quoquomodo*

[73] Cfr. *P. Suess,* Liberdade e servidão. Missionários, juristas e teólogos espanhóis do século XVI frente à questão indígena. In: Revista Ecclesiástica Brasileira 47 (Petrópolis 1987) 16-45.

praesumant [74]. Paucis diebus post Papa servitutem forma adhuc acerbiore damnat, documento quidem *Veritas ipsa*, die 2 iunii 1537 dato, verbis hic litteraliter reddendis: *Veritas ipsa, quae nec falli, nec fallere potest, cum Praedicatores fidei ad officium praedicationis destinaret, dixisse dignoscitur: euntes, docete omnes gentes; omnes dixit absque omni delectu, cum omnes fidei disciplinae capaces existant, quod videns et invidens ipsius generis humani aemulus, qui bonis operibus, ut pereant, semper adversatur, modum excogitavit hactenus inauditum, quo impediret, ne verbum Dei gentibus ut salvae fierent, praedicaretur; ac quosdam suos satellites commovit, qui suam cupiditatem adimplere cupientes, occidentales et meridionales Indos et alias gentes quae temporibus istis ad notitiam nostram pervenerunt, sub praetextu, quod fidei catholicae expertes existant, uti bruta animalia ad nostra obsequia dirigendos esse, passim asserere praesumant et eos in servitutem redigunt tantis afflictionibus illos urgentes quantis vix bruta animalia illis servientia urgeant. Nos igitur, qui eiusdem Domini nostri vices, licet indigni gerimus in terris et oves gregis sui nobis commissas, quae extra eius ovile sunt, ad ipsum ovile toto nixu exquirimus, attendentes Indos ipsos, utpote veros homines, non solum christianae fidei capaces existere, sed ut nobis innotuit, ad fidem ipsam promptissime currere, ac volentes super his congruis remediis providere, praedictos Indos et omnes alias gentes ad notitiam christianorum in posterum deventuras, licet extra fidem christianam existant, sua libertate ac rerum suarum dominio huiusmodi uti et potiri et gaudere libere et licite posse, nec in servitutem redigi debere, ac quidquid secus fieri contigerit irritum et inane, ipsosque Indos et alias gentes verbi Dei praedicatione et exemplo bonae vitae ad dictam fidem Christi invitandos fore, auctoritate Apostolica per praesentes litteras decernimus et declaramus* [75].

Hoc documento pontificio missionarii quidem sese agnitos ac confirmatos sentiebant eo quod acriter contendebant ne Indi in servitutem redigerentur; officiales civiles contra et coloni in America meridionali reclamabant atque efficiebant, ut Carolus V Papam adiret et ab eo postularet ut bullas retractaret. Reapse rex prohibuit ne documenta publici iuris fierent et mandavit ut exemplaria, quae clam circumferebantur, caperentur. Pontifici vero retulit illis documentis ordinem in novo mundo perturbari; Papam male informatum esse et

[74] ASV Arm. XLI 6 fol. 158r.

[75] ASV Arm. XXXVII 15 fol. 145rv. Executionem bullae *Veritas ipsa* Summus Pontifex Cardinali-Archiepiscopo Toletano commisit: ASV Arm. XXXVII 15 fol. 145v, 154r.

bullas ab ipso extortas. Quare Summus Pontifex revera novo documento *Non indecens*, die 19 iunii 1538 dato, bullas retractavit. Sed e verbis huius documenti apparet non condemnationem servitutis retractatam esse, sed tantum poenas ecclesiasticas gravissimas in eos latas, qui Indos in servitutem redigerent [76].

Anno 1537 Summus Pontifex pariter reclamaverat contra deminutionem libertatis Indorum in Brasilia lusitana. Edictum gubernii enim in urbe Lisbonensi (*Lisboa*) propositum christianis indigenis prohibuerat, ne in Europam neve ad urbem Romam iter facerent. Causa vero huius prohibitionis evidens erat, ne ibi contra colonos vel officiales civiles conqueri possent. Verbis ipsius legis autem causa indicata erat, ne christiani indigenae in Europa cum Iudaeis necessitudinem haberent, ne ad religionem iudaicam transirent. Papa vero istam simulationem nudavit et contra deminutionem libertatis christianorum indigenarum reclamavit dicendo melius esse, quod Indi proprio consilio Iudaei fierent quam malitia christianorum permoti [77].

Paucis annis post, anno 1542, Paulus III de alio argumento missionario in America sententiam edidit. Eveniebat enim quod parentes non christiani aut familiares catechumeni istum possessionibus temporalibus spoliabant eumque iuribus hereditariis privabant, quia baptismum recipere cupiebat. Quod quidem nonnullos a fide christiana amplectenda deterrebat. Pontifex ideo vetuit catechumenos bonis temporalibus despoliare eo quod ad fidem christianam transire volebant. Sane ut huiusmodi vetitum ad affectum adduceretur, ex arbitrio pendebat auctoritatum saecularium. Papa ipse ulterius procedebat, ut Indos ad fidem christianam amplectendam alliceret, permittendo catechumenis ut bona illegitima ratione acquisita retinerent, cum possessor legitimus explorari non poterat ac proinde restitutio possibilis non erat. Eadem dispositio pro Iudaeis vigebat [78].

Aliud documentum pontificium contra servitutem anno 1547 editum est. Paulus III conquerebatur quod advenae hispanici in America centrali et meridionali gravibus suis vetitis anterioribus non obstantibus Indos in servitutem redigebant eosque modo tam inhumano tractabant, ut multi eorum morerentur atque alii a fide christiana amplectenda deterrerentur. Re quidem vera iniuriae quae Indis inferebantur impedimentum maximum propagationis fidei erant. Papa ergo denuo declaravit Indos homines esse atque ad fidem christianam atque salu-

---

[76] ASV Arm. XLI 10 fol. 246rv.

[77] Instructio pro Nuntio in Lusitania, 17. II. 1537: ASV Arm. II 10 (Polit. vol. X) fol. 60rv.

[78] *Cupientes Judaeos et alios infideles*. 21.III.1542.

tem aeternam vocatos. Facultatem sacerdotibus concedebat auctoritatibus denuntiandi colonos hispanicos, qui Indos in servitutem redigebant et modo immani tractabant [79].

Pius V anno 1567 similes querelas contra milites protulit scripto quo archiepiscopum Mexicanum implorabat, ut Indos a militibus defenderet atque episcopos suffraganeos ad idem faciendum moveret. Nam, uti Papa aiebat, propter modum inhumanum quo a militibus tractantur et propter iniuriam qua ab illis afficiuntur, multi Indi a conversione arcerentur; modum agendi militum adversus Indos scandalum esse ac maledictionem nominis Dei; vitam eorum non christianam atque peccata ipsorum impedimentum esse propagationis fidei [80]. Eodem modo Pontifex scripto eiusdem diei vicarium regis Novae-Hispaniae obsecravit ut novos christianos a militibus et *aliis christianis* protegeret atque Indos nondum conversos ita tractaret, ut sese libenter nuntio christiano aperirent. Ea vero ratione propagationem fidei promovere munus nobilissimum vicarii regis esse Papa edixit [81].

Sors servorum Pontificem alia quoque ratione commovebat. Multi enim servi, qui ex Africa in Brasiliam aliasque Indiae Occidentalis regiones deportati erant, in patria ritu quidem gentili matrimonia contraxerant, quae valida habenda esse Pontifici persuasum erat: *vera quidem, non tamen adeo rata censeri, ut necessitate suadente dissolvi non possint*. Proinde si coniux in terram alienam deportatus ab altera parte separatus erat et baptismum recipiebat, novum matrimonium inire poterat, quoties cognosci non poterat, utrum altera illa pars adhuc viveret, aut responsum ad tempus non occurrebat. Quod si postea apparebat coniugem anteriorem adhuc vivere et interim etiam baptismum recepisse, matrimonium in servitute contractum nihilo secius validum erat. Ita Gregorius XIII decrevit atque episcopis et presbyteris Societatis Iesu facultates congruentes dispensandi concessit [82].

Ad favores speciales a Summis Pontificibus pro omnibus Indis concessos dispensationes amplissimae pertinebant, puta pro matrimoniis eorum, quae ipsis tamdiu tribuendae essent, *donec in robustiorem se producant aetatem* [83]. Cum in moribus Indorum nota non essent impedimenta matrimonialia consanguinitatis, Pius V impedimenta mere ecclesiastica eius generis, a lege divina non praescripta, pro

---

[79] *Exponi nobis nuper fecisti* 29.VI.1547.
[80] *Credimus allatas esse* 7.X.1567.
[81] *Te una cum dilecta* 7.X.1567.
[82] *Populis ac nationibus* 25.I.1585.
[83] *In eminenti militantis Ecclesiae* 20.VI.1566.

Indis suspendit ac missionariis Societatis Iesu facultates dispensandi tribuit [84]. Paulus III iam anno 1537 impedimenta matrimonialia ecclesiastica pro Indis reduxerat, legem ecclesiasticam abstinentiae allevaverat et numerum festorum et dierum ieiunii minuerat [85].

Praeterea, ut Ecclesiae in novo mundo faverent, Summi Pontifices permiserunt ut fructus propriae terrae adhiberentur pro chrismate conficiendo, quia difficile erat balsamum ex Oriente afferre [86].

Alia difficultas Indos afficiens inde proveniebat quod apud ipsos polygamia admissa erat. Episcopi et missionarii ancipites haerebant de modo sese gerendi. Ab ipsis de re interrogatus Pius V decrevit Indos polygamos cum baptizantur eam mulierem retinere ac legitimam uxorem habere posse, quae simul baptizaretur, idque eo magis quo vix statui posset, quae nam prima fuisset [87].

E documentis allatis iam apparet Summos Pontifices non dubitavisse leges ecclesiasticas universales pro bono Indorum suspendere, quo iterum ex parte refellitur quod exprobrari solet, Ecclesiam europaeam cum America evangelizabatur, talem qualis erat eo translatam esse, nulla ratione habita morum indigenarum Indorum. Exemplum ad rem faciens sint casus in quibus episcopi ad gravia delicta colonorum hispanicorum expianda interdictum in ecclesiam vel paroeciam ferebant. Indi enim poenam ecclesiasticam adeo magnam, quae innocentes quoque afficiebat, intellegere non valebant et mirabantur de consequentiis interdicti, quo ecclesiae claudebantur et celebratio missarum in iisdem vetabatur. Propterea Pius IV Indis permisit etiam tempore interdicti ecclesiam adire ibique portis quoque apertis missas celebrandas curare aliasque caeremonias liturgicas perficere campanis insuper pulsatis. Timebat enim Pontifex, ne Indi interdictum supplicium divinum putarent, quod eos adeo percuteret ut ipsa fides per-

---

[84] *Cum gratiarum actione* 15.XII.1567.

[85] *Altitudo divini consilii* 1.VI.1537. Pius IV anno 1562 legem de ieiunio et abstinentia etiam pro advenis hispanicis alleviavit, quia in quibusdam regionibus difficile erat comparare pisces. Cfr. *Charissimus in Christo filius* 12.VIII.1562. - Ad advenas (immigrantes) hispanicos etiam pertinebat vetitum Pii V certamina taurina in novo mundo peragendi, quia ea impedimentum habebat propagationis fidei apud Indos, qui iisdem offendi videbantur. Quapropter certamina taurina in Nova Hispania sub poena excommunicationis simpliciter prohibuit. Philippus II postea a successore Pii V petiit ut hoc vetitum tolleret. Gregorius XIII petitionem quidem accepit et certamina taurina iterum permisit, sed solummodo pro laicis et militibus, non autem pro clericis, quibus etiam in posterum sub poena excommunicationis prohibitum erat ne eiusmodi certaminibus interessent. Cfr. *Exponi nobis* 25.VIII.1575.

[86] *Licet Ecclesia Romana* 12.VIII.1562.

[87] *Romani Pontificis* 2.VIII.1571.

turbaretur [88]. Eadem die Papa Indis permisit, ut etiam tempore adventus et quadragesimae nuptias in ecclesia celebrarent, quod generatim non licebat, exclusis tamen pompa et strepitu, quae, ut notabat, apud illos ceteroquin solita non sunt. Alia sane causa huius licentiae inopia sacerdotum erat [89].

Exsecutio inceptorum missionariorum et pastoralium pro Ecclesiis novellis in novo mundo maxime quidem penes *episcopos* erat. In ipsos idcirco Summi Pontifices studium peculiare convertebant iisque quantum fieri poterat succurrere conabantur in munere explendo quod ipsos gravabat ecclesias construendi et curam pastoralem exercendi erga Indos per vastas regiones dissipatos atque erga advenas europaeos. Consulebant igitur ne sedes episcopales diutius vacarent utque episcopi quam primum officiis pastoralibus incumbere valerent. Difficultas sane pro prompta ordinatione episcoporum, qui e missionariis iam in novo mundo operantibus eligebantur, in eo erat quod prae distantiis immensis et numero adhuc exiguo dioecesium praescriptio canonica de pluribus episcopis pro ordinatione necessariis observari vix poterat. Propterea Pontifices permittebant ut pro ordinatione episcopali unus episcopus sufficeret, cui duo vel tres viri in dignitate ecclesiastica constituti, velut abbates, aut simplices quoque sacerdotes assisterent [90]. Quod si candidati electi in Europa morabantur, Pontifices instabant ut proprias dioeceses quantocius adirent et curam animarum assumerent, administrationem sacramentorum etenim, visitationes pastorales, praedicationem evangelii. Ita Gregorius XIII episcopos noviter nominatos obligabat, ut in primo transitu navium versus Indias Occidentales iter inirent [91].

Episcopi maiore ex parte e clero regulari proveniebant, at plures etiam e clero dioecesano Hispanico, velut sanctus Alfonsus Turibius de Mogrovejo, qui anno 1583 tertium Concilium Provinciale Limense convocavit, quod magnam vim habuit pro ulteriore Americae evangelizatione; ipse autem episcopatus Latino-americani Patronus nuncupatur.

In salutem animarum intenti Summi Pontifices episcopis in novo mundo facultates speciales pro absolutione peccatorum concedebant. Itaque episcopi etiam ab iis peccatis absolvere poterant, quae secundum ius ecclesiasticum Papae reservata erant, et quidem propter magnam distantiam inter Indias Occidentales et ipsam Urbem necnon ob

---

[88] *Romanus Pontifex* 12.VIII.1562. Cfr. *Dudum filius recordationis* 5.VI.1592.
[89] *Etsi Sedes Apostolica* 12.VIII.1562.
[90] Cfr. *Ex supernae* 11.VIII.1562 et multa alia documenta.
[91] *Cum praecepto divino mandatum* 28.II.1579.

communicationes inter eas admodum difficiles [92]. Excepta tamen erant homicidium, occisio infidelium in bello et bigamia. Ut curam animarum faciliorem redderent, Pontifices alias quoque episcopis amplas facultates concedebant, quae etiam simplicibus sacerdotibus subdelegari poterant. Ista quoque ratione occurrere volebant fidelibus recenter tantum in Ecclesiam receptis, qui *adhuc iugum Domini plene sufferre non didicerunt*, ut Pius V aliquando notavit [93], vel etiam ut *populorum quorumlibet quietem et commodum* curarent, sicut Gregorius XIII dixit [94]. Idcirco Pontifices etiam leges de iudiciis ecclesiasticis haud semel copiosas alleviabant.

Ne autem episcopi saepius ac diutius a dioecesibus propriis abessent atque ita a muneribus pastoralibus adimplendis arcerentur, Pontifices eos dispensabant ab officio visitationis *ad limina* in ipsa Urbe, quamvis iidem episcopi occasione ordinationis sese obligavissent ad hoc praeceptum ecclesiasticum diligenter adimplendum. Itaque episcopi pro hac visitatione *ad limina* perficienda ac pro relatione de more tunc reddenda procuratorem in Urbe vel in Europa residentem constituere poterant [95]. Tandem episcopi hoc officium non altero quoque anno implere debebant, sed quolibet quinquennio tantum.

Summos Pontifices vero Ecclesias novellas in novo mundo non tamquam supplementa vel regiones marginales Ecclesiae universalis habuisse, sed statim tamquam partes eius integrantes etiam inde apparet quod praescriptum Concilii Tridentini de synodis dioecesanis vel provincialibus celebrandis ab initio etiam ad Americam extenderunt atque applicaverunt. Etiam atque etiam episcopis qui synodum celebraverant gaudium et satisfactionem de ea re manifestabant eisque ob fructus inde haustos gratulabantur, quemadmodum Sixtus V anno 1586 archiepiscopo Mexicano post concilium provinciale [96], et Gregorius XIV anno 1591 archiepiscopo Limano [97]. Papae quidem magno solacio esse, Gregorius XIV hac occasione data rescripsit, in officio proprio perdifficili implendo cooperatores tam sollicitos in episcopatu habere. Etiam quod novi missionarii Societatis Iesu pro fide propaganda Peruviam adibant, Papam laetitia afficiebat. Episcopos Pius V pariter suos cooperatores habebat; iidem, ut primo anno sui pontificatus archiepiscopo Sancti Dominici (*Santo Domingo*) scripsit, *in sol-*

---

[92] *Cum sicut accepimus* 8.IX.1552 (pro Brasilia). *In supereminenti* 28.I.1561.
[93] *Exigit incumbentis nobis* 4.VIII.1569.
[94] *Exposuit debitum* 15.V.1573.
[95] *Romanus Pontifex* 12.VIII.1562; *Superna dispositione* 12.II.1563.
[96] *Literas eas* 23.VIII.1586.
[97] *Rediens ad nos* 27.V.1591.

licitudinis nostrae partem vocati... auxilium et adiumentum sunt [98]. Ipse quoque in his litteris de gravitate proprii officii necnon de alta sua responsabilitate pastorali locutus est.

Onus principale evangelizationis gentium in novo mundo *missionariis regularibus* ferendum erat. Summi Pontifices eorum activitatem promovebant et allevabant amplas ipsis facultates spirituales ac privilegia concedendo, et magno cum studio progressus et proventum praedicationis fidei prosequebantur. Concessio privilegiorum finem quoque habebat missionarios attrahendi eosque ad iter in novum mundum suscipiendum commovendi. Mirandum prorsus est, quot missionarios Hispania et Lusitania in terras noviter repertas miserint. Ita Clemens VII anno 1532 semel centum viginti (120) Fratribus Minoribus, septuaginta (70) Fratribus Praedicatoribus et decem (10) Hieronymitis, qui se ultro obtulerant, mandatum missionarium pro novo mundo contulit [99].

Hadrianus VI anno 1522 facultates spirituales, quae missionariis regularibus pro iis territoriis conferebantur, in quibus dioeceses nondum erectae erant, in sic dicta bulla *Omnimodam* comprehendit. Centum annis post Congregatio «de Propaganda Fide» noviter erecta, quae directionem supremam operis missionarii in mundo universo assumere debebat, ob amplissimas illas facultates, praesertim presbyterorum Societatis Iesu, propriam iurisdictionem praepeditam vel enervatam sentiebat, quapropter dubia de veritate illius bullae orta erant; sed Nuntius Matritensis, qui de ea re investigandi mandatum acceperat, exemplar bullae Hadriani VI explorare potuit [100]. Paulus III anno 1535 facultates spirituales regularium etiam ad territoria dioecesium iam erectarum extendit, ubi sane missionarii iisdem solummodo cum permissu episcoporum uti valebant [101].

Pontifices Romani simul constitutioni idoneae provinciarum religiosarum in novo mundo prospiciebant, quae distantiarum ingentium aliarumque conditionum localium rationem haberet [102]. Paulus III anno 1547 edixit sex fundationes conventuum sufficere ad provinciam sui iuris, quae provinciae in patria europaea non amplius subiecta esset, in novo mundo erigendam, etiamsi provincialis provinciae maternae, cui missionarii adhuc obnoxii erant, dissentiret [103].

---

[98] *Placuit omnipotenti Deo* 3.II.1566.

[99] *Exponi nobis* 19.X.1532.

[100] *Exponi nobis* 9.V.1522. Cfr. articulum a *Paventi* conscriptum in Studia Missionalia VII, 1952, 217-240.

[101] *Alias felicis* 15.II.1535.

[102] Cfr. *Pastoralis officii* 11.VII.1532; *Exponi nobis* 24.XI.1534; *Exponi nobis* 10.IV.1540.

[103] *Cum sicut nobis* 8.III.1547.

In Ordine Praedicatorum norma vigebat ut solum domus, quae quattuor saltem membris constabant, delegatum ad electionem provincialis mittere valerent. In Peruvia autem non omnes stationes missionariae numerum necessarium membrorum habebant. Paulus III anno 1546 permisit ut etiam conventus cum minus quam quattuor membris delegatum eligere et mittere possent, *respectum habentes, considerantesque, non omnia inibi ita solemniter, sicut in ceteris orbis partibus fieri posse* [104]. Pius V quoque exceptiones admisit et etiam decreta Concilii Tridentini pro America suspendit permittendo missionariis regularibus ut paroecias assumerent atque omnia officia parochi explerent, cauto tamen quod linguas Indorum novissent ac superiorum suorum permissionem haberent [105].

Favores speciales a Summis Pontificibus membris Societatis Iesu tributi sunt. Cum autem Papa quidam — cuius nomen traditum non est — promissa ipsis viva tantum voce fecisset, nonnulli episcopi de legimitate activitatis eorum ac de validitate sacramentorum, quae ipsi administrarent, dubitare coeperunt. Ut dubiis huiusmodi finem afferret, Pius IV documentum scriptum de ea re conficiendum curavit, in quo facultates adhuc ampliavit [106]. Pius V Societati Iesu primo pro sola India Orientali ac pariter viva tantum voce permisit, ut candidati ad sacerdotium *etiam extra tempora et interstitiis temporum non respectis,* immo et per annum ante aetatem canonicam impletam ordinari possent, cauto quidem quod solitae condiciones — indoles vel aptitudo personalis, studia praescripta, alia — servatae essent. Gregorius XIII has facultates ad Iaponiam, Brasiliam, Mexico, Peruviam atque Antillas extendit et documentum scriptum de iisdem conficiendum curavit [107]. Pius V fidelibus ecclesias vel sacella Societatis Iesu pio animo visitantibus indulgentias speciales concessit consuetis condicionibus lucrandas [108]. Gregorius XIII exemplum secutus missionariis Societatis pro quolibet die octavo septembris speciales facultates absolvendi pro decennio validas concessit [109]. Discipulis vero Societatis in Indiis Orientalibus et Occidentalibus necnon in Aethiopia permisit, ut etiam tempore interdicti ecclesiam adirent ibique missae sacrificio interessent, si a sacerdote Societatis celebrabatur. Omnibus

---

[104] *Cum sicut accepimus* 1.I.1546; cfr. BM II 1179.
[105] *Exponi nobis* 23 (al. 24.) III.1567.
[106] *Exuberans et indefessus* 15.VI.1563. Easdem facultates Gregorius XIII confirmavit: *Provisionis nostrae* 28.XI.1576.
[107] *Sane comprobata vestra* 15.I.1577.
[108] *Cupientes pro dispensatione* 15.XII.1567.
[109] *Die duodecima augusti* 6.I.1579.

autem fidelibus in missionibus Societatis indulgentias speciales concedebat, quoties processionibus intererant, infirmos visitabant iisque inserviebant, rosarium recitabant vel pro fidei propagatione preces fundebant [110]. Gregorius XIII in litteris commendaticiis pro membris Societatis ad episcopum Cuschensem (*Cuzco*) datis eorum *opera fidelissima et fructuosissima* in ministerio propagationis fidei laudibus extulit [111].

Ex eo quod Summi Pontifices instabant, ut optimi tantum missionarii, et qui bene instructi essent, in novum mundum mitterentur, concludere licet infausta quoque exempla reperta esse. Revera eveniebat, quod missionarii regulares fidei quidem propagandae causa Indias Occidentales adibant sed post aliquod tempus habitum deponebant et ordinem derelinquebant. Alii missiones in America expetebant ut sese oboedientiae superioribus debitae subtraherent ac maiore libertate frui possent. Quibus Clemens VII poenis ecclesiasticis comminatis imperavit ut in provincias patrias redirent [112]. Regulares apostatas quoque, qui cum magno scandalo Indorum neoconversorum negotiis saecularibus indulgebant et divitias accumulabant, Gregorius XIII e novo mundo removere, in conventus patrios remittere ibique punire iussit [113]. Aliquando etiam eveniebat quod regulares etsi non apostatae negotiis operam dabant quibus sibi divitias compararent, quas in Hispaniam reversi propriis familiaribus tribuerent vel in alios fines illecitos verterent. Propterea Pius IV omnibus missionariis nomine quidem oboedientiae et gravibus poenis ecclesiasticis comminatis prohibuit, ne forte in Europam revertentes maiorem pecuniam ex America exportarent et in Hispaniam transferrent quam ipsis in itinere maritimo opus esset. Antequam navim ascendebat quivis missionarius propriis superioribus declarationem tradere debebat de pecunia quam secum portabat. Superior vero permissum scriptum pro exportatione dabat, quod auctoritatibus civilibus exhibendum erat. Quod si istae in examinatione pecuniam non declaratam reperiebant, occupanda erat [114].

Aliud argumentum satis ingratum de propagatione fidei in novo mundo primo saeculo evangelizationis frequentes controversiae circa iurisdictionem inter episcopos et missionarios regulares erant, quas Summi Pontifices identidem dirimere debebant, ne actio pastoralis

[110] *Ibidem.*
[111] *In multis maximisque* 13.V.1578.
[112] *Dudum per nos* 17.V.1533.
[113] *Ad compescendum* 14.V.1578.
[114] *Provida sedis apostolicae solertia* 12.VIII.1562.

praepediretur. Re quidem vera amplae facultates missionariis regularibus concessae initio evangelizationis prorsus necessariae erant, quia non statim et ubique episcopi tamquam Ordinarii locorum iurisdictione congruenti ditati exstabant. Intra dioeceses sane missionarii regulares facultatibus spiritualibus solummodo episcopis consentientibus uti poterant, quod non ab omnibus regularibus observabatur. Eveniebat etiam quod iidem missionarios ab episcopo missos in proprio territorio non admittebant vel excommunicatos ab episcopo suo arbitratu absolvebant, id est auctoritatem episcopalem in suo territorio non agnoscebant. Idcirco Pius V aliquando provinciali Augustinianorum in Nova Hispania litteras sat graves mittendas curavit eique imperavit, ut haec incommoda aboleret; ultimo tamen litteras utpote nimis severas non expedivit [115]. In aliis litteris eadem die ad episcopum in *Mechoacán* datis ipse Papa explicavit cur privilegia Augustinianorum retractare noluerit: illos quidem primos in illa regione missionarios fuisse, optime meritos esse de evangelizatione, episcopum vero alios missionarios, quibus Augustinianos suppleret non habere, adeo ut iisdem etiam in posterum indigeret [116].

Pius V, ipse ordinis religiosi sodalis, missionariis regularibus libenter obveniebat. Ita Fratribus Praedicatoribus in Peruvia permisit, ut ministerium pastorale exercerent [117]. Episcopi regionis autem hanc permissionem in controversiam vocabant et in ipsa Urbe contra eandem reclamabant arguendo regulares pro ministerio pastorali ordinario licentia episcopi indigere. Gregorius XIII, Pii V successor, iisdem assentitus edixit missionarios regulares vi decretorum Concilii Tridentini pro ministerio pastorali ordinario exercendo consensu episcopi egere ac documentum Pii V abolevit. Gregorius XIV vero ad rationem agendi Pii V reversus missionariis regularibus exercitium ministerii pastoralis ordinarii iterum permisit, episcopis dissentientibus autem poenas ecclesiasticas minatus est [118]. Clemens VIII Fratres Minores in Peruvia ab episcopis defendit, qui patres in stationibus missionariis singillatim operantes tamquam extra conventum commorantes reputaverant atque ideo poenas congruentes a Concilio Tridentino decretas incurrisse declaraverant. Clemens VIII hanc interpretationem decretorum Concilii refellit, quia missionarii de mandato ipsorum superiorum agebant, postulavit autem, ut missionarii qui singillatim vivebant, sese semel saltem in anno coram superioribus propriis siste-

[115] *Omnipotentis Dei* 2.IV.1570.
[116] *Ex literis tuis* 2.IV.1570.
[117] *Exponi nobis* 24.III.1567.
[118] *Quantum animarum cura* 16.IX.1591.

rent; episcopis vero id recusantibus poenam *indignationis nostrae* minabatur [119]. Ut rixas ac discidia inter membra eiusdem provinciae ordinis praepediret, Sixtus V decrevit, ut visitatoribus provinciae hoc mandatum conferre non liceret nisi provinciali ac definitoribus capituli consentientibus aut numero maiore membrorum provinciae id postulantibus. Evenerat enim quod uno solo membro postulante visitatores pro provincia Fratrum Praedicatorum in Peruvia nominati erant, quod sane, ut facile intelligitur, discordiam in ipsa provincia provocaverat [120]. Ut Fratres Praedicatores in Peruvia munera missionaria absque impedimentis explere valerent, Innocentius IX eos a tributo pro seminario solvendo aliisque taxis liberavit [121].

Nominatio superiorum pro domibus regularibus canonice erectis vi patronatus missionarii ipsi patrono competebat. Pius V conatus erat hoc ius coercere, sed eius successor Gregorius XIII regi lusitano privilegia anteriora pro Brasilia, India et Guinea restituit, postulando quidem ut digni tantum atque idonei superiores nominarentur [122].

Vitam religiosam etiam contemplativam introducendam Summi Pontifices adiumentum magni momenti pro religione christiana ingeneranda necnon partem necessariam Ecclesiarum novellarum habebant. Iam Paulus III in diversis scriptis ad Las Casas missis instíterat ut vita religiosa in novo mundo introduceretur, quod non solum pro ordinibus virorum valebat, sed etiam sanctimoniales seu mulieres regulares respiciebat [123]. Pius V, qui propagationem fidei desiderium cordis fovebat, ut ipse dixit, in illas studium maximum convertit. Ita cum Fratres Minores in urbe *México* una cum laicis devotis monasterium monialium erexissent et a Pontifice eiusdem approbationem ab archiepiscopo quoque commendatam expeterent, Pius V fundationem cum gaudio confirmavit atque omnibus membris communitatis, novitiis inclusis, indulgentiam plenariam in articulo mortis lucrandam concessit, et insuper indulgentias partiales pro omnibus qui in die festo S. Clarae ecclesiam monasterii pie visitantes ibi pro fidei propagatione preces funderent. Moniales quidem regulam S. Clarae et clausuram papalem observabant [124]. Anno 1572 Pius V monialibus omnium monasteriorum in Peruvia in die festo proprii patroni indulgentiam plenariam *in forma jubilaei* concessit, quemadmodum et sacerdotibus

[119] *Quamquam vos* 23.IX.1592.
[120] *Quae regularium personarum* 23.VII.1588.
[121] *Cum isthic* 5.XII.1591.
[122] Cfr. *Dum intra mentis* 16.I.1574.
[123] *Cum nos nuper* 14.II.1544; *Cum sicut accepimus* 14.II.1544.
[124] *Exigit incumbentis* 12.III.1569. Cfr. *Quod a nobis* 2.IV.1570.

eo die in earum ecclesiis missam celebrantibus necnon fidelibus missae sacrificio assistentibus [125]. Gregorius XIII initio sui pontificatus fundationem monasterii monialium Ordinis Praedicatorum in *Oaxaca* (*Antequera*) ab episcopo loci peractam salutavit [126] atque Ordinem Sororum a Conceptione Immaculata Mariae in *México* a Fratribus Minoribus aliisque missionariis regularibus defendit, qui se negotiis earum nimis interposuisse videbantur. Moniales tunc solius archiepiscopi auctoritati subiecit, ut in scripto de ea re communicavit [127]. Alteram nactus occasionem idem Pontifex edixit, se studium peculiare monialibus debere, quippe quae partem in propagatione fidei assumerent vel pro eadem preces funderent. Quapropter anno 1584 monasterium monialium Ordinis Cisterciensis in urbe *Lima* fundatum, quod Sanctissimae Trinitati dedicatum erat, confirmavit atque insimul decrevit, ut etiam sex puellae pauperes, et quidem gratis, admitterentur. Istae moniales vitam contemplativam agebant, quare Pontifex earum munus principale orationem pro conversione Indorum cupiebat [128].

Praeter *sacerdotes* regulares *saeculares* quoque seu dioecesani partem in propagatione fidei in America habebant, etiamsi horum activitas minus nota est et vix ulla documenta pontificia de iis allegari possunt. E scripto Clementis VII sane, anno 1531 edito, discimus in insula *Cuba* tunc pauciores tantum, sed aliquos saltem sacerdotes saeculares fuisse, quibus episcopus paroecias iam exstantes vel mox erigendas tamquam pastoribus ordinariis concredere posset. Quapropter episcopus a Papa licentiam expetivit et obtinuit regularibus quoque sacerdotibus paroecias committere [129]. Paulus III vero anno 1540 sacerdoti hispanico Francisco de Savier e dioecesi Pampilonensi ac sacerdoti lusitano Simon Roderici (Simão Rodrigues) e dioecesi Visensi (*Viseu*) facultates spirituales speciales contulit eosque suos legatos nominavit [130]. Etiam Christophorus de Torres e dioecesi Illerdensi (*Lérida*), de quo mox in contextu venerationis reliquiarum sermo recurret, sacerdos saecularis erat. Praeter sacerdotes saeculares autem, qui ex Europa ad Americam venerant, in dioecesibus novi mundi seminaria ad sacerdotes saeculares instituendos erecta sunt. Candidati ad sacerdotium quidem plurimum e familiis advenarum europaeorum

---

[125] *Divina disponente clementia* 20.VII.1571.
[126] *Inter universa* 15.X.1572.
[127] *Inter caetera cordis nostri* 6.I.1579.
[128] *Apostolici muneris* 27.VI.1584.
[129] *Exponi nobis nuper fecisti* 31.I.1531.
[130] *Cum sicut carissimus* 27.VII.1540; *Hodie pro parte* 2.VIII.1540. Sanctus Franciscus Xaverius et Simon Rodrigues, sacerdotes futurae Societatis Iesu.

- praecipue hispanicorum et lusitanorum - proveniebant. Pius IV anno 1563 episcopis in Brasilia permisit tempus institutionis clericorum brevius facere et candidatos ordinare iam antequam aetatem canonicam attigissent, ut magnae sacerdotum inopiae obveniretur. Ita iuvenibus sexdecim annos natis ordinem subdiaconatus conferre valebant, duodeviginti annos natis diaconatum, viginti tres annos natis ordinem presbyteratus [131]. Pius V laeto animo nuntium accepit episcopum dioecesis *Oaxaca* seminarium erigere, quod triginta clericos recipere posset. Episcopo idcirco gratulatus est eumque monuit, ut institutioni sacerdotum maximum momentum tribueret [132]. Cum novisset episcopum pecunia carere ad constructionem seminarii perficiendam, petitionem urgentem Philippo II porrexit, ut subsidiorum copiam faceret [133]. Impedimentum gravissimum nuntii christiani in novo mundo plantandi inopia quasi totalis *sacerdotum indigenarum* erat. Alterum quod accedebat impedimentum in eo erat quod non omnes sacerdotes europaei nec qui albi in America nati erant, linguas seu idiomata Indorum sciebant. Idcirco tam in praedicando quam in confessionibus audiendis saepius interprete uti coacti erant. Solutio sane maxime obvia huius difficultatis ordinatio sacerdotum indigenarum fuisset, sed ordinatio sacerdotalis ipsorum Indorum nondum acceptabilis putabatur [134]. Ordinationi autem hominum mixtorum aliud impedimentum obstabat, cum plurimi eorum illegitimi essent. Gregorius XIII difficultatem perspectam habebat atque anno 1576 *propter maximam sacerdotum, qui idioma Indorum sciant penuriam* episcopis amplas facultates dispensandi tribuit, ut etiam mixtos illegitimos sacerdotes ordinare valerent. Postulavit tamen ut digni tantum candidati et qui linguas scirent ordinarentur [135].

Pius V aliquando dixit in novo mundo *tot sunt idiomata quot oppida*, quatenus unaquaeque stirps Indorum proprio sermone utebatur. Comprehendebat quidem missionarios non omnes illas linguas vel idiomata addiscere posse. Ut difficultates quae inde pro ministerio pastorali proveniebant aliquatenus leniret permisit, ut sacerdotes in audiendis confessionibus interprete uterentur, conscius tamen hoc non

---

[131] *Superna dispositione* 12.II.1563.

[132] *Dilectum filium* 2.IV.1570.

[133] *Quo magis* 2.IV.1570.

[134] Cfr. *J. Specker, SMB*, Der einheimische Klerus in Spanisch-Amerika im 16. Jahrhundert. In: Der einheimische Klerus in Geschichte und Gegenwart. Festschrift P. Dr. Laurenz Kilger OSB zum 60. Geburtstag dargeboten (Schöneck-Beckenried 1950) 73-97.

[135] *Nuper ad nos* 25.I.1576.

esse nisi subsidium ultimum [136], solutionem optimam vero in eo esse ut sacerdotes indigenae popularibus sermone proprio ministerium pastorale praestarent [137].

Sollicitudo missionaria et pastoralis Summorum Pontificum pro Ecclesiis novellis in novo mundo etiam apparet ex parte quam habebant in *pietate populari*, quam favoribus spiritualibus, ut indulgentiis, promovere conabantur. Mentione dignae hac in re sunt prae aliis numerosae *confraternitates*, quas missionarii ubique erigebant, et quae laicos tantum, viros et mulieres, tamquam membra admittebant; immo nonnullae confraternitates a laicis ipsis erectae sunt.

In altera potissimum dimidia parte saeculi decimi sexti aucta sunt documenta, quibus Summi Pontifices confraternitates in Ecclesiis novellis novi mundi ubique erectas approbabant iisque indulgentias precibus expetitas liberaliter concedebant. Documenta pontificia quae ad eam rem pertinent testimonia manifesta sunt pietatis popularis Ecclesiarum novellarum Americae, quam Pontifices fovere conabantur. Modo vivido res ad statum socialem necnon cultum et humanitatem pertinentes in novo mundo demonstrant, quae praecipue e condicionibus sumi valent, quas Pontifices pro indulgentiis lucrandis statuebant. Sed in istis condicionibus necessitates communes quoque expressae sunt, quibus Pontifices fideles Ecclesiarum americanarum ad modum sentiendi universalem inducere volebant.

Confraternitates tunc erectae erant vel in honorem Sanctissimae Trinitatis, Sanctissimi Salvatoris et Spiritus Sancti, vel Matris Dei et Sacri Rosarii, vel sub invocatione Sanctissimae Crucis, Sancti Michaelis Archangeli, Sancti Ioseph, Sanctorum Petri et Pauli, Andreae, Iacobi, Sebastiani, Antonii, Cosmae et Damiani, Gregorii Papae, Nicolai de Tolentino, Crispini et Crispiniani, Sanctarum Annae, Luciae, Catharinae virginis et martyris, et aliae.

Inter condiciones vero, quas ad indulgentias lucrandas adimplere oportebat, praeter consuetas et generaliter necessarias aliae quoque reperiebantur velut sequentes: pro sanctae fidei propagatione, pro matris Ecclesiae exaltatione, haeresium extirpatione et haereticorum reductione, id est pro unitate Ecclesiae, pro mutua inter christianos principes servanda pace preces fundere; praeterea adhortationes appositae velut: pauperes puellas dotare vel matrimonio collocare, pauperes peregrinos hospitio suscipere et officiis adiuvare, pacem cum inimicis propriis vel alienis componere, infirmos consolari, apostatas ad

[136] *Cum sicut accepimus* Cfr. doc. 277.
[137] Cfr. *Ex literis tuis* 2.IV.1570.

viam salutis reducere, catechumenos instruere, funeribus vel processionibus interesse, ecclesias visitare, in quibus confraternitates erectae erant, ibique preces fundere, et alia.

Iterum ac saepius in rescriptis pontificiis statuitur, huiusmodi confraternitates non tantum pro fidelibus familiarum erectas esse, quae ex Europa immigraverint, sed etiam pro Indis utriusque sexus ac cuiusvis condicionis, necnon pro mauris seu nigris.

Ita verbi gratia Pius V anno 1569 confraternitatem sub invocatione Sanctae Luciae in civitate *México* erectam approbavit, quae in domo monialium a Sancta Clara sedem habebat. Laicus, cui nomen Didacus de San Roman cum aliis laicis de fundatione bene meritus erat atque approbationem a Summo Pontifice expetiverat [138]. Maxime sane populares erant confraternitates in honorem Beatae Virginis Mariae erectae atque inter istas confraternitates a Rosario dictae. Pius V anno 1570 confraternitati huius nominis in civitate *México* erectae indulgentias speciales largitus est [139].

Indis confraternitates a Rosario imprimis acceptae erant. Festa Matris Dei et praesertim festum Beatae Mariae Virginis a Rosario prima dominica octobris solemniter celebrabantur. Gregorius XIII membris indulgentiam plenariam concessit, quam consuetis condicionibus in ipso die festo lucrari poterant, et alias indulgentias partiales [140].

Idem Pontifex anno 1580 confraternitatem approbavit in loco *Porco*, in Peruvia, apud ecclesiam sancti Bartholomaei erectam [141] aliamque in *Potosí*, pariter in Peruvia, quae opera caritatis exercenda sibi finem specialem proposuerat; membris eiusdem Papa indulgentiam plenariam in die admissionis in confraternitatem et in hora mortis lucrandam concessit. Indulgentiam centum dierum membra lucrari poterant, cum in ecclesia confraternitatis ritibus sacris assistebant, vel processioni aut funeri intererant, infirmos visitabant vel alia opera caritatis exercebant. Tandem membris ipsis et omnibus fidelibus indulgentiam plenariam concedebat, cum die octava decembris necnon feria quinta Hebdomadae Sanctae altare Conceptioni Immaculatae in ecclesia confraternitatis dicatum pie visitabant ibique preces pro pace fundebant [142].

Eodem anno 1580 Pontifex alteram confraternitatem in *Parto*, in

[138] *Cunctorum mortalium* 12.III.1569.
[139] *Literas tuas* 2.IV.1570.
[140] *Desiderantes cunctorum* 22.III.1580.
[141] *Cum sicut accepimus* 9.VI.1580.
[142] *Cum sicut accepimus* 9.VI.1580.

Peruvia, approbavit [143]. Anno 1582 secuta est approbatio confraternitatis in urbe *Lima*, quae in ecclesia s. Marcelli pro agricolis et operariis rusticis erecta erat [144], anno 1583 vero confraternitatis a sancta Cruce in urbe *México*, quam Fratres Praedicatores erexerant et quae iam ab archiepiscopo approbata erat. Pontifex eandem iterum ex auctoritate apostolica approbavit, quia rogatus erat, ac membris indulgentiam plenariam concessit ipso die admissionis ad confraternitatem et feria sexta in Passione Domini consuetis condicionibus lucrandam, necnon indulgentias partiales aliis diebus et certis datis occasionibus lucrandas, ut processionum quibus interessent, si in iis preces pro fidei propagatione et praesertim pro conversione Indorum fundebant [145].

In pietate populari fidelium Ecclesiarum novellarum Americae Latinae ab initio veneratio Matris Dei priores partes habebat. Iam versus annum 1530 Fratres Praedicatores in propria ecclesia in urbe *México* sacellum a Rosario erexerunt; pro iis qui hoc sacellum adibant a Summo Pontifice favores spirituales speciales atque indulgentias expetiverant et obtinuerant, si ibidem pio animo precabantur [146]. Pius V anno 1570 idem pro eo sacello a Rosario fecit, quod tum quidem medicus López petierat [147]. Anno 1531, uno quidem anno postquam primum illud sacellum a Rosario erectum est, ipsa Mater Dei Indo Juan Diego in loco *apparuit*, ubi nunc *Guadalupe* exstat, maximum sanctuarium marianum in America Latina.

Reliquiarum quoque veneratio acceptissima erat, quod iam e scripto apparet, quod Clemens VII anno 1531 ad Patriarcham Indiarum Occidentalium misit [148]. Anno 1570 sacerdos saecularis hispanicus Christophorus de Torres, qui missionarius in Peruvia erat, Romam venit, ut e monasterio ad Tres Fontanas reliquias sanctorum acquireret. Licentiam a Papa expetivit, quam etiam obtinuit, ea sane condicione ut reliquiae modo decoro et digno asservarentur [149]. Iste sacerdos Torres tempora sat gravia viderat. Propriis sumptibus in Pe-

---

[143] *Cum sicut accepimus* 10.VI.1580.

[144] *Cum sicut accepimus* 1.II.1582.

[145] *Pietatis ac christianae caritatis opera* 22.XI.1583.

[146] (*Cum itaque dilectus*) 2.XII.1530.

[147] *De salute gregis dominici* 1.IV.1570. Idem medicus aliquando coram Summo Pontifice conquestus est, quod «Gloria Patri» post tria cantica «Nunc dimittis», «Magnificat» et «Benedictus» solummodo voce compressa recitabatur. Pius V idcirco archiepiscopo consilium dedit, ut hunc versum clara voce cantandum curaret, tacentibus tamen organis: *Literas tuas* 2.IV.1570 et *Quorundam istius provinciae* eiusdem diei.

[148] *Cum sicuti nobis* 15.X.1531.

[149] *In supereminenti* 11.IX.1570. Cfr. *Sacrosanctae Romanae Ecclesiae* 12.X.1570.

ruvia, in regione ubi duae tantum paroeciae exstabant, sed plurimi Indi adhuc instruendi ac convertendi erant, ecclesiam et conventum erexerat et Fratribus Praedicatoribus tradiderat. Summus Pontifex illam ecclesiam in paroeciam erexit ac tres confraternitates ab eodem sacerdote Torres erectas approbavit. Sacerdotes autem paroeciarum antea erectarum - invidia ut videtur permoti - nonnullis Indis auxilium ferentibus fundationes a dicto Torres perfectas destruxerunt, ecclesiam et conventum solo aequando. Concilium Limanum quidem, annis 1567/68 celebratum, sacerdotes invidiosos condemnavit, uti exspectatum erat, sed isti ad Curiam Romanam recurrisse videntur. Quapropter ipse Torres Romam profectus est, ubi Pius V ambos sacerdotes iterum ad restitutionem praestandam condemnavit. Sixtus Papa V postea instituit ut verae tantum et fide confirmatae reliquiae sanctorum ex Urbe ad Americam transferrentur ibique pro fidelium veneratione digne asservarentur. Pro devota reliquiarum veneratione indulgentias consuetis quidem condicionibus lucrandas concessit, dummodo fideles simul pro pace, pro expugnatione haeresium, pro fidei propagatione et pro ipsa Ecclesia preces funderent [150]. Archidiacono dioecesis *Michoacán*, Christophoro de Vadillo, qui reliquias expetiverat, Pontifex excommunicatione latae sententiae comminata imperavit, ut reliquias digne asservandas curaret [151].

Quemadmodum in Ecclesiis antiquioribus Europae eius temporis ita etiam in Ecclesiis aetate minoribus Indiarum Occidentalium studium ope indulgentiarum remissionem poenarum temporalium pro peccatis - ad culpam quod attinet iam deletis - obtinere nota propria pietatis popularis erat. Ita Ludovicus Villanova, auditor et senator regius in civitate *México*, in ecclesia sancti Augustini sacellum exstruxit atque a Summo Pontifice indulgentias speciales expetivit pro fidelibus, qui hoc sacellum adirent [152]. Gregorius XIII indulgentias speciales iis omnibus largitus est, qui infirmos visitabant atque adiuvabant, neophytos instruebant et pro ipsis precabantur, tertiam partem Rosarii recitabant aut processionibus intererant, in quibus preces pro propagatione fidei fundebantur [153].

Incepta pastoralia et missionaria Summorum Pontificum non solum ad propagationem fidei et curam animarum respiciebant, sed etiam ad *promotionem* spiritualem et materialem gentium in novo

[150] *Cum sicut accepimus* 13.IX.1589.
[151] *Ibidem*.
[152] *Literas tuas* 2.IV.1570.
[153] *Unigeniti Dei filii redemptoris* 8.IX.1573.

mundo, quae evangelizabantur. Prae aliis educatio atque institutio iuvenum ipsis cordi erat, adeo ut missionarii ubique scholas populares erigendas curarent. Fratres Praedicatores vero in civitate *Santo Domingo* mox etiam Studium Generale erexerant, quod ipsis petentibus Paulus III die 28 octobris 1538 Universitatem constituit cum omnibus privilegiis Universitatis in *Alcalá* propriis [154]. Pius V die 25 iulii 1571 fundationem Universitatis in urbe *Lima* approbavit [155]. Ipse quoque institutionem scholasticam superiorem partem activitatis missionalis habebat. Gregorius XIII eam rem expressis verbis declaravit anno 1580 in bulla, qua Universitatem Fratrum Praedicatorum in civitate *Sancta Fe de Bogotá* erexit [156]. Alia proposita vel incepta promotionis humanae ad constructionem valetudinariorum aliorumque hospitiorum attinebant, in quae pauperes, infirmi vel inopes recipiebantur, ut in *Panamá*, ubi Mercedarii his muneribus operam dabant [157]. Quod Pius V etiam vestitui Indorum tamquam elemento cultus humani magni momenti studium praebuerit, cum mente temporis convenit atque ab iis qui moribus ethnicis investigandis incumbunt male intellegi non deberet. Ita episcopum dioecesis *San Salvador* monuit cavere, ne Indi nudi incederent, sed vestiti. Simul autem consilium dedit ut in hac re lente procederet et patientia uteretur, cum Indi recenter tantum in Ecclesiam recepti sint [158].

Sollicitudinem de adiumentis pecuniariis non solum pro ecclesiis et seminariis exstruendis, sed etiam pro scholis et valetudinariis Summi Pontifices ratione patronatus missionarii magna ex parte patronis in Hispania et Lusitania relinquere poterant, prospicientes sane, ut isti proprias obligationes adimplerent. Generatim saeculo decimo sexto ad hoc quod attinet ipsa quidem gubernia in capitibus regni constituta admonere necessarium non erat. Eveniebat autem quod officiales inferiores in America pecuniam pro Ecclesia destinatam intercipiebant. De hac re discimus e scripto Pii V anno 1570 edito. In *Oaxaca* aerarium civile decimas, quas fideles pro ecclesia sustentanda contribuebant, exegerat et retinuerat, ita ut episcopus constructionem seminarii iam inceptam perficere non posset. Quapropter Pontifex Nuntium suum in urbe Matritensi rogavit, ut rem ad regem deferret [159] atque scripto praelaudato de re regem insuper ipse adiit.

---

[154] *In apostolatus culmine.*
[155] *Exponi nobis nuper fecistis.*
[156] *Romanus Pontifex* 13.VI.1580.
[157] *Pastoralis offitii debitum* 13.I.1571.
[158] *Etsi fraternitatem tuam* 6.VII.1569.
[159] *Magno cum animi* 2.IV.1570.

Sub finem saeculi Gregorius XIII, quemadmodum iam Pius V, praedecessor eius, per Nuntium Matritensem regi hispanico proposuit ut Nuntium pro Indiis Occidentalibus constitueret, qui inibi resideret. Rationem quidem allegavit necessitatem melioris curae pastoralis pro Ecclesiis novellis necnon abolitionis abusuum, quorum missionarii religiosi auctores erant. Sed ratio profundior erat abolitio ipsius patronatus hispanici missionum, cuius incommoda in Urbe semper clarius cognoscebantur, praesertim quidem permixtio perniciosa expansionis politico-colonialis et propagationis fidei. Iam eius decessor Pius V ac deinde ipse conatus erat propagationem fidei et negotia missionum commissioni Cardinalium committere, sed ob repugnantiam coronae hispanicae conatus naufragium fecerant. Illa enim Summo Pontifici ac Cardinalibus auctoritatem directam in evolutionem ecclesiasticam in America nullatenus concedere volebat. Omnes coniunctiones Curiae cum iis regionibus per Matritum procedere debebant. Nuntius propositum pontificium regi sumministravit, sed pro responso nonnisi subterfugium recepit. Posteriores quoque interventus Pontificis de eadem re in cassum cesserunt [160].

---

[160] Segr. Stato, Spagna 22 fol. 153r-154r, 175rv, 450v; *Leturia*, Relactiones I 84, 91; *Serrano*, Correspondencia II 350; *Borges*, La Nunciatura 169-227.

ABBREVIATIONES ET SIGLA

A.A.	Archivum Arcis
Acta Cam.	Acta Camerarii
al.	alias
Arm.	Armarium (Armadio)
AP	Archivum Congregationis de Propaganda Fide
ASV	Archivum Secretum Vaticanum
BM	R. Streit, OMI, Bibliotheca Missionum
Bull. Patr.	Bullarium Patronatus Portugalliae Regum, in Ecclesiis Africae, Asiae atque Oceaniae Bullas, Brevia... amplectens
Bull. Praed.	Th. Ripoll, OP, Bullarium Ordinis FF. Praedicatorum
Bull. Rom.	Bullarum, Diplomatum et Privilegiorum Romanorum Pontificum. Taurinensis Editio
Cam. Apost.	Camera Apostolica
Cfr.	Confer
Div. Cam.	Diversa Cameralia
Ep. ad Princ.	Epistolae ad Principes
Ibid.	Ibidem
Misc.	Miscellanea
Oblig. et Sol.	Obligationes et Solutiones
Reg. Lat.	Registra Lateranensia
Reg. Matrim.	Registrum Matrimoniorum
Reg. Vat.	Registra Vaticana
SCPF	Sacra Congregatio de Propaganda Fide
Sec. Brev.	Secretaria Brevium
Sec. Cam.	Secretaria Camerae
Segr. Stato	Segreteria di Stato
SOCG	Scritture Originali riferite nelle Congregazioni Generali

BIBLIOGRAPHIA

Annotatio: Pro elenco bibliographico magis completo confer volumina operis «Bibliotheca Missionum» necnon editionis periodicae «Bibliographia Missionaria».

AA.VV., Actas del I Congreso Internacional sobre los Dominicos y el Nuevo Mundo. Sevilla, 21-25 de abril de 1987. V Centenario del descubrimiento de América. Madrid 1988.

AA.VV., Actas del II Congreso Internacional sobre los Franciscanos en el Nuevo Mundo (siglo XVI). La Rábida, 21-26 de septiembre de 1987. In: Archivo Ibero-Americano 48 (Madrid 1988) 1-989.

AA.VV., Don Vasco de Quiroga y el Arzobispado de Morelia. México 1965.

Aguado Spencer, Rafael, Don Vasco de Quiroga. Documentos. México 1939.

Albuja Mateo, Augusto E., Doctrinas y parroquias del obispado de Quito en la segunda mitad del siglo XVI. Madrid 1961.

— —, El Obispado de Quito en el siglo XVI. In: Missionalia Hispanica 18 (Madrid 1961) 161-209.

Andrade Veiga, Eugênio de, Os párocos no Brasil no período colonial (1500-1822). Bahía 1977.

André-Vincent, Ph. I., OP, Bartolomé de Las Casas, prophète du Nouveau Monde. Paris 1980.

— —, Las Casas, apôtre des Indiens. Paris 1975.

Aparicio, Severo, O. de M., Los mercedarios de América y la redención de cautivos. Siglos XVI-XIX. In: Analecta Mercedaria 1 (Romae 1982) 1-56.

Arancibia Salcedo, Raimundo, El seminario de Santiago 1584-1984.

In: Anuario de Historia de la Iglesia en Chile 2 (Santiago de Chile) n. 2 p. 9-36.

Armas Medina, Fernando de, Cristianización del Perú 1532-1600. Prólogo de Vicente Rodríguez Casado. Sevilla 1953.

Aznar Gil, Federico R., La introducción del matrimonio cristiano en Indias. Aportación canónica (s. XVI). Salamanca 1985.

Baronius C. - Raynaldus O., Annales Ecclesiastici, Parisiis 1887.

Barriga, Victor M., O. de M., Los Mercedarios en el Perú en el siglo XVI. 1526-1590. Vol. IV, Arequipa 1953. Vol. V, Arequipa 1954.

Bartra, Enrique T., SI (ed.), Tercer Concilio Limense 1582-1583. Versión castellana original de los decretos con el sumario del segundo Concilio Limense. Lima 1982.

Batllori, Miguel, SI, Del Descubrimiento a la Independencia. Estudios sobre Iberoamérica y Filipinas. Caracas 1979.

Baum, A., Die Demarkationslinie Papst Alexanders VI. und ihre Folgen. Köln 1890.

Beristáin de Souza, José Mariano, Biblioteca hispanoamericana septentrional, o catálogo y noticias de los literatos que, o nacídos o educados o florecientes en la América Septentrional española, han dado a luz algún escrito o lo han dejado preparado para la prensa, 1521-1850. 5 voll. México 1947.

Biermann, Benno, OP, Die ersten Dominikaner in Amerika. In: Missionswissenschaft und Religionswissenschaft (Münster 1947/48) 57-65, 107-121.

— —, Die ersten Missionen Amerikas. In: 50 Jahre Kath. Missionswissenschaft (Münster 1961) 115-130.

Blair, Emma Helen - Robertson, James Alex., The Philippine Islands 1493-1803. Cleveland 1903-1909. 55 voll.

Borges Morán, Pedro, Análisis del Conquistador espiritual de America. Sevilla 1961.

— —, El envío de misioneros a América durante la época española. Salamanca 1977.

— —, Metodos Misionales en la Cristianización de America Siglo XVI. Madrid 1960.

— —, La Nunciatura Indiana. Un intento pontificio de intervención directa en Indias bajo Felipe II, 1566-1588. In: Missionalia Hispanica 19 (Madrid 1962) 169-227.

— —, La Santa Sede y América en el siglo XVI. In: Estudios Americanos 21 (Sevilla 1961) 141-168.

— —, Vasco de Quiroga en el ambiente misionero de la Nueva España. In: Missionalia Hispanica 23 (Madrid 1966) 297-340.

Bravo Ugarte, José, Diócesis y Obispos de la Iglesia Mexicana 1519-1965. México [2]1965.

Bullarium Fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci strictioris observantiae Discalceatorum I. Matriti 1744.

Bullarium Patronatus Portugalliae Regum in Ecclesiis Africae, Asiae atque Oceaniae Bullas, Brevia... amplectens curante Levy Maria Jordão... I-III, Olisipone 1868-1873; Appendice 1876.

Bullarum, Diplomatum et Privilegiorum Sanctorum Romanorum Pontificum. Taurinensis Editio. 24 voll. Augustae Taurinorum 1857-1872.

Burrus, Ernest J., SI, Alonso de la Veracruz's defense of the American Indians 1553-1554. In: Heythrop Journal IV (Oxford 1963) 225-253.

— —, Key decisions of the 1541 Mexican Conference. In: Neue Zeitschrift für Missionswissenschaft 28 (Schöneck 1972) 253-263.

— —, Pius V and Francis Borgia: their efforts on behalf of the American Indians. In: Archivum Historicum Societatis Iesu 41 (Romae 1972) 207-226.

— —, The third Mexican Council (1585) in the light of the Vatican Archives. In: The Americas XXIII (Washington 1967) 390-407.

Cárdenas y Cano, Gabriel de, Ensayo Cronológico para la Historia General de la Florida. Madrid 1723.

Carreño, Alberto María, Don fray Juan de Zumárraga, primer obispo y arzobispo de México. Documentos inéditos publicados con una introducción y notas. México 1941.

— —, Fr. Domingo de Betanzos, Fundador en la Nueva España de la Venerable Orden Dominicana. México 1924.

Castañeda, Carmen, La educación en Guadalajara durante la colonia, 1552-1821. México 1984.

Castañeda Delgado, Paulino, El matrimonio legítimo de los indios y su canonización. In: Anuario de Estudios Americanos 31 (Sevilla 1974) 157-188.

— —, La Teocrazia Pontifical y la conquista de América. Vitoria 1968.

Castro Seoane, José, O. de M., Aviamiento y catálogo de misiones y misioneros que en el siglo XVI pasaron de España a Indias y Filipinas según los libros de la Contratación. In: Missionalia Hispanica 13 (Madrid 1956) 83-140; 14 (1957) 105-173; 17 (1960) 5-80; 18 (1961) 67-153; 20 (1963) 257-317; 32 (1975) 5-54.

— —, La expansión de la Merced en la América colonial. In: ibid. 1 (1944) 73-108; 2 (1945) 231-290; Revista de Indias 4 (1943) 405-440.

Chamberlain, Robert S., Un documento desconocido del licenciado Cristóbal de Pedraza. Protector de los indios y Obispo de Honduras. In: Anales de la Sociedad de Geografía e Historia 20 (Guatemala 1945) 33-38.

Chauvet, Fidel de J., OFM, El culto guadalupano del Tepeyac. Sus orígines y sus críticos en el siglo XVI. Con un apéndice sobre el sermón del P. Bustamente. México 1978.

Churruca Paláez, Agustín, SI, El arzobispo Moya de Contreras, benefactor de la Compañía de Jesús en México. In: Francisco Xavier Clavigero y otros ensayos (México 1985) 55-66.

— —, Primeras Fundaciones Jesuitas en Nueva España 1572-1580. México 1980.

Clavijero, Francisco Javier, SI, Historia de la Compañia de Jesús en la Nueva España. Edición, prólogo y notas de Pedro Pérez Pereira. México 1956.

Concilium Provinciale Limense. Celebratum in Civitate Regum, anno MDLXXXIII. Auctoritate Sanctissimi D.N. Sixti V. Romae recognitum, atque in hunc modum probatum. Iussu Catholici Regis Nostri Philippi II. Hispaniarum et Indiarum Domini, typis excussum, atque ad Indos transmissum. Madriti anno MDXC.

Cuevas, Mariano, SI, Historia de la Iglesia en México. 5 tom. El Paso 1928.

Dammert Bellido, José Antonio, Arzobispos Limenses Evangelizadores. Bogotá 1987.

— —, El arzobispo Loayza, primer legislador de la Iglesia en el Perú. In: Revista Teológica Limense 10 (Lima 1976) 113-123.

Dominian, Helen G., Apostle of Brazil. The Biography of Padre José de Anchieta S.I. (1534-1597). New York 1958.

Dussel, Enrique D., The appointment of Bishops in the First Century of «Patronage» in Latin America (1504-1620). In: Concilium 7 (London 1972) 113-121.

— —, Les évêques hispano-américains, défenseurs et évangélisateurs de l'Indien. 1504-1620. Mainz 1970.

— —, Historia de la Iglesia en América Latina. Coloniaje y liberación (1492-1983). Apéndices misioneros. Madrid, México 1983.

— —, Historia general de la Iglesia en América Latina I/1: Introducción general a la historia de la Iglesia en América Latina. El peso de los días, 10. Salamanca 1983.

Egaña, Antonio de, SI, Historia de la Iglesia en la América Española desde el Descubrimiento hasta comienzos del siglo XIX. Hemisferio Sur. Biblioteca de Autores Cristianos. Madrid 1966.

Ehrle, Franz, SI, Der historische Gehalt der päpstlichen Abtheilung auf der Weltausstellung von Chicago. In: Stimmen aus Maria-Laach 46 (Freiburg 1894) 367-394.

Ehses, Stephan, Aus den Consistorialakten der Jahre 1530-1534 (Gründung von Bistümern in Amerika etc. Concil.). In: Römische Quartalschrift 6 (Rom 1892) 220-236.

Errasti, Mariano, América Franciscana. I. Evangelizadores e indigenistas en el siglo XVI. Quinto centenario de la evangelización del Nuevo Mundo. Santiago 1986.

Estrada Monroy, Agustín, Erección de los Obispados y Arzobispados en Centroamérica. In: Estudios Teológicos 4 (Guatemala 1977) 289-296.

Eyre L. D'Abral, Emilio, Acción social y protección laboral de la Iglesia y España en America 1492-1892. Madrid 1958.

Farrelly, Brian, OP, Fray Vicente Bernedo, O.P., apóstol de Charcas (1562-1619). Historiadores Dominicos pro Quinto Centenario de la Evangelización, 1. Salamanca 1986.

Fernández de Navarrete, Martín, Colección de los viages y descubrimientos que hicieron por mar los españoles desde fines del siglo XV, con varios documentos inéditos concernientes a la historia de la marina castellana y de los establecimientos españoles de Indias. 5 vol. Buenos Aires 1945-1946.

Fita, Fidel, SI, Primeros años de episcopado en América. In: Boletín de la Real Academia de la Historia XX (1892) 261-300.

Fita y Colomé, Fidel, Fray Bernal Buyl, ó el primer Apóstol del Nuevo Mundo. Colección de documentos raros e inéditos relativos á este varon ilustre. Madrid 1884.

Frías, Lesmes, SI, El Patriarcado de las Indias occidentales. In: Estudios Eclesiásticos 1 (Madrid 1922) 297-318; 2 (1923) 24-47.

Fricius, Valentinus, Indianischer Religionstandt der gantzen newen Welt beider Indien gegen Auff und Nidergang der Sonnen... Ingolstadt 1588.

Friede, Juan, Juan del Valle, primer Obispo de Popayán y su formación indigenista. In: Missionalia Hispanica 18 (Madrid 1961) 155-160.

Furlong, Guillermo, SI, Historia social y cultural del Río de la Plata, 1536-1810. El trasplante social - El trasplante cultural: Ciencia - El trasplante cultural: Arte. Buenos Aires 1969.

Galmés, Lorenzo, OP, Bartolomé de las Casas. Defensor de los derechos humanos. Madrid 1982 (Biblioteca de Autores Cristianos).

— —, Cristóbal Colón y el descubrimiento de América a la luz del padre Las Casas. In: Escritos del Vedat 16 (Torrent 1986) 225-251.

García Gallo, Alfonso, Las bulas de Alejandro VI y el ordenamiento jurídico de la expansión portuguesa y castellana en Africa e Indias. In: Anuario de historia del derecho español 27-28 (Madrid 1957-58) 461-827.

García Gutiérrez, Jesús, Bulario de la Iglesia Mexicana. Documentos relativos a erecciones, desmembraciones, etc. de diócesis mejicanas. México 1952.

García Recio, José Maria, La Iglesia en Santa Cruz de la Sierra (Bolivia), 1560-1605. In: Missionalia Hispanica 40 (Madrid 1983) 259-313.

Giménez Fernández, Manuel, Las Bulas Alejandrinas de 1493 referentes a las Indias. Madrid 1943.

Gómez Canedo, Lino, OFM, The Coming of the Franciscans to Venezuela in 1575. Documents. In: The Americas XVIII (Washington 1961/62) 380-393.

— —, Evangelización y conquista: experiencia franciscana en Hispanoamérica. México 1977.

— —, Los orígines franciscanos en Colombia (1549-1565). In: Archivum Franciscanum Historicum 53 (Firenze-Quaracchi 1960) 128-204.

— —, Primicias franciscanas en Venezuela 1514-1575. Nota preliminar a la historia de las misiones de Piritu. In: Miscellanea Melchor de Pobladura (Romae 1964) vol. I 347-367.

— —, La Provincia Franciscana de Santa Cruz de Caracas. Fuentes para la Historia Colonial de Venezuela. 3 voll. Caracas 1974.

Gómez Parente, Odilo, OFM, Los Franciscanos en Venezuela durante el siglo XVI. In: Archivo Ibero-Americano 33 (Madrid 1973) 433-456; 34 (1974) 335-394; 36 (1976) 243-300.

— —, Labor Franciscana en Venezuela. Tomo I. Promoción Indígena. Caracas 1979.

González, Antonio Camilo, La primada de América. En los días de la Colonia. Colección «V Centenario», 9. Bogotá 1987.

González Cícero, Stella M., Perspectiva Religiosa en Yucatán 1517-1571: Yucatán, los franciscanos y el primer obispo, fray Francisco de Toral. México 1978.

González Dávila, Gil, Teatro eclesiástico de la primitiva Iglesia de las Indias Occidentales: vidas de sus arzobispos, obispos y cosas memorables de sus sedes... 2 tom. Madrid 1649-1655.

González Dorado, Antonio, SI, Los religiosos en la historia de la evangelización de América Latina. In: Medellín 13 (Medellín 1987) 18-47.

Gottschalk, P., The earliest diplomatic documents on America. Berlin 1927.

Grijalva, Juan de, Crónica de la Orden de N.P.S. Agustín en las provincias de la Nueva España. En cuatro edades desde el año de 1533, hasta el de 1592. «Biblioteca Porrúa», 85. México 1985.

Guarda, Gabriel, Los laicos en la cristianización de América, siglos XV-XIX. Santiago 1973.

Guarda Geywitz, Gabriel, OSB, Centros de evangelización en Chile. 1541-1826. In: Anales de la Facultad de Teología XXXV - Cuaderno único. Santiago 1986.

— —, Iglesias dedicadas a la Santísima Virgen en Chile, 1541-1826. In: Anuario de Historia de la Iglesia en Chile 1 (Santiago de Chile 1983) 95-111.

Gutiérrez Casillas, José, Historia de la Iglesia en México. México 1974.

Hanke, Lewis, La lucha por la justicia en la conquista de América. Traducción de Ramón Iglesia. Buenos Aires 1949.

— —, Pope Paul III and the American Indians. In: The Harvard Theological Review XXX (Harvard 1937) 87-88.

— —, The Spanish struggle for justice in the conquest of America. Philadelphia 1949.

Hanke, M., The theological significance of the discovery of America. In: Revista de Historia 5 (São Paulo 1974) 133-145.

Harrisse, Henry, The Diplomatic History of America. Its first chapter: 1452-1493-1494. London 1897.

Henkel, Willi, OMI, Die Konzilien in Lateinamerika. Teil I: Mexiko 1555-1897. Paderborn 1984.

Hera, Alberto de la, El tema de las bulas indianas de Alejandro VI. In: Estudios Americanos XIX (Sevilla 1960) 257-267.

Heras, Julián, OFM, Quinientos años de fe. Historia de la evangelización de América Latina. Lima 1985.

Hernáez, Francisco Javier, Colección de bulas, breves y otros documentos relativos a la Iglesia de América y Filipinas. Bruselas 1895. 2 voll.

Hernández, Ramón, OP, Francisco de Vitoria y Bartolomé de las Casas, primeros teorizantes de los derechos humanos. In: Archivo Dominicano 4 (Salamanca 1983) 199-266.

Herrera, Antonio de, Historia General de los hechos de los Castellanos en las Islas i Tierra Firme del Mar Oceano. Madrid 1601.

Heywood, J.C., Documenta selecta e Tabulario Secreto Vaticano quae Romanorum Pontificum erga Americae populos curam ac studia... testantur. Typis Vaticanis 1893.

Hierarchia Catholica medii et recentioris aevi sive Summorum Pontificum, S.R.E. Cardinalium, Ecclesiarum Antistitum series. Vol. III. Monasterii [2]1923.

Historia General de la Iglesia en América Latina. Vol. VII: Colombia y Venezuela. Salamanca 1981.

Hoornaert, Eduardo, Formação do Catolicismo Brasileiro, 1500-1800. Ensaio de Interpretação a partir dos oprimidos. Petrópolis 1974.

Huerga, Alvaro, OP, La implantación de la Iglesia en el Nuevo Mundo. In: Angelicum 63 (Romae 1986) 227-256.

Icazbalceta, Joaquín García, Colección de documentos para la historia de México. México 1858, 1866. 2 voll.

— —, Don Fray Juan de Zumárraga, Primer Obispo y Arzobispo de México. Estudio Biográfico y Bibliográfico. México 1881.

Jimeno, Rodolfo, Las Leyendas y el Padre las Casas. Madrid 1983.

Joannes Paulus II, Allocutio Dominicopoli ad Christifideles congregatos habita (die 11 m. Octobris a. 1984). In: AAS 77 (1985) 354-361. (Hispanice).

Keegan, Gregory Joseph - Tormo Sanz, Leandro, Experiencia Misionera en la Florida (siglo XVI y XVII). Madrid 1957.

Konetzke, Richard, Christentum und Conquista im spanischen Amerika. In: Saeculum 23 (Freiburg 1972) 59-73.

Lafaye, Jacques, L'Église et l'esclavage des Indiens de 1537 à 1708. In: Bulletin de la Faculté des Lettres de Strasbourg 43 (Strasbourg 1965) 691-702.

Landa, Rubén, Vasco de Quiroga. Barcelona 1965.

Ledesma Criado, Juan Manuel, Comentarios en torno a las Bulas concedidas por el Papa Alejandro VI a los Reyes Católicos a raíz del descubrimiento de América. In: Horizontes 18 (Ponce, Puerto Rico 1976) n. 36 p. 25-48.

Lee-López, Alberto, OFM, Clero indígena en Santa Fe de Bogotá, siglo XVI. Bogotá 1986.

León, Nicolás, El Ilmo. Señor Don Vasco de Quíroga. Primer Obispo de Michoacán. Grandeza de su Persona y de su Obra... México 1904.

Leturia, Pedro de, SI, Relaciones entre la Santa Sede e Hispano-América 1493-1835. I. Época del Real Patronato 1493-1800. Romae - Caracas 1959.

Levillier, Roberto, Organización de la Iglesia y Órdenes Religiosas en el Virreinato del Perú en el siglo XVI. Documentos del Archivo de Indias. 2 voll. Madrid 1919.

Lopetegui, León, SI, A propósito de la Teocracia Pontifical y la Conquista de América. In: Estudios de Deusto 19 (Bilbao 1971) 135-151. [Censura libri auctoris Castañeda].

— —, Proyectos de Nunciaturas para la América Española (1565-1590. In: Miscelánea Comillas 33 (Madrid 1975) 117-140.

Lopetegui, León, SI - Zubillaga, Félix, SI, Historia de la Iglesia en la América Española desde el Descubrimiento hasta comienzos del siglo XIX. México. América Central. Antillas. Biblioteca de Autores Cristianos. Madrid 1965.

López Gómara, Francisco de, Primera y segunda parte de la historia general de las Indias con todo el descubrimiento y cosas notables que han acaecido dende que se ganaron ata el año de 1551. Caragoça 1553.

Maas, Otto, OFM, Documentos sobre las misiones de Nuevo México. In: Archivo Ibero-Americano 21 (1924) 96-113, 369-384; 33 (1930) 81-111, 251-270, 374-395.

Mahn-Lot, Marianne, Bartholomé de las Casas et le droit des Indiens. Paris 1982.

— —, Bartolomeo de las Casas e i diritti degli Indiani. Di Fronte e Attraverso, 142. Milano 1985.

Mantilla Ruiz, Luis Carlos, OFM, Los Franciscanos en Colombia (1550-1600). Contribución a los orígenes de la evangelización en Colombia. Bogotá 1984.

Martín, Luis, The Intellectual Conquest of Perú. The Jesuit College of San Pablo 1568-1767. New York 1968.

Martínez Reyes, Gabriel, CMF, Cartas de los obispos de Cartagena de Indias durante el periodo hispánico. Medellín 1986.

— —, Finanzas de las 44 diócesis de Indias, 1515-1816. Bogotá 1980.

Mc Andrew, John, The Open-Air Churches of Sixteenth-Century Mexico. Cambridge, Massechusetts 1965.

Meier, Johannes, Don Rodrigo de Bastidas (1498-1569), Bischof von Venezuela und Puerto Rico, Schirmherr der Indios. In: Ecclesia Militans. Studien zur Konzilien- und Reformationgeschichte. Zweiter Band (Paderborn 1988) 519-537.

— —, La presencia de las órdenes religiosas en el Caribe durante la dominación española (1500-1630). In: Missionalia Hispánica 43 (Madrid 1986) 363-372.

Méndez Arceo, Sergio, Primer siglo del Episcopado de la América Española y Filipinas (1504-1579) a la luz de los documentos del Archivo Vaticano y de la Embajada de España ante la Santa Sede. 1938 (Dissertatio).

Mendieta, Jerónimo, OFM, Historia Ecclesiástica Indiana. Obra escrita a fines del siglo XVI. La publica por primera vez Joaquín García Icazbalceta. México 1870.

Mesa, Carlos Eduardo, CMF, El arzobispado de Santa Fe de Bogotá (1562-1625). In: Missionalia Hispanica 42 (Madrid 1985) 89-140, 249-291.

— —, Creación de la Jerarquia de Terra Firme: Santa María la Antigua del Darién. In: Mysterium XXVII (Manizales 1968) 49-60.

— —, La Diócesis de Santa Maria del Darién, primera de Tierra Firme 1513-1524. In: Medellín 11 (Medellín 1985) 525-542.

— —, Manifestaciones Eucaristicas en la primitiva Historia Colombiana. In: Revista de la Academia Colombiana de Historia Eclesiástica (Medellín 1970) 303-329.

— —, Primera diócesis en tierra firme: Santa Maria la Antigua del Darién. Bogotá 1986.

— —, Primeras diócesis Novogranadinas y sus Prelados. In: Missionalia Hispanica 32 (Madrid 1975) 113-164; 33 (1976) 93-164; 34 (1977) 305-332.

Mesanza, Andrés, OP, Carta importante y curiosa escrita en Pasto en 1546, por el Obispo Fray Martín de Calatayud, Obispo de Santa Marta. In: Boletín de Estudios Históricos V (Pasto 1933) 74-77.

Metzler, Josef, Divisio Mundi. In: P. Chiocchetta, FSCJ, Dizionario Storico Religioso (Roma 1966) 271-272.

— —, Donatio Alexandrina. In: ibid. 272-273.

— —, Requirimiento. In: ibid. 851-852.

Millé, Andrés, Derrotero de la Compañía de Jesús en la conquista del Perú, Tucumán y Paraguay, y sus iglesias del antiguo Buenos Aires 1567-1768. Buenos Aires 1968.

Mirbt, Karl, Quellen zur Geschichte des Papsttums und des römischen Katholizismus. Tübingen u. Leipzig 1901.

Monumenta Historica Societatis Iesu. Romae 1951 ssq. vol. 49, 78, 82, 88, 89, 95, 103, 104.

Morales, Francisco, OFM (ed.), Franciscan presence in the Americas. Essays on the activities of the Franciscan Friars in the Americas, 1492-1900. Potomac 1984.

Morales R., Alfonso, O. de M., La Orden de la Merced en la evangelización de América siglo XVI-XVII. Bogotá 1986.

Morin, Alfredo, PSS, Santa María la Antigua y Panamá. In: Medellín (Medellín 1986) 411-425.

Moya de Contreras, Pedro, Cinco Cartas del Ill.mo y Exm. Señor D... Arzobispo, Virrey y Primer Inquisitor de la Nueva España. Precididas de Historia de su vida, según Cristóbal Gutiérrez de Luna y Francisco Sosa. Madrid 1962.

Muñoz Olave, R., Historia de la diócesis de Concepción. T. I. Santiago de Chile 1973.

Muriel, Josefina, Hospitales de la Nueva España. Tomo I: Fundaciones del siglo XVI. México 1956.

Nectario, María, Índice de documentos referentes a los obispos de Venezuela (1532-1816) existentes en el Archivo General de Indias de Sevilla. Caracas 1975.

Olivares Molina, L., La provincia franciscana de Chile de 1553 a 1700 y la defensa que hizo de los indios. Santiago de Chile 1961.

Olmedo Jiménez, Manuel, Jerónimo de Loaysa, O.P., Primer Obispo-Arzobispo de Lima (1543-1575). In: Archivo Dominicano 7 (Salamanca 1986) 205-286; 8 (1987) 77-168; 9 (1988) 93-196.

Orduz León, Julio César, La Arquidiócesis de Santa Fe de Bogotá en la conquista y la colonia. Colección «V Centenario» 15. Bogotá 1987.

Ortega Frier, Julio, La Bula «In Apostolatus Culmine» del Papa Paulo III, en virtud de la cual fue erigida y fundada la Universidad de Santo Domingo, primada de América. Ciudad de Trujillo 1944.

Oviedo Cavada, Carlos, Los obispos de Chile, 1561-1978. Santiago 1979.

— —, Los obispos de Chile, 1561-1978. Complementación. In: Anuario de Historia de la Iglesia en Chile 2 (Santiago de Chile 1984) n. 2 p. 241-257.

Pacheco, Juan Manuel, SI, Los Jesuítas en Colombia. Tomo I 1567-1654. Bogotá 1959.

— —, Los primeros Obispos de Cartagena. In: Ecclesiastica Xaveriana VI (Bogotá 1956) 357-392.

Pásztor, Lajos, Guida delle fonti per la storia dell'America Latina negli archivi della Santa Sede e negli archivi ecclesiastici d'Italia. Collectanea Archivi Vaticani 2. Città del Vaticano 1970.

Paventi, Saverio M., Congregazione Urbaniana «Super facultatibus missionariorum». In: Studia Missionalia VII 1952 (Romae 1953) 217-240.

Péano, Pierre, OFM, L'activité littéraire des Franciscains du Mexique (XVIe-XVIIe siècles). In: Archivum Franciscanum Historicum 71 (Grottaferrata 1978) 168-184.

Pereira, Manuel, Actividade evangelizadora dos Franciscanos Portugueses no Brasil durante o séc. XVI. In: Itinerarium 34 (Lisboa 1988) 150-170.

Peréz, Eutimio, Recuerdos Históricos del Episcopado Oaxaqueño. Obra escrita con gran acopio de datos y documentos históricos, desde el Ill.mo Sr. Dr. D. Juan López de Zárate, primer Diocesano, hasta el Ill.mo Sr. Dr. D. Vicente Fermín Márquez y Carrizosa. Oaxaca 1888.

Pérez, Pedro Nolasco, Historia de las Misiones Mercedarias en América. Madrid 1966.

Pérez Fernández, Isacio, OP, Cronología documentada de los viajes, estancias y actuaciones de Fray Bartolomé de Las Casas. Estudios Monográficos, vol. II. Bayamon 1984.

Pérez San Vicente, Guadalupe, Las cédulas de fundación de las Universidades de Méxica y Lima. Ensayo de interpretación. In: Estudios de Historia Novohispana 3 (México 1970) 59-82.

Pío M. de Mondreganes, OFMCap., Ideales Misioneros de los Reyes Católicos. In: Missionswissenschaftliche Studien. Festgabe Prof. Dr. Johannes Dindinger O.M.I. (Aachen 1951) 209-226.

Poole, Stafford, CM, Pedro Moya de Contreras. Catholic Reform and Royal Power in New Spain, 1571-1591. Berkeley, Los Angeles, London 1987.

Prien, Hans-Jürgen, La historia del cristianismo en América Latina. El peso de los Días, 21. Salamanca 1985.

La Provincia Ecclesiastica Chilena, erección de sus Obispados y división en Parroquias. Friburgo de Brisgovia 1895.

Ramírez, Ramón, OP, Los primeros religiosos dominicos de Chile en el siglo XVI. In: Anuario de la Historia de la Iglesia en Chile 2 (Santiago de Chile 1984) 165-188; 3 (1985) 149-163.

Ramos, D. - Pérez de Tudela, J., El Consejo de las Indias en el siglo XVI. Valladolid 1970.

Ramos Pérez, Demetrio, Variaciones ideológicas en torno al descubrimiento de América. Pedro Mártir de Angleria y su mentalidad. Cuadernos Colombinos X. Valladolid 1981-1982.

Raynaldus, O., Annales Ecclesiastici. Parisiis 1887.

Reinhard, William, OMI, The evangelization of Brazil under the Jesuits (1549-1568). An Evaluation. Romae 1969.

Remesal, Antonio de, OP, Historia de la Provincia de S. Vicente de Chyapa y Guatemala de la Orden de nuestro glorioso Padre Sancto Domingo... Madrid 1619.

Restrepo Posada, José, Primeros Obispos de Santa Marta. In: Revista de la Academia Colombiana de Historia Eclesiástica (Medellín 1970) 261-302.

Rey, José del, SI, Documentos jesuíticos relativos a la historia de la Compañía de Jesús en Venezuela. Caracas 1966.

Ripoll, Thomas, OP, Bullarium Ordinis FF. Praedicatorum... Romae 1729-1740. 8 voll.

Rodríguez Cruz, Sor Agueda María, OP, La Bula «In Apostolatus Culmen» Erectora de la Universidad de Santo Domingo, Prima-

da de América: su autenticidad y legitimidad. In: Revista de Indias XXIII (Madrid 1963) n. 91/92 p. 13-28.

Rojas, Aristides, Los primeros misioneros en la Costa de Venezuela (1513-1520). In: Boletin de la Academia Nacional de Historia XLIII (Caracas 1960) 683-700.

Rommerskirchen, Johannes, OMI, Bibliografia Missionaria. Roma 1933-1989. LII voll.

Rubert, Arlindo, A Igreja no Brasil. Orígem e desenvolvimento (Século XVI). Volume I. Santa Maria RS 1981.

Ruis de Larrinaga, Juan, OFM, Don Fr. Juan de Zumárraga. Biografia del egregio durangués, primer obispo y arzobispo de Méjico. Bilbao 1948.

Ruz Trujillo, Luis Fernando, El Océano y la Iglesia en Indias. La estructa marítima en la evangelización y en la organización de la Iglesia iberoamericana: siglos XVI y XVII. Roma 1985.

Saénz de Santa María, Carmelo, SI, La conquista espiritual del Reino de Guatemala. In: Anuario de Estudios Americanos 27 (Sevilla 1970) 61-108.

— —, El licenciado Don Francisco Marroquín, primer obispo de Guatemala (1499-1563). Su vida, sus Escritos. Madrid 1964.

Salas, Daniel, OAR, La obra misionera de la Iglesia en los Llanos de Casanare, 1550-1910. In: Recollectio 6 (Roma 1983) 67-100.

Sancho de Sopranis, Hipólito, Un Obispo doctrinero de Indios, Fr. Dionisio de Sanctis, O.P. In: Missionalia Hispanica 8 (Madrid 1951) 317-373.

Santarém, Visconde de, Quadro Elementar X (Lisbona 1866) 194; XIII (1876) 570-571.

Sarabia Viejo, María Justina, Notas sobre el Hospital del Amor de Dios de México en el siglo XVI. In: Anuario de Estudios Americanos 30 (Sevilla 1973) 295-316.

Schwaller, John Frederick, The ordenanza del patronazgo in New Spain, 1574-1600. In: The Americas 42 (West Bethesda 1986) 253-274.

Scott, William Henry, Demythologizing the Papal Bull «Inter Caetera». In: Philippine Studies 35 (Manila 1987) 348-356.

Seco Caro, C., Orígen y fundación de los privilegios matrimoniales indianos. In: Estudios Americanos XVI (Sevilla 1958) n. 82/83 p. 33-46.

Serrano, D. Luciano, OSB, Correspondencia diplomática entre España y la Santa Sede durante el pontificado de S. Pío V. Madrid 1914. 2 voll.

Setién Peña, Adrián, América, cinco siglos de evangelización. Los pioneros de nuestra fe. Primera evangelización en el interior de Venezuela. Caracas 1985.

Severino de Sta. Teresa, OCD, Historia documentada de la Iglesia en Urabá y el Darién desde el descubrimiento hasta nuestros días. Bogotá 1957. 5 voll.

Shea, John Gilmary, The Catholic Church in colonial days. New York 1886.

Sievernich, Michael, Die andere Entdeckung Amerikas. Theologische Überlegungen zur bevorstehenden 500-Jahr-Feier (1492-1992). In: Zeitschrift für Missionswissenschaft und Religionswissenschaft 72 (Münster 1988) 257-277.

Silva Marques, João Martins da, Descobrimentos portugueses. Documentos para a sua História. Vol. III (1461-1500). Lisboa 1971.

Soares, José Carlos de Macedo, Fontes da História de Igreja Católica no Brasil. São Paulo 1954.

Solórzano Pereira, Juan de, De Indiarum iure, sive de iusta Indiarum Occidentalium inquisitione, acquisitione et retentione. Matriti 1629.

Sosa, Francisco, El Episcopado Mexicano. Biografía de los Ill. Seño-

res Arzobispos de México desde la Epoca Colonial hasta Nuestros Días. Tomo I. México [3]1962.

Specker, Johann, SMB, Der einheimische Klerus in Spanisch-Amerika im 16. Jahrhundert. In: Der einheimische Klerus in Geschichte und Gegenwart. Festschrift Laurenz Kilger OSB (Schöneck-Beckenried 1950) 73-97.

— —, Die Missionsmethode in Spanisch-Amerika im 16. Jahrhundert mit besonderer Berücksichtigung der Konzilien und Synoden. Schöneck-Beckenried 1953.

Staedler, E., Die westindischen Investituredikte Alexanders VI. Eine völkerrechtliche Studie. In: Niemeyers Zeitschrift für internes Recht (Kiel 1935) 325-334.

Streit, Robert, OMI, Die ältesten Dokumente der amerikanischen Missionsgeschichte. Biobibliographische Notizen. In: Zeitschrift für Missionswissenschaft IX (Münster 1919) 132-138.

— —, Bibliotheca Missionum. Zweiter Band Amerikanische Missionsliteratur 1493-1699. Rom - Freiburg - Wien [2]1963; voll. XXIV-XXVI: Amerikanische Missionsliteratur 1910-1960. Ibid. 1967-1968.

Suess, Paulo, Liberdade e servidão. Missionários, juristas e teólogos espanhóis do século XVI frente à questão indígena. In: Revista Eclesiástica Brasileira 47 (Petrópolis 1987) 16-45.

Synopsis Actorum S. Sedis in causa Societatis Iesu 1540-1605.

Tapia y Rivera, A., Biblioteca Histórica de Puerto-Rico que contiene varios documentos de los siglos XV-XVIII, coordinados y anotados. Puerto-Rico 1854.

Tavares de Miranda, Maria do Carmo, Os Franciscanos primeiros Missionários do Brasil. In: Itinerarium XV (Lisboa 1969) 33-59.

Thacher, John Boyd, Christopher Columbus, his Life, his Work, his Remains... 3 voll. New York 1903-1904.

Tobar, Balthasar de, Compendio bulario índico. Tomo I. Estudio y edición de Manuel Gutiérrez de Arce. Sevilla 1954.

Tojeira, José Maria, Panorama histórico de la Iglesia en Honduras. Tegucigalpa 1986.

Torquemada, Juan de, Ia parte de los veynte y un libros Rituales y Monarchia Yndiana con el Origen y guerras de las Yndias Occidentales. De sus Poblaciones Descubrimiento Conquista Conversion y otras cosas maravillosas de la mesma tierra. Sevilla 1615.

Torres, Alberto María, OP, El Padre Valverde. Ensayo biográfico y crítico. Guayaquil 1912.

Torres, Pedro, La bula «Omnimoda» de Adriano VI (9 mayo 1522) y su aplicación durante el primer siglo de las misiones de Indias. Madrid 1946.

Uribe Villegas, Gonzalo, Los Arzobispos y Obispos Colombianos desde el tiempo de la Colonia hasta nuestros días. Bogotá 1918.

Van der Vat, Odulfo, OFM, Princípios da Igreja no Brasil. Petrópolis, Rio do Janeiro, São Paulo 1952.

Van Oss, A. C., Catholic Colonialism: a Parish history of Guatemala: 1524-1821. London 1986.

Vargas Ugarte, Rubén, SI, Concilios Limenses (1551-1772). 3 voll. Lima 1951-1954.

— —, Los Jesuitas del Perú (1568-1767). Lima 1941.

Vásquez, Isaak, OFM, Un plan inédito para la evangelización de América: la creación de una Comisaría general indiana en 1505. In: Antonianum 54 (Roma 1979) 487-526.

Vázquez Vázquez, Elena, Distribución geográfica del Arzobispado de México. Siglo XVI Acapistla (Yecapixtla). In: Estudios de História Novohispana IV (México 1971) 27-50.

— —, Distribución geográfica y organización de las órdenes religiosas en la Nueva España (siglo XVI). México 1965.

Vicente do Salvador, História do Brasil 1500-1627 revista por Capistrano de Abreu, Rodolfo Garcia y Frei Venâncio Willeke O.F.M. Quinta edição comemorativa do 4° Centenario do Autor. São Paulo 1965.

Victoria Moreno, Dion, OCD, Los Carmelitas Descalzos y la Conquista Espiritual de México 1585-1612. México 1966.

Villegas, Juan, SI, Aplicación del Concilio de Trento en Hispanoamérica 1564-1600. Provincia Eclesiástica del Perú. Montevideo 1975.

Villoslada, Ricardo G., Sentido de la conquista y evangelización de América según las bulas de Alejandro VI (1493). In: Anthologia Annua (Roma 1977-1978) n. 24/25 p. 646-680.

Willeke, Venantius, OFM, Franziskanermissionen in Brasilien 1500-1966. In: Neue Zeitschrift für Missionswissenschaft 27 (Schöneck 1971) 21-34, 280-283.

— —, Kirche und Negersklaven in Brasilien 1550-1880. In: Neue Zeitschrift für Missionswissenschaft 32 (Schöneck 1976) 15-26.

— —, Missões Franciscanas no Brasil (1500-1975). Petrópolis 1974.

Witte, Charles-Marcel de, OSB, Les Bulles pontificales et l'expansion portugaise au XVe siècle. In: Revue d'Histoire Ecclésiastique de Louvain 48 (1953) 683-718; 51 (1966) 413-453, 809-836; 53 (1968) 5-46, 443-471.

— —, Les lettres papales concernant l'expansion portugaise au XVIe siècle. In: Neue Zeitschrift für Missionswissenschaft 40 (1984) 1-25, 93-125, 194-205; 41 (1985) 41-68, 118-136, 173-187, 271-287.

Xirau, R., Las Casas, Sahagún, Zumárraga y otros. Idea y querella de la Nueva España. Madrid 1973.

Ybot León, Antonio, La Iglesia y los Eclesiasticos Españoles en la Empresa de Indias. Barcelona 1954.

I

1493 - 1562

(doc. 1-189)

1

Inter cetera

Reg. Vat. 775 fol. 42v-45v [1] — die 3 maii 1493
Navarrete 29-33
Colección de Documentos Inéditos XXXIV (Madrid 1880) 14-21
Heywood 14-20
Blair-Robertson I 97-103
Thacher II 93-99, 125-137
García Gallo 799-807
Silva Marques III 374-377 [2]
BM II 1

TERRARUM NOVITER REPERTARUM TRIBUTIO FIDEI PROPAGANDAE INTUITU

Laudantur rex et regina ob conatus fidei catholicae exaltandae et ampliandae regni quidem Granatae expugnatione et a tyrannide Saracenorum recuperatione iam feliciter peractos. Animus eorum confirmatur prosequendi in opere eo tempore praestantissimo propagationis religionis christianae etiam in insulis et terris firmis, quae per alios hactenus non repertae, ipsis maxime adiuvantibus a Christophoro Colón per partes occidentales naviganti inventae sunt. Summus Pontifex propositum ipsorum comprobat praedictas terras atque insulas in propriam redigendi potestatem earumque incolas, bonae quidem indolis, ad fidem catholicam convertendi.

Ut autem tantum negotium liberius et audacius assumant, Pontifex motu proprio ac de potestatis apostolicae plenitudine iisdem Castellae et Legionis regibus eorumque haeredibus et successoribus omnes et singulas terras et insulas per ipsorum nuntios repertas vel in posterum reperiendas, quae sub dominio actuali temporali aliquorum dominorum christianorum constitutae non sint, in perpetuum donat et assignat, salvis quidem iuribus alteri christiano

---

[1] Exemplum huius bullae exstat: Sevilla, Archivo General de Indias, Patronato, legajo 1, ramo 1.

[2] Aliae plures publicationes ab auctore indicantur.

principi iam quaesitis.

Personis tandem quibuslibet accessu ad praedictas insulas et terras pro mercibus habendis vel quavis alia causa sine ipsorum licentia sub excommunicationis poena interdicto, eadem eis privilegia, gratias libertates atque immunitates pro huiusmodi insulis et terris concedit, quae regibus Portugalliae in partibus Africae repertis et acquisitis ex concessione apostolica obvenerunt.

Alexander VI

Alexander etc. [Episcopus Servus servorum Dei]. Carissimo in Christo filio Fernando [3] regi et carissime in Christo filie Helisabeth regine Castelle Legionis Aragonum [4] et Granate illustribus salutem etc. [et apostolicam benedictionem]. Inter cetera divine maiestati beneplacita opera et cordis nostri desiderabilia illud profecto potissimum existit ut fides catholica et christiana religio nostris presertim temporibus exaltetur et ubilibet amplietur et dilatetur animarumque salus procuretur ac barbare nationes deprimantur et ad fidem ipsam reducantur. Unde cum ad hanc sacram Petri sedem divina favente clementia meritis licet imparibus evocati fuerimus cognoscentes vos tamquam veros catholicos reges et principes quales semper fuisse novimus et a vobis preclara gesta toti pene iam orbi notissima demonstrant ne dum id exoptare sed omni conatu studio et diligentia nullis laboribus nullis impensis nullisque parcendo periculis etiam proprium sanguinem effundendo efficere ac omnem animum vestrum omnesque conatus ad hoc iam dudum dedicasse quemadmodum recuperatio regni Granate [5] a tirannide saracenorum hodiernis temporibus per vos cum tanta divini nominis gloria facta testatur digne ducimur non immerito et debemus illa vobis etiam sponte et favorabiliter concedere per que huiusmodi sanctum et laudabile ac immortali Deo acceptum propositum in dies ferventiori animo ad ipsius Dei honorem et imperii christiani propagationem prosequi valeatis. Sane accepimus quod vos qui dudum animo proposueratis aliquas terras et insulas remotas et incognitas ac per alios hactenus non repertas querere et invenire ut illarum incolas et habitatores ad colendum redemptorem nostrum et fidem catholicam profitendum reduceretis hactenus in expugnatione

[3] *Heywood* habet: Ferdinando.

[4] *Heywood* addit: Sicilie.

[5] Id est anno 1492.

et recuperatione ipsius regni Granate plurimum occupati huiusmodi sanctum et laudabile propositum vestrum ad optatum finem perducere nequivistis sed tandem sicut Domino placuit regno predicto recuperato volentes desiderium vestrum adimplere dilectum filium Christoforum Colon cum navigiis et hominibus ad similia instructis non sine maximis laboribus et periculis ac expensis destinastis ut terras remotas et incognitas huiusmodi per mare ubi hactenus navigatum non fuerat diligenter inquirerent qui tandem divino auxilio facta extrema diligentia per partes occidentales ut dicitur versus Indos in mari occeano navigantes certas insulas remotissimas et etiam terras firmas que per alios hactenus reperte non fuerant invenerunt in quibus quamplurime gentes pacifice viventes et ut asseritur nudi incedentes nec carnibus vescentes inhabitant et ut prefati nuntii vestri possunt opinari gentes ipse in insulis et terris predictis habitantes credunt unum deum creatorem in celis esse ac ad fidem catholicam amplexandum et bonis moribus imbuendum satis apti videntur spesque habetur quod si erudirentur nomen Salvatoris Domini nostri Ihesu Christi in terris et insulis predictis facile induceretur ac prefatus Christoforus in una ex principalibus insulis predictis [6] iam unam turrim satis munitam in qua certos Christianos qui secum iverant in custodiam et ut alias insulas et terras remotas et incognitas inquirerent posuit construi et edificari fecit in quibusquidem insulis et terris iam repertis aurum, aromata et alie quamplurime res pretiose diversi generis et diverse qualitatis repperiuntur. Unde omnibus diligenter et presertim fidei catholice exaltatione et dilatatione prout decet catholicos reges et principes consideratis more progenitorum vestrorum clare memorie regum terras et insulas predictas illarumque incolas et habitatores vobis divina favente clementia subiicere et ad fidem catholicam reducere. Nos igitur huiusmodi vestrum sanctum et laudabile propositum plurimum in Domino commendantes ac cupientes ut illud ad debitum finem perducatur et ipsum nomen Salvatoris nostri in partibus illis inducatur hortamur vos plurimum in Domino et per sacri lavacri susceptionem qua mandatis apostolicis obligati estis et viscera misericordie domini nostri Ihesu Christi attente requirimus ut cum expeditionem huiusmodi omnino prosequi et assumere prona mente orthodoxe fidei zelo intendatis populus in huiusmodi insulis degentes ad christianam professionem suscipiendam inducere velitis et debeatis nec pericula nec labores ullo unquam tempore vos deterreant firma spe fiduciaque conceptis quod Deus omnipotens conatus vestros feliciter prosequetur. Et ut tanti negocii provinciam apostolice gratie largitate do-

[6] Id est *Hispaniola* (*Haiti*).

nati liberius et audacius assumatis motu proprio non ad vestram vel alterius pro vobis super hoc nobis oblate petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate et ex certa scientia ac de apostolice potestatis plenitudine omnes et singulas terras et insulas predictas sic incognitas et hactenus per nuntios vestros repertas et reperiendas imposterum que sub dominio actuali temporali aliquorum dominorum cristianorum constitute non sint auctoritate omnipotentis Dei in beato Petro concessa ac vicariatus Ihesu Christi qua fungimur in terris cum omnibus illarum dominiis, civitatibus, castris, locis et villis, iuribusque et iurisdictionibus ac pertinentiis universis vobis heredibusque et successoribus vestris Castelle et Legionis regibus in perpetuum auctoritate apostolica tenore presentium donamus, concedimus et assignamus [7], vosque ac heredes et successores prefatos de illis investimus illarumque dominos cum plena, libera et omnimoda potestate, auctoritate et iurisdictione facimus, constituimus et deputamus. Decernentes nihilominus per huiusmodi donationem, concessionem, assignationem et investituram nostram nulli christiano principi ius quesitum sublatum intelligi posse aut auferri debere. Et insuper mandamus vobis in virtute sancte obedientie ut sicut etiam pollicemini et non dubitamus pro vestra maxima devotione et regia magnanimitate vos esse facturos ad terras et insulas predictas viros probos et Deum timentes doctos, peritos et expertos ad instruendum incolas et habitatores prefatos in fide catholica et bonis moribus inbuendum destinare debeatis omnem debitam diligentiam in premissis adhibentes. Ac quibuscumque personis etiam cuiuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis sub excommunicationis late sententie pena quam eo ipso si contrafecerint incurrant districtius inhibentes ne ad insulas et terras predictas postquam per vestros nuntios seu ad id missos invente et recepte fuerint pro mercibus habendis vel quavis alia de causa accedere presumant absque vestra ac heredum et successorum vestrorum predictorum licentia speciali. Et quia etiam nonnulli Portugallie reges in partibus Africe, Guinee et Minere auri [8] ac alias insulas similiter etiam ex concessione apostolica eis facta repperierunt et acquisiverunt et per sedem apostolicam eis diversa privilegia, gratie, libertates et immunitates, exemptiones et indulta concessa fuerunt [9]. Nos vobis ac heredi-

[7] De significato huius antiquissimae ex iure feudali provenientis formulae cfr. praesertim *E. Staedler*, Die westindischen Investituredikte Alexanders VI. Eine völkerrechtliche Studie. In: Niemeyers Zeitschrift für internes Recht (Kiel 1935) 325-334. - Alia studia cfr. *J. Metzler*, Donatio Alexandrina. In: Dizionario Storico Religioso (Roma 1966) 272-273.

[8] *Mina d'Ouro* in Africa occidentali, centrum commercii auri.

[9] Praesertim Litteris Apostolicis *Romanus Pontifex* diei 8 ianuarii anni 1455.

bus et successoribus vestris predictis ut in insulis et terris per vos repertis et reperiendis huiusmodi omnibus et singulis gratiis, privilegiis, exemptionibus, libertatibus, facultatibus, immunitatibus et indultis huiusmodi quorum omnium tenores ac si de verbo ad verbum presentibus insererentur haberi volumus pro sufficienter expressis et insertis uti, potiri et gaudere libere et licite possitis ac debeatis in omnibus et per omnia perinde ac si vobis et heredibus et successoribus predictis specialiter concessa fuissent motu, auctoritate, scientia et apostolice potestatis plenitudine similibus de specialis dono gratie indulgemus illaque in omnibus et per omnia ad vos heredes ac successores vestros predictos extendimus pariter et ampliamus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis necnon omnibus illis que in litteris desuper editis concessa sunt non obstare ceterisque contrariis quibuscumque. In illo a quo imperia et dominationes ac bona cuncta procedunt confidentes quod dirigente Domino actus vestros si huiusmodi sanctum et laudabile negotium prosequamini brevi tempore cum felicitate et gloria totius populi christiani vestri labores et conatus exitum felicissimum consequentur. Verum quia difficile foret presentes litteras ad singula queque loca in quibus expediens fuerit deferre volumus ac motu et scientia similibus decernimus quod illarum transumptis manu publici notarii inde rogati subscriptis et sigillo alicuius persone in ecclesiastica dignitate constitute seu curie ecclesiastice munitis ea prorsus fides in iudicio et extra ac alias ubilibet adhibeatur que presentibus adhiberetur si essent exhibite vel ostense. Nulli etc. [ergo omnino hominum liceat hanc paginam] nostre exhortationis, requisitionis donationis, concessionis, assignationis, investiture, facti, constitutionis, deputationis, mandati, inhibitionis, indulti, extentionis, ampliationis, voluntatis et decreti infringere etc. [vel ei ausu temerario contraire]. Si quis etc. [autem hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum]. Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno etc. [Incarnationis Dominice] millesimo quadringentesimo nonagesimo tertio, quinto nonas maii, pontificatus nostri anno primo.

---

[10] Amplissimam bibliographiam circa has et sequentes Litteras Apostolicas cfr. *P. De Leturia, SI,* Relaciones entre la Santa Sede e Hispanoamérica 1493-1835 vol. I (Romae - Caracas 1959) 154-156; et *L.M. Bernardis,* Le Bolle Alessandrine, san Roberto Bellarmino e la «Potestas indirecta in temporalibus». In: Atti del III Convegno Internazionale di Studi colombiani. Genova 7 e 8 ottobre 1977 (Genova 1979) 549-551. - De recenti interpretatione harum et sequentium Litterarum Apostolicarum cfr. *L. Lopetegui, SI, - F. Zubillaga, SI,* Historia de la Iglesia en la América Española (Biblioteca de Autores Cristianos). Madrid 1965 p. 53-61.

2

Eximiae devotionis

Reg. Vat. 879 fol. 234rv — die 3 maii 1493
Raynaldus XXX 202
Heywood 21-22
Blair-Robertson I 103-105
Thacher II 113-118
Hernáez I 15-16
García Gallo 808-810
Silva Marques III 380-382 [1]
BM II 4 [2]

PRIVILEGIA REGIBUS HISPANIAE PRO NOVIS TERRITORIIS CONCEDUNTUR

Summus Pontifex significat se litteris eodem die datis, ut propagationem imperii christiani et fidei catholicae exaltationem ibi in dies melius prosequi valeant, regi et reginae Castellae et Legionis eorumque heredibus et successoribus omnes et singulas terras firmas et insulas remotas et incognitas versus partes occidentales et mare Oceanum consistentes, per ipsorum nuntios repertas vel imposterum reperiendas, cum omnibus earum dominiis et iuribus de apostolicae potestatis plenitudine in perpetuum donavisse et concessisse.

Praesentium autem litterarum tenore Summus Pontifex regi et reginae eorumque heredibus et successoribus eadem prorsus privilegia, immunitates, facultates et cetera indulta quaelibet perpetuo concedit atque extendit ac simili omnino ratione concessa atque extensa declarat, quae nonnulis Portugalliae regibus, qui in partibus Africae ex concessione apostolica eisdem facta insulas repererunt et acquisiverunt, concessa et indulta fuerunt et praesentibus huiusmodi concessionibus nullatenus obstare dicuntur.

---

[1] Auctor alias plures publicationes indicat.
[2] Auctor alias publicationes et bibliographiam indicat.

Alexander VI

Alexander etc. [Episcopus Servus servorum Dei]. Carissimo in Christo filio Ferdinando Regi et carissime in Christo filie Elisabeth Regine Castelle, Legionis, Aragonum et Granate illustribus salutem etc. [et apostolicam benedictionem]. Eximie devotionis sinceritas et integra fides quibus nos et Romanam reveremini Ecclesiam non indigne merentur ut illa vobis favorabiliter concedamus per que sanctum et laudabile propositum vestrum et opus inceptum in querendis terris et insulis remotis ac incognitis in dies melius et facilius ad honorem omnipotentis Dei et imperii christiani propagationem ac fidei catholice exaltationem prosequi valeatis. Hodie siquidem omnes et singulas terras firmas et insulas remotas et incognitas versus partes Occidentales et mare Oceanum consistentes per vos seu nuntios vestros ad id propterea non sine magnis laboribus, periculis et impensis destinatos repertas et reperiendas imposterum que sub actuali dominio temporali aliquorum dominorum christianorum constitute non essent cum omnibus illarum dominiis, civitatibus, castris, locis, villis, iuribus et iurisdictionibus universis vobis heredibusque et successoribus vestris Castelle et Legionis regibus in perpetuum motu proprio et ex certa scientia ac de apostolice potestatis plenitudine donavimus, concessimus et assignavimus, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum autem alias nonnullis Portugallie regibus qui in partibus Africe, Guinee et Minere auri [3] ac alias insulas etiam in similibus concessione et donatione apostolica eis facta reppererunt et acquisiverunt per sedem apostolicam diversa privilegia, gratie, libertates, immunitates, exemptiones, facultates, littere et indulta concessa fuerint [4], nos volentes etiam prout dignum et conveniens existit vos heredesque et successores vestros predictos non minoribus gratiis, prerogativis et favoribus prosequi, motu simili non ad vestram vel alterius pro vobis nobis super hoc oblate petitionis instantiam sed de nostra mera liberalitate ac eisdem scientia et apostolice potestatis plenitudine vobis ac heredibus et successoribus vestris predictis ut in insulis et terris per vos seu nomine vestro hactenus repertis huiusmodi et reperiendis imposterum omnibus et singulis gratiis, privilegiis, exemptionibus, libertatibus, facultatibus, immunitatibus, litteris et indultis regibus Portugallie concessis huiusmodi quorum omnium tenores ac si

---

[3] *Mina d'Ouro* in Africa occidentali, centrum commercii auri.

[4] Praesertim Litteris Apostolicis *Romanus Pontifex* diei 8 ianuarii anni 1455.

de verbo ad verbum presentibus insererentur haberi volumus pro sufficienter expressis et insertis uti, potiri et gaudere libere et licite possitis et debeatis in omnibus et per omnia perinde ac si omnia illa vobis ac heredibus et successoribus vestris prefatis specialiter concessa fuissent auctoritate apostolica tenore presentium de specialis dono gratie indulgemus illaque in omnibus et per omnia ad vos heredesque ac successores vestros predictos extendimus pariter et ampliamus ac eisdem modo et forma perpetuo concedimus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis necnon omnibus illis que in litteris Portugallie regibus concessis huiusmodi concessa sunt non obstare ceterisque contrariis quibuscumque. Verum quia difficile foret presentes litteras ad singula queque loca in quibus expeditus fuerit defferri volumus ac motu et scientia similibus decernimus quod illarum transumptis manu publici notarii inde rogati subscriptis et sigillo alicuius persone in ecclesiastica dignitate constitute seu Curie ecclesiastice munitis ea prorsus fides in dubia in iuditio et extra ac alias ubilibet adhibeatur que presentibus adhiberetur si essent exhibite vel ostense. Nulli ergo etc. [omnino hominum liceat hanc paginam] nostrorum indulti, extensionis, ampliationis, concessionis, voluntatis et decreti infringere etc. [vel ei ausu temerario contraire]. Si quis etc. [autem hoc attemptari presumpserit indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursum]. Datum Romae apud sanctum Petrum anno etc. [Incarnationis Dominicae] Millesimo quadringentesimo nonagesimo tertio, Quinto Nonas Maii, Pontificatus nostri Anno primo.

3

Inter cetera

Reg. Vat. 777 fol. 192r-193v [1] die 4 maii 1493
Arm. I-XVIII 1245 fol. 140r-145v
Raynaldus XXX 202-204
Mirbt 174-176
Bull. Rom. (ed. Taurinen.) V 361-364
Hernáez I 12-14
García Gallo 799-807
Silva Marques III 384-387 [2]
BM II 3 [3]

CONFIRMATUR TERRARUM NOVITER REPERTARUM TRIBUTIO

Haec sicdicta Bulla demarcationis in omnibus fere correspondet textui Bullae *Inter cetera* diei 3 maii. Continet autem precisiores descriptiones geographicas et omittit dotationem privilegiorum. Laudatur Christophorus Columbus: «dictum Christoforum Colon, virum utique dignum et plurimum commendandum ac tanto negotio aptum».

Alexander VI

Alexander etc. [Episcopus Servus servorum Dei]. Carissimo in Christo filio Fernando regi et carissime in Christo filie Helisabeth regine Castelle, Legionis, Aragonum, Sicilie et Granate illustribus salu-

[1] Exemplum huius bullae exstat: Sevilla, Archivo General de Indias, Patronato, legajo 1, ramo 3.
[2] Auctor alias plures publicationes enumerat.
[3] Auctor alias publicationes et translationes in alias linguas indicat.

tem etc. [et apostolicam benedictionem]. Inter cetera divine maiestati beneplacita opera et cordis vestri desiderabilia illud profecto potissimum existit ut fides catholica et christiana lex nostris presertim temporibus exaltetur ac ubilibet amplietur et dilatetur animarumque salus procuretur ac barbare nationes deprimantur et ad fidem ipsam deducantur. Unde cum ad tam sacram Petri sedem divina favente clementia meritis licet imparibus evocati fuerimus cognoscentes vos tamquam veros catholicos reges et principes quales semper fuisse novimus et a vobis preclare gesta toti pene iam orbi notissima demonstrant ne dum id exoptare sed omni conatu, studio et diligentia nullis laboribus nullis impensis nullisque parcendo periculis etiam proprium sanguinem effundendo efficere ac omnem animum vestrum omnesque conatus ad hoc iam dudum dedicasse quemadmodum recuperatio Regni Granate [4] a tirannide Saracenorum hodiernis temporibus per vos cum tanta divini nominis gloria facta testatur digne duximus non immerito et debemus illa vobis etiam sponte et favorabiliter concedere per que huiusmodi sanctum et laudabile ac immortali Deo acceptum propositum in dies ferventiori animo ad ipsius Dei honorem et imperii christiani propagationem prosequi valeatis. Sane accepimus quod vos qui dudum animo proposueratis aliquas insulas et terras firmas remotas et incognitas ac per alios hactenus non repertas querere et invenire ut illarum incolas et habitatores ad colendum Redemptorem nostrum et fidem catholicam profitendum reduceretis hactenus in expugnatione et recuperatione ipsius Regni Granate plurimum occupati huiusmodi sanctum et laudabile propositum vestrum ad optandum finem perducere nequivistis; sed tandem sicut Domino placuit regno predicto recuperato volentes desiderium adimplere vestrum dilectum filium Cristoforum Colon virum utique dignum et plurimum commendandum ac tanto negotio aptum cum navigiis et hominibus ad similia instructis non sine maximis laboribus et periculis ac expensis destinastis ut terras firmas et insulas remotas et incognitas huiusmodi per mare ubi hactenus navigatum non fuerat diligenter inquireret; qui tandem divino auxilio facta extrema diligentia in mari Oceano navigantes certas insulas remotissimas et etiam terras firmas que per alios hactenus reperte non fuerant invenerunt in quibus quamplurime gentes pacifice viventes et ut asseritur nudi incedentes nec carnibus vescentes inhabitant et ut prefati nuntii vestri possunt opinari gentes ipse in insulis et terris predictis habitantes credunt unum Deum creatorem in celis esse ac ad fidem catholicam amplexandum et bonis moribus imbuendum

[4] Id est anno 1492.

satis apti videntur spesque habetur quod si erudirentur nomen Salvatoris Domini nostri Ihesu Christi in terris et insulis predictis facile induceretur; ac prefatus Cristoforus in una ex principalibus insulis predictis iam unam turrim satis munitam in qua certos christianos qui secum iverant in custodiam et ut alias insulas et terras firmas remotas et incognitas inquirerent posuit, construi et edificari fecit in quibusdam insulis et terris iam repertis aurum, aromatha et alie quamplurime res pretiose diversi generis et diverse qualitatis reperiuntur. Unde omnibus diligenter et presertim fidei catholice exaltatione et dilatatione prout decet catholicos Reges et Principes consideratis more progenitorum vestrorum clare memorie regum terras firmas et insulas predictas illarumque incolas et habitatores vobis divina favente clementia subicere et ad fidem catholicam reducere proposuistis. Nos igitur huiusmodi vestrum sanctum et laudabile propositum plurimum in Domino commendantes ac cupientes ut illud ad debitum finem perducatur et ipsum nomen Salvatoris nostri in partibus illis inducatur hortamur vos plurimum in Domino et per sacri lavacri susceptionem qua mandatis apostolicis obligati estis et viscera misericordie Domini nostri Ihesu Christi attente requirimus et cum expeditionem huiusmodi omnino prosequi et assumere prona mente orthodoxe fidei zelo intendatis populos in huiusmodi insulis et terris degentes ad christianam religionem suscipiendam inducere velitis et debeatis nec pericula nec labores ullo umquam tempore vos deterreant firma spe fiduciaque conceptis quod Deus omnipotens conatus vestros feliciter prosequetur. Et ut tanti negotii provinciam apostolice gratie largitate donati liberius et audacius assumatis motu proprio non ad vestram vel alterius pro vobis super hoc nobis oblate petitionis instantiam sed de nostra mera liberalitate et ex certa scientia ac de apostolice potestatis plenitudine omnes insulas et terras firmas inventas et inveniendas, detectas et detegendas versus occidentem et meridiem fabricando et constituendo unam lineam a polo artico scilicet septentrione ad polum antarcticum scilicet meridiem sive terre firme et insule invente et inveniende sint versus Indiam aut versus aliam quamcumque partem que linea distet a qualibet insularum que vulgariter nuncupantur de los Azores et Cabo Verde centum leucis versus occidentem et meridiem ita quod omnes insule et terre firme reperte et reperiende, detecte et detegende a prefata linea versus occidentem et meridiem per alium regem aut principem christianum non fuerint actualiter possesse usque ad diem nativitatis Domini nostri Ihesu Christi proxime preteritum in quo incipit Annus presens Millesimus quadringentesimus nonagesimus tertius quando fuerunt per nuntios et capitaneos vestros invente alique predictarum insularum auctoritate omnipotentis Dei nobis in bea-

to Petro concessa ac vicariatus Ihesu Christi qua fungimur in terris cum omnibus illarum dominiis, civitatibus, castris, locis et villis, iuribusque et iurisdictionibus ac pertinentiis universis vobis heredibusque et successoribus vestris Castelle et Legioni regibus in perpetuum tenore presentium donamus, concedimus et assignamus: vosque et heredes ac successores prefatos illarum dominos cum plena libera et omnimoda potestate, auctoritate et iurisdictione facimus, constituimus et deputamus, decernentes nichilominus per huiusmodi donationem, concessionem et assignationem nostram nulli christiano principi qui actualiter prefatas insulas aut terras firmas possederit usque ad predictum diem nativitatis Domini nostri Ihesu Christi ius quesitum sublatum intelligi posse aut auferri debere. Et insuper mandamus vobis in virtute sancte obedientie ut sicut etiam pollicemini et non dubitamus pro vestra maxima devotione et regia magnanimitate vos esse facturos ad terras firmas et insulas predictas viros probos et Deum timentes, doctos, peritos et expertos ad instruendum incolas et habitatores prefatos in fide catholica et bonis moribus imbuendum destinare debeatis omnem debitam diligentiam in premissis adhibentes. Ac quibuscumque personis, cuiuscumque dignitatis etiam imperialis et regalis status, gradus, ordinis vel conditionis sub excommunicationis late sententie pena quam eo ipso si contrafecerint incurrant districtius inhibemus ne ad insulas et terras firmas inventas et inveniendas, detectas et detegendas versus occidentem et meridiem fabricando et constituendo lineam a polo artico ad polum antarticum sive terre firme et insule invente et inveniende sint versus Indiam aut versus aliam quamcumque partem que linea distet a qualibet insularum que vulgariter nuncupantur de los Azores et Cabo Verde centum leucis versus occidentem et meridiem ut prefertur pro mercibus habendis vel quavis alia de causa accedere presumant absque vestra ac heredum et successorum vestrorum predictorum licentia speciali. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque in illo a quo imperia et dominationes ac bona cuncta procedunt confidentes quod dirigente Domino [5] actus vestros si huiusmodi sanctum et laudabile propositum prosequamini brevi tempore cum felicitate et gloria totius populi christiani vestri labores et conatus exitum felicissimum consequentur. Verum quia difficile foret presentes litteras ad singula queque loca in quibus expediens fuerit deferri volumus ac motu et scientia similibus decernimus quod transumptis manu publici notarii inde rogati subscriptis et sigillo alicuius persone in ecclesiastica digni-

[5] «Domino» in minuta non habetur.

tate constitute seu Curie ecclesiastice munitis ea prorsus fides in iudicio et extra ac alias ubilibet adhibeatur que presentibus adhiberetur si essent exhibite vel ostense. Nulli ergo etc. [omnino hominum liceat hanc paginam] nostre commendationis, ortationis, requisitionis, donationis, concessionis, assignationis, constitutionis, deputationis, decreti, mandati, inhibitionis et voluntatis infringere etc. [vel ei ausu temerario contraire]. Si quis etc. [autem hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum]. Datum Rome apud sanctum Petrum, Anno etc. [Incarnationis Dominice] Millesimo quadringentesimo nonagesimo tertio, Quarto Nonas Maii [6], Pontificatus nostri Anno Primo.

---

[6] Repetitio diei. Mensis quo litterae re vera datae sunt, probabiliter est iunius.

4

Piis fidelium

Reg. Vat. 777 fol. 122r-124v — die 25 iunii 1493
Raynaldus XXX 204-205
Boletín de la Real Academia de la Historia XIX (Madrid 1891) 187-191
Heywood 27-32
García Gallo 810-814
BM II 7

FACULTATES AMPLISSIMAE PRO RELIGIONIS CATHOLICAE PROPAGATIONE

Pontifex comprobat desiderium regis et reginae Castellae et Legionis quod religio catholica in terris et insulis in partibus occidentalibus repertis vel reperiendis floreat et amplietur: indicat eorundem decretum Vicarium Ordinis Fratrum Minorum in Hispania ad illas regiones destinandi, ut ibi tam per se quam per alios presbyteros idoneos per ipsum deputandos incolas et habitatores ad fidem catholicam reducat et in mandatis Domini instruat.

Enumerantur facultates maioris momenti, quibus et ipsi Vicario et sacer-

dotibus per ipsum aut per regem et reginam eligendis uti et frui licebit, propriorum superiorum aut aliorum super hoc licentia minime requisita: accessus ad novas terras vel insulas, praedicatio et instructio christiana, administratio sacramentorum, absolutio a peccatis reservatis, erectio monasteriorum aliorumque locorum piorum, exemptio a regulis propriis circa esum carnis vel aliorum ciborum. Additur clausula generalis qua plena conceditur licentia, etiam alia, quae circa praemissa necessaria vel opportuna sint, faciendi et disponendi.

Christi fidelibus, qui se ad illas regiones contulerint, libertas conceditur sibi eligendi confessorem idoneum, qui ipsos ab omnibus peccatis et delictis absolvat, etiam a reservatis, eorum vota commutet eisque indulgentiam plenariam semel in vita et in articulo mortis concedere valeat. Monasteriis tandem et domibus aedificandis necnon monachis et fratribus plena conceditur facultas libere et licite utendi omnibus gratiis et privilegiis, quae aliis quoque monasteriis vel fratribus Ordinum concessa vel imposterum concedenda sunt, nonobstantibus ordinationibus contrariis praedecessoris Bonifatii VIII, et aliis constitutionibus apostolicis.

Alexander VI

Alexander etc. Dilecto filio Bernardo Boil [1] fratri ordinis Minorum, vicario dicti ordinis in Hispaniarum Regnis, salutem etc. Piis fidelium presertim Catholicorum Regum et principum votis que religionis propagationem divinique cultus augmentum et fidei catholice exaltationem ac animarum salutem respiciunt libenter annuimus eaque quantum cum Deo possumus, favoribus prosequimur oportunis. Cum itaque, sicut carissimus in Christo filius noster Ferdinandus Rex et carissima in Christo filia nostra Elisabet Regina Castelle et Legionis, Aragonum et Granate, illustres nobis nuper exponi fecerunt ipsi fervore devotionis accensi desiderantes quod fides catholica in terris et insulis per eos de novo versus partes occidentales et mare Occeanum repertis antea aliis incognitis ac aliis imposterum reperiendis floreat et exaltetur, decreverunt te ad partes illas destinare, ut inibi per te et alios presbiteros seculares vel religiosos ad id ydoneos et per te deputandos verbum Dei predicetis et seminetis ac incolas et habitatores insularum et terrarum predictarum, qui fidei nostre cognitionem non habent, ad fidem ipsam ac religionem Christianam reducatis et in

[1] De eo cfr. *Fidel Fita y Colomé,* Fray Bernal Buyl, ó el primer Apóstol del Nuevo Mundo. Collección de documentos raros e inéditos, relativos a este varón ilustre. Madrid 1884.

mandatis Domini eos anbulare doceatis et instruatis; nos sperantes quod ea que tibi duxerimus committenda fideliter et diligenter exequeris, tibi qui presbiter es ad insulas et partes predictas etiam cum aliquibus sociis tui vel alterius ordinis, per te aut eosdem Regem et Reginam eligendis superiorum vestrorum vel cuiusvis alterius super hoc licentia minime requisita accedendi et inibi quandiu volueris commorandi ac per te vel alium seu alios ad id ydoneos presbiteros seculares vel religiosos ordinum quorumcunque verbum Dei predicandi et seminandi dictosque incolas et habitatores ad fidem catholicam reducendi eosque baptizandi et in fide ipsa instruendi ac ecclesiastica sacramenta quotiens opus fuerit ipsis ministrandi, ipsosque et eorum quemlibet per te vel alium seu alios presbiteros seculares vel religiosos et in eorum confessionibus etiam quotiens opus fuerit audiendi illisque diligenter auditis pro commissis per eos criminibus, excessibus et delictis, etiam si talia fuerint, propter que sedes apostolica quovis modo fuerit consulenda, de absolutionis debito providendi eisque penitentiam salutarem iniungendi necnon vota quecunque per eos pro tempore emissa, Ierusolimitano, liminum apostolorum Petri et Pauli ac sancti Iacobi in Compostella et religionis votis dumtaxat exceptis, in alia pietatis opera commutandi ac quecunque ecclesias, capellas, monasteria, domos ordinum quorumcunque etiam Mendicantium tam virorum quam mulierum et loca pia cum campanilibus, campanis, claustris, dormitoriis, refectoriis, ortis, ortalitiis et aliis necessariis officinis sine alicuius preiudicio erigendi, construendi et edificandi ac ordinum Mendicantium professoribus domos quas pro eis construxeris et edificaveris, recipiendi et perpetuo inhabitandi licentiam concedendi dictasque ecclesias benedicendi et quotiens illas earumque cimiteria per effusionem sanguinis vel seminis aut alias violari contigerit aqua prius per aliquem catholicum antistitem ut moris est benedicta reconciliandi et etiam necessitatis tempore super quo conscientias vestras oneramus carnibus et aliis cibis tibi et sociis tuis predictis iuxta regularia dictorum ordinum instituta prohibitis libere et licite vescendi omniaque alia et singula in premissis et circa ea necessaria et quomodolibet oportuna faciendi, gerendi, exequendi et disponendi plenam, liberam et omnimodam auctoritate apostolica et ex certa scientia tenore presentium facultatem, licentiam, potestatem et auctoritatem concedimus pariter et elargimur. Et insuper ut Christi fideles eo libentius devotionis causa ad dictas terras et insulas confluant, quo suarum se speraverint salutem animarum adepturos, omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus predictis qui ad predictas terras et insulas se personaliter de mandato tamen et voluntate Regis et Regine predictorum contulerint, ut ipsi et quilibet eorum confessorem ydo-

neum secularem vel regularem eligere possint, qui eos et eorum quemlibet modo premisso ab eorum criminibus, peccatis et delictis, etiam dicte sedi reservatis, absolvat ac eorum vota etiam commutet necnon omnium peccatorum suorum, de quibus corde contriti et ore confessi fuerint, indulgentiam et remissionem ipsis in sinceritate fidei, unitate sancte Romane ecclesie ac obedientia et devozione nostra et successorum nostrorum Romanorum pontificum canonice intrantium persistentibus, semel in vita et semel in mortis articulo auctoritate prefata concedere valeat; necnon monasteriis, locis et domibus erigendis et edificandis ac monachis et fratribus in illis pro tempore degentibus, ut omnibus et singulis gratiis, privilegiis, libertatibus, exemptionibus, immunitatibus, indulgentiis et indultis, aliis monasteriis, locis, domibus, monachis et fratribus ordinum, quorum illa et illi fuerint, in genere concessis et concedendis imposterum uti, potiri et gaudere libere et licite valeant, auctoritate prefata, de specialis dono gratie indulgemus; non obstantibus felicis recordationis Bonifacii pape VIII, predecessoris nostri, et, ne quivis ordinum Mendicantium fratres nova loca recipere presumant absque dicte sedis licentia speciali, de prohibitione huiusmodi plenam et expressam mentionem faciente, et aliis apostolicis constitutionibus, statutis quoque et consuetudinibus dictorum ordinum iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, quodque tu de personis in ecclesiastica dignitate constitutis, quibus littere apostolice dirigi debent, non existas ceterisque contrariis quibuscunque. Verum quia difficile foret presentes litteras ad singula queque loca, in quibus expediens fuerit, deferre, volumus et dicta auctoritate decernimus, quod illarum transumptis, manu publici notarii inde rogati subscriptis et sigillo alicuius persone ecclesiastice in dignitate constitute seu curie ecclesiastice munitis, ea prorsus fides indubia in iudicio et extra ac alias ubilibet adhibeatur, que presentibus adhiberetur, si essent exhibite vel ostense. Nulli etc. nostre concessionis, elargitionis, indulti, voluntatis et decreti infringere etc. Si quis etc. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, anno etc. MCCCCLXXXXIII, septimo kalendas iulii, pontificatus nostri anno primo.

5

Dudum siquidem

Sevilla, Archivo General de Indias, Patronato, leg.° 1, N.° 2 [1]. — die 26 septembris 1493
Hernáez I 17-18
García Gallo 814-816
Silva Marques III 420-421 [2]
BM II 21 [3]

EXTENSIO DONATIONIS ET IURISDICTIONIS

Summus Pontifex regibus Hispaniae donat, concedit et assignat eas quoque insulas et terras firmas, quas forte ab eorum nuntiis, navigando versus Occidentem et Meridiem, in partibus Orientalibus et Indiae detegerentur, dummodo prius ab aliis principibus christianis occupatae non fuerint.

Alexander VI

Alexander episcopus servus servorum Dei. Carissimo in Christo filio Ferdinando Regi et carissime in Christo filie Elisabeth regine Castelle, Legionis, Aragonum et Granate illustribus salutem et Apostolicam benedictionem. Dudum siquidem omnes et singulas insulas et terras firmas inventas et inveniendas versus Occidentem et Meridiem, que sub actuali dominio temporali aliquorum dominorum christianorum constitute non essent [4] vobis heredibusque et successoribus ve-

[1] Duo exempla harum Litterarum exstant. Variae lectiones ab auctore *Silva Marques* vol. III p. 420 indicantur.
[2] Aliae plures publicationes ab auctore enumerantur.
[3] Auctor alias publicationes et translationes in alias linguas indicat.
[4] Ratione habita Regum Lusitaniae.

stris Castelle et Legionis regibus in perpetuum motu proprio et ex certa scientia ac de Apostolice potestatis plenitudine donavimus, concessimus et assignavimus vosque heredes et successores prefatos de illis investimus illarumque dominos cum plena, libera et omnimoda potestate, auctoritate et iurisdictione constituimus et deputavimus prout in nostris inde confectis litteris quarum tenores ac si de verbo ad verbum presentibus insererentur haberi volumus pro sufficienter expressis plenius continetur. Cum autem contigere posset quod nuntii et capitanei aut vassalli vestri versus Occidentem aut Meridiem navigantes ad partes Orientales applicarent ac insulas et terras firmas que Indie fuissent vel essent reperirent nos volentes etiam vos favoribus prosequi gratiosis motu et scientia ac potestatis plenitudine similibus donationem, concessionem, assignationem et litteras predictas cum omnibus et singulis in eisdem litteris contentis clausulis ad omnes et singulas insulas et terras firmas inventas et inveniendas ac detectas et detegendas que navigando aut itinerando versus Occidentem aut Meridiem huiusmodi sint vel fuerint aut apparuerint sive in partibus Occidentalibus vel Meridionalibus et Orientalibus et Indie existant auctoritate Apostolica tenore presentium in omnibus et per omnia perinde ac si in litteris predictis de eis plena et expressa mentio facta fuisset extendimus pariter et ampliamus. Vobis ac heredibus et successoribus vestris predictis per vos vel alium seu alios corporalem insularum ac terrarum predictarum possessionem propria auctoritate libere apprehendendi ac perpetuo retinendi illasque adversus quoscunque impedientes etiam defendendi plenam et liberam facultatem concedentes ac quibuscumque personis etiam cuiuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis vel condicionis sub excommunicationis late sententie pena quam contrafacientes eo ipso incurrant districtius inhibentes ne ad partes predictas ad navigandum, piscandum vel inquirendum insulas vel terras firmas aut quovis alio respectu seu colore ire vel mittere quoquomodo presumant absque expressa et spetiali vestra ac heredum et successorum predictorum licentia. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ac quibusvis donationibus, concessionibus, facultatibus et assignationibus per nos vel predecessores nostros quibuscunque regibus, principibus, infantibus aut quibusvis aliis personis aut ordinibus et militiis de predictis partibus, maribus, insulis atque terris vel aliqua eorum parte etiam ex quibusvis causis etiam pietatis vel fidei aut redemptionis captivorum et aliis quantumcunque urgentissimis et cum quibusvis clausulis etiam derogatoriarum derogatoriis, fortioribus, efficatioribus et insolitis, etiam quascunque sententias, censuras et penas in se continentibus que suum per actualem et realem possessionem non essent sortite effectum licet forsan aliquan-

do illi quibus donationes et concessiones huiusmodi facte fuissent aut eorum nuntii ibidem navigassent; quas tenores illarum etiam presentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes motu, scientia et potestatis plenitudine similibus omnino revocamus ac quoad terras et insulas per eos actualiter non possessas pro infectis haberi volumus; necnon omnibus illis que in litteras predictas voluimus non obstare ceterisque contrariis quibuscunque. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominice millesimo quadringentesimo nonagesimo tertio, sexto kalendas octobris, Pontificatus nostri anno secundo.

6

Eximiae devotionis

Fita, Primeros años 261-263
Navarrete 454-455
Blair-Robertson I 243-245
Hernáez I 20-21
Colección de documentos inéditos,
2ª Serie 5 (Madrid 1890) 7-9
BM II 39

die 16 novembris 1501

DECIMAE IN PARTIBUS INDIARUM REGIBUS CATHOLICIS PRO CULTU DIVINO EROGANDAE ASSIGNANTUR

Summus Pontifex refert supplicationem sibi a Regibus Catholicis prolatam, ut ipsis pro maiore quoque fidei catholicae exaltatione in insulis et partibus Indiarum decimae concedantur, ab illarum incolis exigendae, ob graves impensas et labores in earum recuperatione susceptos vel pro earundem conservatione in posterum necessarios. Summus Pontifex benigne concedit quod petitur, etiam pro ipsorum successoribus, tamen dotibus pro Ecclesiis ibi erigendis et salva sustentatione pro earum rectoribus et cultu divino debite exercendo.

Alexander VI

Alexander Episcopus, Servus servorum Dei, charissimo in Christo filio Ferdinando Regi et charissime in Christo filie Helisabeth Regine Hispaniarum catholicis salutem et apostolicam benedictionem.

Eximie devotionis sinceritas et integra fides, quibus Nos et Romanam reveremini Ecclesiam, non indigne merentur ut votis vestris, illis presertim [annuamus] per que circa catholice fidei exaltationem ac infidelium et barbarorum nationum depressionem libentius et promptius intendere valeatis.

Sane pro parte vestra nobis nuper exhibita petitio continebat quod vos, pia ducti devotione pro fidei catholice exaltatione, sum[m]opere desideratis, prout jam a certo tempore citra non sine magna impensa vestra ac laboribus facere c[o]epistis et in dies magis facere non cessatis, insulas et partes indiarum acquirere et recuperare, ut in illis, quacumque damnata secta abjecta, colatur et veneretur Altissimus; et quia pro recuperatione insularum et partium predictarum vobis necesse erit graves subire impensas et grandia pericula perferre, expedit ut pro conservatione et manutentione dictarum insularum, postquam per vos acquisite et recuperate fuerint, ac perferendis impensis ad conservationem et manutentionem predictas necessariis, decimas insularum predictarum ab illarum incolis et habitatoribus pro tempore existentibus exigere et levare possitis; quare, pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum ut, in premissis, vobis statuique vestro opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur, qui ejusdem fidei exaltationem et augmentum, nostris potissimum temporibus, supremis desideramus affectibus, pium et laudabile propositum vestrum plurimum in Domino commendantes, hujusmodi supplicationibus inclinati, vobis et successoribus vestris pro tempore existentibus ut in insulis predictis ab illarum incolis et habitatoribus etiam pro tempore existentibus, postquam ille acquisite et recuperate fuerint ut prefertur, assignata prius realiter et cum effectu, juxta ordinationem tunc diocesanorum locorum quorum conscientias super hoc oneramus, ecclesiis in dictis insulis erigendis per vos et successores vestros prefatos de vestris et eorum bonis dote sufficiente, ex qua illis presidentes earumque rectores se comode sustentare et onera dictis ecclesiis pro tempore incumbentia perferre, ac cultum divinum ad laudem Omnipotentis Dei debite exercere juraque episcopalia persolvere possint, decimam hujusmodi percipere et levare libere ac licite valeatis auctoritate apostolica tenore presentium de specialis dono gratie indulgemus, non obstantibus Lateranensis conci-

lii constitutionibus, et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc atemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Rome apud sanctum Petrum anno Incarnationis dominice millesimo quingentesimo primo, sexto kalendas decembris, pontificatus nostri anno decimo.

7

Illius fulciti praesidio

Fita, Primeros años 267-270 [1]
Colección de documentos inéditos,
2ª Serie 5 (Madrid 1890) 86-91
BM II 47

die 15 novembris 1504

HIERARCHIA ECCLESIASTICA IN INSULA HISPANIOLA ERIGITUR

Laudantur Rex Ferdinandus et Regina Elisabeth propter eorum zelum fidei propagandae in Africa, Asia et in insulis Indiarum Occidentalium nuper detectis et imperio subiectis. Ut «religiosi et docti viri», qui in dictis insulis verbum Dei praedicant et infideles ad fidem christianam convertunt, mansionem firmam et sustentationem sicuram habeant, hierarchia ecclesiastica unius sedis metropolitanae in civitate *Hyaguata* (*Yaguate*) et duorum sedium suffraganearum in civitatibus *Maguá* et *Baynúa* (*Bainoá*) erigitur cum ecclesiasticis dignitatibus, canonicatibus, praebendis aliisque beneficiis ecclesiasticis pro divini cultus augmento, sicuti in Ecclesia universali usus est, ac archiepiscopo et episcopis decimae primiciae locorum et oppidorum singillatim enumeratorum pro eorum sustentatione assignantur aliaque iura privilegiaque attribuuntur.

---

[1] Auctor *Fita* indicat exemplum harum Litterarum in: Sevilla, Archivo General de Indias, Patronato, 1-1-1, R.º 9.

Iulius II

Iulius Episcopus, Servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Illius fulciti praesidio, cujus sunt terre cardines et cui cogitationes hominum preparantur, quique actus mortalium superat et dirigit, ac cujus providentia ordinationem suscipiunt universa, partes officii nostri desuper concessi ad ea libenter exponimus per que singulis, in tenebris constitutis et ad verum lumen quod est Christus accedere cupientibus, lucis radii resplendeant. Unde in singulis locis, prout illorum necessitas et alie rationabiles cause id exigunt, novas Archiepiscopales et Episcopales sedes ecclesiasque pro excellenti Sedis Apostolice preeminentia plantamus, ut per novas plantationes nova populorum adhesio militanti Ecclesie accrescat, religionisque christiane et catholice fidei professio ubique consurgat, dilatetur et floreat, ac loca etiam humilia illustrentur ut eorumdem locorum incole et habitatores novarum sedium et honorabilium Presulum cum decenti numero ministrorum assistentia circumfulti, auctore Domino, felicitatis eterne premia facilius valeant adipisci.

Sane cum carissimus in Christo filius noster Ferdinandus Rex et carissima in Christo filia nostra Elisabeth Regina Castelle, Legionis ac Sicilie, illustres pro augmento ejusdem religionis christiane et ad Dei laudem, necnon dicte fidei catholice exaltationem pro viribus hactenus non cessaverint neque cessent in dies non solum in Europa, sed etiam in Africa et in partibus Asie, loca et dominia infidelium ab eorumdem infidelium crudeli servitute et tirannide eripere ut inibi eadem fides catholica plantetur, et plantata dilatetur; et inter cetera regna et dominia, a mauris et sarracenis ac aliis infidelibus recuperata, nuper quamdam notabilem insulam, in insulis Indiarum nuncupatis consistentem seu eisdem insulis adjacentem eorum valido et potenti exercitu ac classe maritima adversus dictos infideles preparatis, ab eisdem infidelibus, Deo auxiliante, eripiendo ipsorum Regis et Regine dominio subjecerint; et post hujusmodi recuperationem et subjectionem, non contenti dominio temporali, sed volentes magis quantum eis liceret in eadem insula sic recuperata et acquisita, quam insulam Spagniolam de cetero nuncupari voluerunt, etiam spiritualiter ad exaltationem ejusdem fidei catholice edificare, non destiterint religiosos et doctos viros ad dictam insulam transmittere ut inibi verbum Dei predicarent ipsosque infideles eorum predicationibus ad fidem christianam converterent; sed quia religiosi et alie persone ad hoc destinate inibi eorum mansionem firmam non faciunt neque habent idem[que] fructus ex hoc non provenit qui proveniret si in dicta insula deputa-

rentur persone idonee, qui inibi mansionem perpetuam haberent ac verbo et exemplo proficerent:

Nos, habita super iis cum venerabilibus fratribus nostris deliberatione matura, de illorum consilio, Rege et Regina prefatis hoc etiam cupientibus et super hoc Nobis supplicantibus, ad ipsius Dei laudem et gloriam, ac venerationem beate gloriose Virginis Mariae totiusque celestis curie jubilationem, Hyaguata [2] et Magua [3] ac Bayuna [4] provincias, terras sive oppida in dicta insula consistentia, civitatum titulo de fratrum eorumdem consilio et apostolice potestatis plenitudine auctoritate apostolica, tenore presentium, insignimus; illaque in civitates; et in provincia Hyaguata, in qua est Portus Sancti Dominici nuncupatus, ac eadem Hyaguatensi unam Metropolitanam Hyaguatensem nuncupandam sub invocatione Annunciationis, seu Incarnationis, ejusdem Beate Marie Virginis pro uno Archiepiscopo, et in Magua unam Maguensem ac in Bayuna civitatibus, sic ex oppidis sive terris civitatum titulis insignitis et decoratis, unam aliam Bayunensem nuncupandas, Cathedrales ecclesias, pro uno Maguensi et altero Bayunensi episcopis; qui in dicta insula verbum Dei predicent dictosque infideles et gentes barbaras ad fidem Christi convertant, et conversos in eadem fide instruant et doceant, eisque baptismi gratiam impendant, et sacramenta ecclesiastica ac alia spiritualia eisdem ac omnibus aliis christianis, in illis pro tempore degentibus ministrent, ambitumque et formam tam Metropolitane quam cathedralium ecclesiarum predictarum et cujuslibet earum designent, et edificari faciant, ac in eis illarumque civitatibus et diocesibus ecclesiasticas dignitates, canonicatus et prebendas, aliaque beneficia ecclesiastica, cum cura et sine cura, prout pro divini cultus augmento et alias pro animarum salute expedire noverint, respective erigant et instituant, ac alia spiritualia conserant et seminent, cum Archiepiscopali et Episcopalibus insigniis, jurisdictionibus, privilegiis, immunitatibus et gratiis, quibus alii Archiepiscopi et Episcopi de jure vel consuetudine utuntur et gaudent, seu uti potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, de similibus consilio et potestatis plenitudine, auctoritate et tenore predictis erigimus et instituimus [5]; ipsamque totam insulam Spagniolam, pro provincia Archiepiscopali, eidem ecclesia Hyaguatensi et illius

---

[2] Hodie *Yaguate.*

[3] Hodie *Maguá.*

[4] Id est *Baynúa.* Hodie *Bainoá.*

[5] Die 8 augusti anno 1511 tres istae sedes episcopales iterum supprimuntur, in alias civitates transferuntur et hierarchia ecclesiastica in insula *Hispaniola* aliter circumscribitur. Cfr. infra doc. 16.

Archiepiscopo pro tempore existenti; pro illius vero diocesi terras loca et oppida, videlicet dictum portum Sancti Dominici ac Ceni ayucubet, guayagua Azua Higuanama Higuei Nicao, Aramana Aycagua Magaren Canobocoa, Camuti, Elbonao et Elmanie; easdem vero Maguensem et Bayunensem ecclesias Cathedrales dicte ecclesie Hyaguatensi pro ejus suffraganeis; et Maguensi pro eius civitate civitatem Maguensem, ac pro diocesi et districtu terras, oppida et loca, videlicet Marien Macorix et terras de Gùatigana Abaraco Cauxina, terram de Himataonex, de Manguato Caone, terram de Hyavaroex Coaxec Cibao, terram de Himataonex Cubao Lostiguaos Elma-cerix Elcotrix; Bayunensi vero, ecclesie predicte, similiter pro ejus civitate civitatem Bayunensem, et pro diocesi et districtu terras, oppida et loca, videlicet de la Maguana Jabonico Xinabuer, Jacahuer, Iguanuco Atryco Cleahax guacaci Xuragua Taxguanuo Camaye Elcahayseto Elbaoruco Jaquimo, Laxaguana Guahuqua et Haniguayagua perpetuo assignamus; ita ut Archiepiscopus metropolitica, et tam ipse in sua metropolitana quam singuli ex Maguensi et Bayunensi episcopis predictis in suis provinciis civitatibus et diocesibus respective metropoliticam et episcopalem jurisdictionem auctoritatem et potestatem exerceant, et decimas primitias ac alia jura episcopalia percipiant et exigant, prout Archiepiscopi et episcopi Regnorum et dominiorum eorumdem Regis et Regine in suis Archiepiscopatibus et Episcopatibus, civitatibus et diocesibus de jure vel consuetudine, seu ex privilegiis eis concessis percipiunt et percipere possunt. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre insignitionis, erectionis, institutionis, et assignationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noviret incursurum.

Datum Rome, apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominice millesimo quingentesimo quarto, decimo septimo kalendas Decembris, Pontificatus nostri anno primo.

8

Ecclesiarum utilitati

Hernáez II 708 — die 15 novembris 1504
Boletín de la Real Academia de la Historia XX
(Madrid 1892) 587-588
BM II 48

EPISCOPUS SEDIS BAYUNENSIS NOMINATUR

Iure proprio seu reservatione apostolica expressis verbis confirmata, Summus Pontifex sacerdotem professum Ordinis Fratrum Minorum de Observantia [García de Padilla] [1], primum Ecclesiae Bayunensis in insula *Hispaniola* Episcopum constituit.

Iulius II

Iulius Episcopus Servus servorum Dei. Ecclesiarum utilitati tunc recte consulitur et indemnitati salubriter providetur, cum viris providis et discretis earum cura committitur [...]. Dudum siquidem provisiones Ecclesiarum omnium apud Sedem Apostolicam tunc vacantium et in antea vacaturarum ordinationi et dispositioni nostrae reservavimus, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super his per quoscumque, quavis auctoritate scienter vel ignoranter, contigeret attentari. Postmodum vero Ecclesiam Bajunensem, quam nos hodie in in-

[1] García de Padilla, OFMObs., qui postea nominatus est episcopus Ecclesiae Sancti Dominici (*Santo Domingo*), mortuus est anno 1515, brevi post consecrationem episcopalem. Cfr. *Fita,* Fray García de Padilla, primer obispo de Baimía y de Santo Domingo. In: Boletín de la Real Academía de la Historia XX (Madrid 1892) 588-419; *Lopetegui-Zubillaga* 275; BM II 72.

sula Spagniola nuncupata in Insulis Indiarum nuncupatis consistente seu illis adiacente, de Fratrum nostrorum consilio et Apostolicae potestatis plenitudine ereximus a primaeva eius erectione huiusmodi apud Sedem predictam vacaverit. Nos ad provisionem eiusdem ecclesiae celerem et felicem, de qua nullus praeter nos hac vice se immiscere potuit sive potest, reservatione et decreto supradictis obsistentibus, ne ecclesia ipsa longae vacationis exponatur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes post deliberationem, quam de praeficiendo eidem ecclesiae personam utilem ac etiam fructuosam cum eisdem fratribus nostris habuimus diligentem; demum ad te, Ordinis Fratrum Minorum de Observantia nuncupatorum professorem, in sacerdotio constitutum, cui apud nos de litterarum scientia, vitae munditia, honestate morum, spiritualium providentia et temporalium circumspectione aliisque multiplicium virtutum donis fidedigna testimonia perhibentur, direxerimus oculos nostrae mentis, quibus omnibus debita meditatione pensatis de persona tua nobis et fratribus praedictis ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta eidem ecclesiae de simili consilio eadem auctoritate providemus, teque illi in episcopum et pastorem praeficimus, curam et administrationem eiusdem ecclesiae tibi in spiritualibus et temporalibus plene committendo in illo qui dat gratias et largitur praemia. Confidentes quod praefata ecclesia sub tuo felici regimine, gratia assistente Divina, regetur utiliter et prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Iugum igitur Domini tuis impositum humeris prompta devotione suscipiens, curam et administrationem praedictas sic exercere studeas sollicite, fideliter et prudenter quod ipsa ecclesia gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque praeter aeternae retributionis praemium, nostram et dictae Sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis. Datum Romae apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo quarto, XVII kalendas Decembris anno primo [2].

---

[2] Ecclesia Bayunensis hac vice in taxa posita non est propter provisionem episcopi: Die XIIII dicti [mensis iulii 1505] d[omini] Iohannes Didaci vice et nomine r[everen]di p[atris] d[omi]ni Garsie de Padilla electi Bayunensi costituti, provisionis et prefectionis ad ecclesiam supra in insula Indiarum nuncupata etc., per bullam sub XVII kalendas decembris anno primo auctoritate Apostolica facta dictum et ordinatum fuit, quod dicta ecclesia Bayunensis pro hac prima vice non poneretur in aliqua taxa nec pro ea fecit aliquid obligatio nec pro ea aliquid solveretur taxationibus S[anctissimi] D[omini] N[ostri] et Collegii, minutis, servitiis et aliis quibuscunque iuribus aliorum officialium iure aliis ipsi Camere et suis officialibus debitis, sed quod in primo pro pena vacare dicta ecclesia Baiunensis tunc ex arariorum illius fructibus, et vero valore poneretur in taxa et solveretur coram et alia iura Camere et Collegii predictorum consueta, ut est:

Et propterea dictus procurator habuit bullam predicte ecclesie absque aliqua solutione et obligatione etc. a dicta Camera etc. (Cam. Apost., Oblig. et Sol. 88 fol. 34v). Eodem die episcopus Ecclesiae Maguensis nominatus est Alfonsus Manso, qui postea fit episcopus Ecclesiae de *Puerto Rico*; ipse erat primus episcopus qui in terra americana appulit, ubi anno 1512 advenit. Mortuus est die 27 septembris 1534. Cfr. *Lopetegui-Zubillaga* 253-254. Ecclesia Maguensis quoque hac vice in taxa posita non est: Dicta die idem d[ominus] Iohannes nomine Alfonsi electi Maguensis in predicta insula constituti provisionis ad eandem ecclesiam, per bullam die iulii sub predicta data facta etc. et ordinata fuit quod dicta ecclesia pro prima vice non poneretur in taxa, neque solvetur neque se obligaret pro comunibus iure minutis etc. Et propterea dictus Didacus habuit bullam absque aliqua solutione (Cam. Apost., Oblig. et Sol. 88 fol. 34v).

9a

Cum nos nuper

Reg. Lat. 1169 fol. 209rv — die 14 novembris 1505

ARCHIEPISCOPUS HYAGUATENSIS NOMINATUR

Petrus de Deza primus sedis metropolitanae Hyaguatensis in insula *Hispaniola* archiepiscopus constituitur ac pallium ei a nuntio suo Andrea Gentili postulatum assignatur.

Iulius II

Dilecto filio Petro [1] electo Hyaguaten., salutem et Apostolicam benedictionem. Cum nos nuper de patronatus nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta ecclesie Hyaguatensis,

[1] Petrus de Deza (Pedro Suárez de Deza) postea nominatus est episcopus Ecclesiae *Concepción de la Vega.* Anno 1512 consecrationem episcopalem suscepit. Cfr. *Lopetegui-Zubillaga* 250-251; BM II 72.

tunc ab eius primeva erectione vacanti de eorundem fratrum consilio duxerimus, auctoritate Apostolica providendum preficiendo te illi in archiepiscopum et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur, ac postmodum pallium insigne videlicet plenitudinis pontificalis officii ex parte tua fuisset a nobis per dilectum filium Andream Gentilem clericum Ianuen. nuntium tuum cum ea qua decuit instantia postulatum, nos tuis supplicationibus annuentes pallium ipsum de corpore beati Petri sumptum per venerabiles fratres nostros Toletan. et Hispalen. archiepiscopos assignandum tibi per eundem Andream duxerimus destinandum ut iidem episcopi vel eorum alter illud tibi assignent iuxta formam quam eis sub bulla nostra mittimus introclusam et a te nostro et Ecclesie Romane nomine sub forma quam sub eadem bulla dirigemus fidelitatis debite solitam excipiant seu recipiant iuramentum. Tum autem illo intra ecclesiam tuam illis diebus dumtaxat utaris que expresse in ipsius ecclesie Hyaguatensis privilegiis continentur ut igitur signum non discrepet a signato sed quod geris exterius interius semescit mente discretionem tuam monemus et hortamur attente per Apostolica tibi scripta mandantes quatinus humilitatem et iustitiam dante Domino qui dat premia et munera largitur observare studeas que suum servant et promovent servatorem et Hyaguatensem ecclesiam sponsam tuam cures solicite auctoritate Domino spiritualiter et temporaliter augmentare. Datum Rome apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominice millesimo quingentesimo quinto, decimo octavo kalendas decembris, Pontificatus Nostri Anno secundo [2].

[2] Ecclesia Hyaguatensis hac vice in taxa non est posita: Dicta die idem Io[hannes] Didaci nomine reverendi patris domini Petri archiepiscopi Hyaguatensis in predicta insula constituti provisionis ad eandem ecclesiam per bulla die iulii sub predicta data facta et ordinata fuit quod dicta ecclesia pro prima vice non poneretur in taxa, neque solveretur, neque se obligaret per comunibus iure minutis. Et propterea habuit dictas bullas, absque obligatione etc. (Cam. Apost., Oblig. et Sol. 88 fol. 34v).

9b

Cum pallium

Reg. Lat. 1169 fol. 209v die 14 novembris 1505

ASSIGNATIO PALLII

Archiepiscopi Toletanus et Hispalensis de provisione Ecclesiae Hyaguatensis certiores redduntur eisque pallium archiepiscopo Hyaguatensi assignandum per seipsos vel per alterum eorum committitur.

Iulius II

Simili modo venerabilibus fratribus Toletan. et Ispalen. archiepiscopis salutem et Apostolicam benedictionem. Cum pallium insigne videlicet plenitudinis pontificalis officii ex parte dilecti filii Petri electi Hyaguatensis de eius persona nobis et fratribus nostris ob suorum exigentiam meritorum accepta de eorumdem fratrum consilio ecclesie Hyaguatensi tunc ab eius primeva erectione vacanti per alias nostras litteras providimus preficiendo ipsum illi in archiepiscopum et pastorem prout in eisdem litteris plenius continetur, per dilectum filium Andream Gentilem clericum Ianuen. nuntium suum fuerit a nobis cum ea qua decuit instantia postulatum, nos ipsius precibus annuentes pallium ipsum de corpore beati Petri sumptum per vos vel vestrum alterum assignandum eidem secundum formam quam vobis sub bulla nostra mittimus introclusam per prefatum Andream duxerimus destinandum. Quocirca fraternitati vestre per Apostolica scripta mandamus quatinus vos, vel alter vestrum pallium ipsum iuxta premissam formam sibi assignare curetis et ab ipso nostro et Ecclesie Romane nomine sub forma quam sub eadem bulla dirigimus fidelitatis debite solitum recipiatis seu alter vestrum recipiat iuramentum forma

autem iuramento quod dictus Petrus electus prestabit nobis de verbo ad verbum per eius patentes litteras suo sigillo signatas per proprium nuntium quamtotius destinare curetis. Datum Rome apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominice millesimo quingentesimo quinto, decimo octavo kalendas decembris, Pontificatus Nostri Anno secundo.

10

Ea quae

Reg. Lat. 1181 fol. 327r-328v — die 24 ianuarii 1506
Bull. Patr. I 70-71 [1]

CONVENTIO PACIS INTER REGES PORTUGALLIAE ET HISPANIAE CIRCA INSULAS ANTILLAS APOSTOLICA CONFIRMATIONE ROBORATUR

Ex petitione Emmanuelis, regis Portugalliae Pontifici exhibita in memoriam revocatur concessio apostolica regi Ioanni antea facta navigandi per mare Oceanum et insulas aliaque loca ibi reperta perquirere et sibi retinere, aliis exclusis. Lite vero exorta inter eundem Ioannem regem Portugalliae et Ferdinandum regem Castellae et Legionis super insulis per illum inventis et occupatis quae *Las Antillas* nuncupantur, partes ad huiusmodi controversiis obviandum concordiam vel conventionem pacis inierunt, qua statuta et distincta sunt loca inter quae alterutra per dictum mare navigare novasque insulas perquirere et sibi retinere valeat. Petitioni porro a rege Emmanueli exhibitae ut praedictae conventioni robur apostolicae confirmationis adiiciatur, Pontifex se inclinatum dicens episcopis nominatis mandatum et potestatem confert, omnia et singula in eodem instrumento contenta approbare et confirmare molestiis vel contradictionibus super iisdem in posterum praeclusis.

---

[1] Editor exemplum et publicationes harum Litterarum indicat.

Iulius II

Iulius etc. [Episcopus Servus servorum Dei]. Venerabilibus fratribus archiepiscopo Bracharen. et episcopo Visen. salutem etc. Ea quae pro bono pacis et quietis inter personas quaslibet, praesertim Catholicos Reges, per concordiam terminata sunt, ne in redevivae contentionis scrupulum relabantur, sed forma perpetuo et inconcussa permaneant, libenter, cum a nobis petitur, Apostolico munimine roboramus. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte carissimi in Christo filii nostri Emanuelis, Portugalliae et Algarbiorum Regis illustris petitio continebat, quod olim postquam per Sedem Apostolicam clarae memoriae Joanni, Regi Portugalliae et Algarbiorum, quod ipse Joannes et Rex Portugalliae et Algarbiorum pro tempore existens per mare Oceanum navigare aut insulas et portus et loca firma infra dictum mare existentia perquirere et inventa sibi retinere liceret ac omnibus aliis sub excommunicationis et aliis poenis tunc expressis, ne mare huiusmodi contra voluntatem praefati Regis navigare, aut insulas et loca ibidem repperta occupare praesumerent, inhibitum fuerat. Cum autem [inter] praefatum Joannem Regem ex una et charissimum in Christo filium nostrum Ferdinandum, Aragonum tunc Castellae et Legionis Regem illustrem super certis insulis las Antillis nuncupatis per praefatum Regem inventis et occupatis ex alia partibus, lis, controversia et quaestionis materia exortae fuissent, partes ipsae litibus, controversiis et quaestionibus huiusmodi obviare ac pacem et concordiam inter se pro subditorum suorum commoditate nutrire et vigere desiderantes ad certas honestas concordiam, conventionem et compositionem devenerunt per quam inter cetera voluerunt quod Portugalliae et Algarbiorum a certis Castellae vero et Legionis Regibus pro tempore existentibus a certis aliis locis usque ad certa alia loca tunc expressa per dictum mare navigare et insulas novas perquirere et capere ac sibi retinere liceret, prout in quodam instrumento publico desuper confecto dicitur plenius continetur. Quocirca pro parte praefati Emmanuelis Regis nobis fuit humiliter supplicatum ut concordiae, conventioni et compositioni praedictis pro illorum subsistentia firmiori robur Apostolicae confirmationis adjicere ac alias in praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur qui inter personas quascumque praesertim regali dignitate fulgentes pacem et concordiam vigere intensis desideriis affectamus de praemissis certam notitiam non habentes huiusmodi supplicationibus inclinati fraternitati vestrae per Apostolica scripta mandamus quatenus vos vel alter vestrum, si est ita, concordiam, conventionem et compositionem

praedictas ac prout illas concernunt omnia et singula in dicto instrumento contenta et inde secuta quaecumque de utriusque Regis consensu approbare et confirmare illamque perpetuae firmitatis robur obtinere, decernentes auctoritate nostra, curetis supplentes omnes et singulos defectus, si qui forsan intervenerunt in eisdem. Et nihilominus si confirmationem et approbationem praedictas per vos vigore praesentium fieri contigerit, ut praefertur, faciatis dictam concordiam inviolabiliter observari, ac eosdem reges concordia et illius confirmatione et approbatione praedictis pacifice gaudere, non permittentes eos inter se, aut per quoscumque alios desuper indebite molestari. Contradictores etc. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis contrariis quibuscumque; aut si eisdem Regibus vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possit per Litteras Apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo quinto, nono kalendas februarii anno tertio.

11

Proficiscens ad maiestatem tuam

Arm. XXXVIIII 25 fol. 297v — die 10 aprilis 1507
Heywood 33

LITTERAE COMMENDATICIAE

Summus Pontifex Regi Catholico commendat Bartholomaeum Colori [Colón], germanum Christophori Colori [Colón], attentis utriusque meritis de inventione insularum in partibus Indiae Occidentalis.

Iulius II

Carissimo in Christo filio nostro Ferdinando Aragonum et Cecilie [1] regi Catholico.

Carissime in Christo fili noster salutem et apostolicam benedictionem. Profisciscens ad maiestatem tuam dilectus filius Bartholomeus Colori [2] germanus Cristofori Colori [2] qui annis superioribus repperit illas insulas in Indie partibus cum nos cum intellegeremus eum tue maiestatis esse servitorem et diu in illis insulis commoratum libenter vidimus et audivimus et certe cum christiane reipublice in earum insularum inventione tantum profuerint digni videntur omni favore et protectione. Quare ipsum Bartholomeum et eius fratris [3] dictarum insularum admiratum maiestati tue in eorum negociis non vulgariter commendamus. Datum etc. [4].

[1] Siciliae.
[2] Colón.
[3] Omittitur: filium.
[4] Die 10 aprilis.

12

Cum esset in itinere

Arm. XXXVIIII 25 fol. 297v-298r — die 10 aprilis 1507
Heywood 33-34

LITTERAE COMMENDATICIAE

Summus Pontifex enixe commendat Bartholomaeum Colum [Colón], germanum Christophori Colón qui insulas Indiae Occidentalis antea ignotas repperit quapropter et ipse eundem eiusque fratris filium ob eius merita benigne suscepit.

Iulius II

Carissime in Christo fili noster salutem etc. Cum esset in itinere ad maiestatem tuam veniendi dilectus filius Bartholomeus Colum [1] germanus Christofori Colon qui annis superioribus repperit illas insulas Indie maioribus nostris ignotas divertit ad nos pedes nostros osculaturus quem quia in illis insulis diu versatus est benigne vidimus atque audivimus commendatione quoque nostra voluimus prosequi multum enim in dictarum insularum inventione reipublice christiane profuisse videntur. Quare maiestatem tuam que Catholice fidei semper quesivit atque optavit [2] hortamur ut ipsum Bartholomeum et eius fratris filium dictarum insularum admiratum licet eam sponte sua id facturum potemus commendatissimos habeat. Datum Romae die 10 aprilis 1507 anno quarto.

---

[1] Colón.
[2] Omittitur: exaltationem.

13

Universalis Ecclesiae regimini

Boletín de la Real Academia de la Historia XX (Madrid 1892) 279-282 — die 28 iulii 1508
Colección de documentos inéditos XXXIV (Madrid 1781) 25-29
Hernáez I 24-25
Leturia, Relaciones I 253-258
BM II 54

CONCESSIO IURIS PATRONATUS PRO ECCLESIIS ERECTIS VEL ERIGENDIS

Summus Pontifex refert Ferdinando rege et Elisabeth regina id petentibus in Nova Hispania unam sedem metropolitanam (*Yaguate*) et duas cathe-

drales Ecclesias (*Maguá* et *Baynúa*) erectas esse. Nunc autem Summus Pontifex declarat et concedit, quod in insulis et locis iam acquisitis vel adhuc acquirendis nulla Ecclesia, monasterium aut locus pius erigi aut fundari possit absque regum Castellae et Legionis pro tempore existentium concessu; quibus pariter tribuitur ius Patronatus et praesentandi personas idoneas ad Ecclesias cathedrales et alia quaecumque beneficia ecclesiastica. Iisdem regibus, de fide catholica optime meritis, instantibus conceditur quod nullus in praedictis insulis vel locis ecclesias magnas absque expresso eorum regum consensu construi facere possit, et insuper ius Patronatus et praesentandi personas idoneas ad omnes maiores ecclesias et monasteria necnon ad dignitates in collegiatis ecclesiis principales, ad beneficia vero inferiora ab Ordinariis competentibus personae praesentatae rite instituantur.

Iulius II

Iulius Episcopus, Servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Universalis Ecclesie regimini divina dispositione licet immerito presidentes, illa presertim Catholicis Regibus libenter concedimus per que eis decus et honor accrescat ac earumdem terrarum Regni [1] statui et securitati opportune consulatur.

Sane cum, paucis ante temporibus, carissimus in Christo filius noster Ferdinandus Aragonum etiam et Sicilie Rex illustris, et clare memorie Elisabeth [2] Castelle et Legionis Regina, diuturno [3] Maurorum jugo ex Hispania ejecto, in Oceanum penetrantes ignotis etiam terris salutiferum Crucis vexillum intulissent, ut scilicet, quantum in se fuit, verbum illud ratum facerent in omnem terram exivit sonus eorum [4], subjugassentque sub axe ignoto et insulas et loca plurima, et inter ceteras maximi pretii et populatissimam unam, illique novum Spagnole [5] nomen imposuissent; Nos in ea, ut falsis et perniciosis ritibus extirpatis vera Religio plantetur, ad eorumdem Regis et Regine preces instantissimas unam Metropolitanam Ayguacen[sem] [6] et duas

---

[1] *Hernáez* legit «Regnum».
[2] *Leturia* scribit «helisabeth».
[3] *Hernáez* habet «diutino».
[4] Ep. ad Romanos 10, 18.
[5] Id est Hispaniolam, quia *México* anno 1519 solummodo detecta est ab Hispanis. Cfr. *Leturia,* Relaciones I 51-58.
[6] *Leturia* habet «Hayguacensem», i.e. Hyaguacensem.

Cathedrales videlicet Maguen[sem] [7] et Bajunen[sem] [8] Ecclesias cum summa Christiani nominis gloria ereximus [9].

Et ne animi nova Fide imbûti, si pium aliquod opus aggrederentur in construendis [10] ecclesiis aut locis piis, illud in tali parte insule hujusmodi facerent unde aut Religioni christiane ibidem recens nate [11] aut temporali Regum dominio prejudicium aliquod afferri posset; accepimusque quod prefatus Ferdinandus Rex, qui etiam Castelle et Legionis Regnorum hujusmodi gubernator generalis existit, ac carissima in Christo filia nostra Joanna eorumdem Regnorum Regina ac ipsius Ferdinandi Regis nata, eis [12] quod nulla Ecclesia, monasteria aut locus pius tam in predictis jam acquisitis quam aliis acquirendis insulis et locis absque eorumdem Ferdinandi Regis et Joanne Regine ac Regum Castelle et Legionis pro tempore existentium consensu erigi aut fundari possint, et cum expediat eidem Regi Ecclesiis et Monasteriis prefatis personas fidas et gratas et acceptas preesse, jus patronatus et presentandi personas idoneas tam Metropolitanas quam alias Cathedrales Ecclesias erectas et pro tempore erigendas, et alia quecumque beneficia ecclesiastica infra annum a die illorum vacationis computandum, et ad inferiora beneficia Ordinariis locorum, et in eventu quod prefati Ordinarii infra decem dies absque legitima causa instituere recusarent [13], quicumque alius Episcopus ad eorum requisitionem presentatum hujusmodi instituere possit, concedi summopere cupiunt.

Nos attendentes premisse insule et predictorum regnorum, cujus Reges apostolice sedi devoti et fideles semper fuerunt, decori et venustati ac securitati cedere, et [ad] magnam instantiam, quam super hoc fecerunt et faciunt apud nos prefati Ferdinandus Rex et Joanna Regina, debitum habentes respectum, habita super his cum fratribus [nostris] Sancte Romane Ecclesie Cardinalibus deliberatione matura, de illorum consilio eisdem Ferdinando Regi et Joanne Regine, ac Castelle et Legionis Regi pro tempore existenti, quod nullus in predictis acquisitis et aliis acquirendis insulis et locis maris hujusmodi [14] Ecclesias magnas, et locis statui prefati Regis importantibus, absque Ferdinandi

---

[7] *Hernáez:* «Maguenensem».

[8] *Leturia*: «Baynuonensem».

[9] Cfr. supra doc. 7.

[10] *Hernáez*: «instruendis».

[11] *Hernáez*: «ibidem recenti».

[12] Supplenda sunt verba: «concedi summopere cupiunt», quae habentur in fine huius paragraphi.

[13] *Hernáez*: «recusaverint».

[14] *Leturia*: «eiusmodi».

Regis [15] et Joanne Regine ac Regis Castelle et Legionis pro tempore existentis expresso consensu construi edificari et erigi facere possit; ac jus patronatus et presentandi personas idoneas ad Ayguacensem et Maguensem ac Bajunensem predictas et alias quascumque Metropolitanas ac Cathedrales Ecclesias et monasteria ac dignitates, etiam in eisdem Cathedralibus, etiam Metropolitanis, post Pontificales majores, ac [in] collegiatis Ecclesiis principales; ac quecumque alia beneficia ecclesiastica et pia loca in dictis insulis et locis pro tempore vacantia, videlicet ad cathedrales etiam metropolitanas, etiam regulares Ecclesias ac monasteria, de quibus consistorialiter disponi debeat, infra annum a die vacationis eorumdem propter longam maris distantiam Nobis et successoribus nostris, Romanis Pontificibus, canonice intrantibus; ad inferiora vero beneficia hujusmodi locorum Ordinariis, jus vero instituendi personas presentatas ad inferiora beneficia hujusmodi eisdem Ordinariis; et si Ordinarii prefati personam presentatam infra decem dies instituere negligerent [16], ex tunc quilibet alius Episcopus illarum partium ad requisitionem Ferdinandi Regis seu Joanne Regine, aut Regis pro tempore existentis, hujusmodi prefatam personam presentatam [17] ea vice instituere libere et licite valeat, auctoritate apostolica tenore presentium concedimus, non obstantibus premissis et aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo omnino [18] hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Rome apud Sanctum Petrum, Anno incarnationis Dominice millesimo quingentesimo octavo, quinto Kalendas Augusti, Pontificatus nostri anno quinto [19].

---

[15] *Hernáez*: «Ecclesias magnas alias quàm Ferdinandi Regis».

[16] *Hernáez*: «neglexerint».

[17] *Hernáez* omittit «presentatam».

[18] *Hernáex* omittit «omnino».

[19] Exemplum originale huius bullae non exstat, neque textus in regestis vaticanis neve in voluminibus minutarum servatus est.

14

Alias ad supplicationem

Hernáez I 377 die 1 iunii 1509

COMMUNICATIO PRIVILEGIORUM INTER ORDINES FRATRUM MINORUM ET PRAEDICATORUM

Summus Pontifex declarat quomodo communicatio privilegiorum, gratiarum et indulgentiarum, quae sive a suis praedecessoribus sive ab ipso facta est, applicanda vel exercenda sit, scilicet ita, ut ea, quae quoad absolutionem, dispensationem, vel alias ad magistrum generalem Ordinis Praedicatorum spectant, ad ministrum generalem Fratrum Minorum pariter pertineant, atque ita etiam inter praelatos, qui medii sunt, guardianos et priores ac inter fratres privatos utriusque Ordinis. Ita quoque quoad ea, quae in honorem Sanctorum alterius Ordinis concessa sunt, quoad Sanctos alterius, licet numero minores, concessa intelligantur.

Iulius II

Venerabilibus Fratribus salutem et Apostolicam benedictionem. Alias ad supplicationem Charissimi in Christo Filii nostri Ferdinandi Regis etc. Quodque in praedicta privilegiorum, gratiarum et indultorum praefatorum communicatione, tam universaliter per Praedecessores nostros toti Ordini Minorum, quam etiam per nos particulariter praedictorum Regnorum Fratribus facta ea quae quoad absolutionem, dispensationem vel alias ad Priorem Generalem seu Magistrum Ordinis Praedicatorum spectant, ad Ministrum vel Vicarium Generalem Fratrum Minorum pertineant et ea quae ad Priores Conventuales id est Praelatos singularum Domorum Ordinis Praedicatorum et eorum Vicarios similiter spectant ad Guardianos et eorum Vicarios Ordinis Minorum: et ea quae ad Priores seu Vicarios, ad Superiores Provin-

ciales id est Praelatos qui medii sunt, quocumque nomine censeantur et vocentur, inter dictum Generalem seu Magistrum Ordinis et Priores Conventuales eorumque Vicarios simili modo spectant, ad Ministros et Vicarios Provinciales ac Custodes, qui etiam medii sunt, inter Ministrum et Vicarium Generalem et Guardianos eorumque Vicarios similiter pertineant; et sicut de potestate Praelatorum scilicet de Praelatis ad Praelatos dictum est ita de Congregationibus unius ad Congregationem alterius Ordinis et Fratribus privatis id est sine praelatura ad Fratres privatos et de festivitatibus ad festivitates in his casibus in quibus Congregationibus vel Fratribus privatis aut festivitatibus alterius Ordinis nunc et pro tempore respective concessum intelligatur. Ita quod ea quae in honorem Sanctorum Dominici, Petri Martyris, Thomae Aquino, Catharinae de Senis, Fratribus vel locis Praedicatorum sunt concessa omnia illa Fratribus Minoribus praefatis eorumque locis in festivitatibus Sanctorum Francisci, Antonii, Ludovici, Bernardini, Bonaventurae quinque Martyrum dicti Ordinis qui apud Marochium Martyrii coronam adepti sunt et Sanctae Clarae et in aliis festivitatibus dicti Ordinis Minorum, licet sint in minori numero quam festa ipsorum Fratrum Praedicatorum, intelligantur concessa ad tollendum quamcumque haesitationem et inde forte ortum scrupulum auctoritate et tenore praedictis declaramus.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 1ª Junii 1509, Pontificatus nostri anno sexto.

15

Eximiae devotionis

Colección de documentos inéditos
2 serie V (Madrid 1892) 205-209 [1]
Boletín de la Real Academia de la Historia XX
(Madrid 1892) 288-290
BM II 62

die 8 aprilis 1510

[1] Exemplum huius bullae exstat: Sevilla, Archivo General de Indias, Patronato, legajo 1, ramo 10.

EXEMPTIO A SOLUTIONE DECIMAE

Ferdinandus rex et Ioanna regina a solutione decimae de fodinis auri et argenti in insulis Indiarum Occidentalium eximuntur propter eorum merita in ecclesiis ac monasteriis aedificandis, et quia missionarios in illas insulas propagationis fidei causa propriis sumptibus et expensis mittunt.

Iulius II

Iulius Episcopus Servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Eximie devotionis affectus quem carissimus in Christo filius noster Ferdinandus Aragonie et Sicilie Rex Catholicus ac carissima in Christo filia nostra Johanna Castelle et Legionis Regina illustres ad nos et Romanam gerunt Ecclesiam necnon inconcusse fidei probata constantia qua eandem Ecclesiam et sedem apostolicam tam ipsi Rex et Regina quam clare memorie Elisabeth Ferdinandi Regis conjux et Johanne Regine genitrix ac alii progenitores eorum sinceris animis et indefessis obsequiorum studiis continue coluerunt non indigne merentur, ut votis eorum, illis presertim per que eorum utilitati et comoditati oportune consulatur, condignis favoribus annuamus. Sane pro parte Ferdinandi Regis et Johanne Regine nobis nuper exhibita petitio continebat quod, licet Reges et Regine Castelle et Legionis qui fuerunt pro tempore a tanto tempore cujus contrarii hominum memoria non existit dum in eorum Regnis et dominiis aurum vel argentum aut alia metalla fodi fecerunt ex auro et argento et aliis metallis ex hujusmodi fodinis pro tempore extractis et habitis nullam decimam alicui ecclesie parrochiali vel alio loco religioso persolvere consueverint ipseque Ferdinandus Rex et Elisabeth Regina dum in humanis ageret et ea vita functa idem Ferdinandus Rex, qui eorumdem Castelle et Legionis Regnorum et dominiorum Administrator existit, certas insulas maritimas et alia loca ad que antea per longissima tempora christianis non patebat tutus accessus a Sarracenis et aliis infidelibus tunc occupata manu forti et potenti cum eorum exercitu ad id preparato, Deo auxiliante, a manibus et occupatione dictorum Sarracenorum et infidelium, eripuerunt et recuperarunt in quibus ut dicitur etiam fodines auri et argenti et aliorum metallorum existunt ipsasque insulas et loca sic recuperata aliis eorum Regnis et dominiis annexuerunt et incorporarunt ac in insulis et locis predictis sic recuperatis quamplures ecclesias et monasteria construi et edificari fecerunt ac sufficientem dotem

ex bonis ex quibus decima debetur assignaverunt et pro illorum regimine et gubernatione religiosas et alias personas ecclesiasticas ad insulas et loca predicta sic recuperata eorum propriis sumptibus et expensis transmiserunt et in ipsarum insularum et locorum recuperatione gravia damna et pericula tam rerum quam personarum sustinuerunt et propterea credant de fodinis auri et argenti ac metallorum in insulis et locis recuperatis hujusmodi sicut de aliis fodinis in Regnis et dominiis eorum existentibus ad aliquam decime solutionem non teneri, nichilominus a nonnullis dubitatur, an Ferdinandus Rex et Johanna Regina prefati ad solutionem decime hujusmodi auri et argenti ac metallorum, que in insulis et locis recuperatis predictis effodi facient, teneantur. Quare pro parte Ferdinandi Regis et Johanne Regine predictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut eis eorumque successoribus Regibus Castelle et Legionis Regnorum et dominiorum quibus insule ac loca recuperata applicata sunt seu alia recuperanda applicabuntur pro tempore existentibus quod de fodinis auri et argenti et aliorum metallorum cujuscumque generis que in insulis et locis predictis sic recuperatis et recuperandis in quibus ecclesias necessarias construi facere et sufficienter dotari parati existunt pro tempore effodi facient ad solutionem alicujus decime minime teneantur prout de auro et argento ac aliis metallis que in fodinis Regnorum et dominiorum Castelle et Legionis predictorum hactenus solvere non consueverunt concedere ac alias in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque Ferdinandi Regis et Johanne Regine et progenitorum predictorum preclara merita paterna consideratione pensantes hujusmodi supplicationibus inclinati Ferdinando Regi et Johanne Regine prefatis eorumque successoribus Regibus Castelle et Legionis Regnorum et dominiorum quibus insule et loca recuperata applicata sunt seu alia recuperanda applicabuntur pro tempore existentibus quod de fodinis auri et argenti et aliorum metallorum cujuscumque generis que in insulis et locis predictis sic recuperatis et dummodo per Johannam Reginam et Reges prefatos ecclesie necessarie construantur et sufficienter dotentur in recuperandis pro tempore effodi facient ad solutionem alicujus decime non teneantur prout de auro et argento ac aliis metallis que in fodinis Regnorum et dominiorum Castelle et Legionis predictorum hactenus solvere minime consueverunt auctoritate apostolica tenore presentium de specialis dono gratie concedimus et indulgemus. Non obstantibus Lateranensis Concilii et quibusvis aliis Constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis et indulti infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit indi-

gnationem Omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno Incarnationis dominice millesimo quingentesimo decimo, sexto idus Aprilis pontificatus nostri anno septimo.

16

Romanus Pontifex

Colección de documentos inéditos XXXIV (Madrid 1880) 29-35
Tapia, Biblioteca histórica de Puerto-Rico (Puerto-Rico 1854) 362-365
Boletín de la Real Academia de la Historia XX (Madrid 1892) 295-300
BM II 72

die 8 augusti 1511

HIERARCHIA ECCLESIASTICA IN INSULA HISPANIOLA ALITER CIRCUMSCRIBITUR

Tres sedes cathedrales, anno 1504 in Insula Hispaniola erectae, propter earum incommoditatem et situationem geographicam, rogatu regis ac episcoporum electorum earum, supprimuntur, et aliae tres in *Santo Domingo, Concepción de la Vega,* ambo in Insula Hispaniola, et *San Juan* in *Insula Puertorico,* eriguntur, episcopi nominantur eisque opus evangelizationis enixe commendatur, praesertim administratio sacramentorum, constructio ecclesiarum, erectio paroeciarum, advocatio religiosorum ad curam animarum praestandam et cultum divinum fovendum. Tres dioeceses noviter erectae suffraganeae sedis Hispalensis (*Sevilla*) constituuntur.

Iulius II

Xulio, Obispo, siervo de los siervos de Dios, para perpétua memoria Pontífice romano. Teniendo en la tierra todas las veces de

aquél de quien reciben el orden, extendiendo la potestad de su xuresdección a todos los climas del Mundo; Ordenamos e disponemos con maduro consexo para mayor firmeza e fundamento de la Fe cathólica del Estado e progreso de las yglesias, en particular de las metropolitanas e de otras cathedrales que se han erixido por via de traslacion o de supresion, o nueva creación, en lugares casi non conoscidos; e reconoscidas todas las circunstancias e cualidades de dichos pueblos, abtorizados con la presencia de sus venerable prelados, aprovechen e estén firmes en la Fe, se ilustren en las yglesias, e la humilde religión cristhiana se propague e dilate; e de la misma suerte que cresce en lo temporal, se abmente en lo espiritual, después que la Isla Española, sita en el Mar de las Indias, reducida a la religión cristhiana, oprimida por muchos siglos con el yugo de los infieles, por la solicitud e potente armada de Nuestro Carísimo hixo en Cristo, Don Fernando, Rey de Aragón, de Sicilia, de Castilla e de León, de inmortal memoria; e de la Reyna Doña Isabel, entonces esposa de dicho Rey, eriximos e ynstituimos las yglesias cathedrales en dicha Isla, es á saber: la Hiagustense [1] Metropolitana, la Bagustense [2] e Magustense [3], pidiéndonos dicho Rey e Reyna sobresta materia, e Concediéndoselo con el consexo de Nuestros hermanos e con la plenitud de Nuestra aposthólica potestad, como todo más plenamente se conthiene en Nuestras letras despachadas. Empero; Constándonos que dicha Isla e lugares para la permanencia de dichas yglesias sean incómodas, ansí por su situación como por la dificultad de conseguir las cosas nescesarias e que fuera désta se hallaba otra Isla llamada Sant Xuan, en el mismo Mar Océano, suxeta a la misma xuresdección; e que ansí mismo las tierras, villas e lugares de la Isla Española de Santo Domingo, de la Concepción e de Sant Xuan de dichas Islas, eran el propósito e acomodadas para yglesias cathedrales e para prelados que las presidieran; Nos, deseando mirar e proveer del conveniente e oportuno remedio, ansí de prelados como de la comodidad de dichos pueblos; e habiendo xuntado consexo para más madura deliberación, con Nuestros venerables hermanos; e deseándolo xuntamente en grande manera, el sobre dicho Rey Don Fernando, el cual, como Rey de Castilla e de León, e General Gobernador e administrador de dichos Reinos, por la Serenísima Carísima hixa Nuestra Doña Xuana, a los cuales Reinos dichas Islas están sugetas e anexas; e suplicándonos también lo mi-

[1] Hyaguaten., Yaguen. (*Yaguate*).
[2] Bayunen., Baionen. (*Bainoá*).
[3] Maguanen., Maguarien. (*Maguá*).

smo Nuestros amados hixos Pedro Hiagustense e García Bagustense e Alfonso Magustense, electos en la administracion e gobierno de dichas yglesias Hiagustense, Bagustense e Magustense, llamadas ansí por los dichos respectivos; Nos usando de la abtoridad e plenitud de potestad, Suprimimos e extinguimos á las dichas yglesias, perpetuamente, e para exaltación e alabanza de Dios Omnipotente, e de la militante Iglesia, Señalamos e Damos Título de cibdades, a las tierras o lugares de Santo Domingo, de la Concepción e de Sant Xuan [4], e erixidas en cibdades se llamen yglesias cathedrales; una en Santo Domingo, otra en la Concepción, e otra en Sant Xuan; e sus Obispados se nombren, uno de Santo Domingo [5], otro de la Concepción [6], e otro de Sant Xuan [7]; los cuales, en sus dichas yglesias, veneren e reverencien a Nuestro Dios e Señor, e a sus santos; prediquen el Santo Evangelio, e enseñen a los ynfieles, e con buenas palabras los conviertan a la veneración de la Fe cathólica; e ya convertidos, los instruyan en la religión cristhiana, les den e administren el Santo Sacramento del Baptismo; e ansí convertidos como a los demás fieles de Christo, que viven e moran en dichas Islas; e a los que a ellas aportasen, les administren e fagan que se les administren los Santos Sacramentos de la Confesión, de la Eucaristía e los demás; e ansí mismo procuren que dichas nuevas Islas se fagan e fabriquen con buena forma e con convenientes edeficios; e en dichas yglesias, cibdades e obispados, se erixan parroquiales con sus propios párrocos, dignidades, administradores e oficiales, e que los tales sean personas idóneas. E ansí mismo se provean de cura de almas, canongías, prebendas e demás beneficios eclesiásticos, e puedan erixir e ynstituir yglesias regulares de cualesquiera ordenes, según xuzgaren que conviene para el mayor abmento del culto divino e de los fieles; e dichos obispos gocen e usen de las ynsignias episcopales, xuresdeccionales, previlexios e ynmunidades, gracias e indultos, de los quales los demás obispos gozan por derecho o por costumbre; e dichas yglesias Eriximos, Creamos e Constituimos para siempre es a saber: la de Santo Domingo, de la Concepción e la de Sant Xuan, e también las eriximos e Nombramos por cibdades, segunda vez, Santo Domingo, la Buenaventura, Azua Salvaleón, Sant Xuan de la Alaguana, Vera-Paz, Villanueva de Yaquinos, Concepción de Santiago, Puerto de Plata, Puerto-Real, la

[4] San Juan de Puerto Rico.
[5] García de Padilla OFMObs.
[6] Petrus Suárez de Deza.
[7] Alfonsus Manso.

Redena Hava, Salvatierra de la Cabaña e Santa Cruz; e Concedemos e asignamos a todos los fieles ynquilinos e habitantes en las tierras, villas e lugares de Sant Xuan e a sus yglesias toda la dicha Isla de Sant Xuan con sus detritos e diócesis, de suerte que cualquiera de los obispos que por tiempo fueren de dichas Islas de Santo Domingo, Concepción e Sant Xuan pueden exercer e usar en sus cibdades e obispados toda la xuresdección, abtoridad e potestad episcopal, e puedan pedir e percibir los diezmos, primicias e otros derechos episcopales, de la manera que los demás obispos de la Provincia de Sevilla, en la ulterior España, por derecho o ley los piden e perciben, excepto del oro, de la plata e otros metales e piedras preciosas, los cuales Declaramos están exentos e libres thocante a esto. También Queremos que las referidas yglesias de Santo Domingo, de la Concepción e Sant Xuan, sean sufragáneas de dicha Provincia e Iglesia de Sevilla e a su Arzobispado que por tiempo fuere por derecho metropolitano; e Concedemos e reservamos al dicho Rey de Castilla e de León, para siempre, el derecho del Patronato e de presentar personas idóneas para dichas yglesias vacantes de Santo Domingo, Concepción e Sant Xuan, al Pontífice Romano, para que él sean puestos en el cargo de dicha presentación, es a saber: obispos, pastores [8]. Todo lo contheni-

---

[8] Cfr. ex Arch. Consist., Acta Misc. 3 fol. 31v-33v relationem consistorialem suppressionis trium Ecclesiarum et erectionem aliarum trium: Beatissime Pater. Dudum ad supplicationem Ferdinandi et gloriosae memoriae Elisabeth eius consortis Hispaniarum Regum Catholicorum per Sedem Apostolicam fuerunt de novo erectae et creatae in una ex quatuor pro maximis insulis extra orbem ut aiunt in Indico mari tunc repertis, tres principales ecclesiae quarum metropolis Yaquen., reliquae vero duae metropoles suffraganeae cathedrales altera Baionen., Magnarien. altera nuncupantur, et metropoli, reverendus pater et eximius doctor dominus Petrus Suarez de Deca in archiepiscopum, ac frater Garzias de Padilla, ordinis minorum Sancti Francisci, et Alphonsus Manso sacrae theologiae licentiatus ipsarum cathedralium ecclesiarum praefecti in episcopos et pastores; verum quia tunc habita loci dispositione, aeris clementia, ac terrae fertilitate magnam spem praefati catholici Reges conceperunt, quod brevi dante dominio ex decimis quae ex terrae fetu proveniunt tres ipsae ecclesiae quae pinguissimae erant futurae pro earum erectione et creatione supplicarunt licet easdem tres in cathedrales et nullam ipsarum in metropolim erigi petierint, nunc vero perpenso maturiori temporis consilio et loci qualitate circumspecta non solum tres illic pastores decenter degere et eorum ecclesias pauperrime gubernare scilicet et ipsorum episcoporum duo difficillime possent substentari, catholicus Rex meus cui christianam religionem propagare orthodoxam fidem, nostrumque imperium et Apostolicae Sedis ditionem dilatare semper curae fuit, ecclesiarum et electorum eorumdem indemnitati consulere volens, Sanctitati vestrae humiliter supplicat ut praemissis omnibus attentis prefatas tres ecclesias insimul supprimere et earum nomina penitus extinguere, ac pro non erectis nec creatis haberi mandans dignetur de ipsorum tamen electorum de quo missi per publicum instrumentum constat consensu, quique earum possessiones nunquam sunt adepti licet litterae Apostolicae de-

do en la página de Nuestra suspensión e estinción, erección e creación, ynstitución, concesión, asignación, suxeción de decreto e reser-

---

super fuerint expeditae; et ne insula ipsa Hispaniensis nuncupata, quae praemaxima est, et eius indigenae ecclesiis carere, ovesque christiani peculii ab eius recto tramite deviare, pastoresque ipsius sine ovilus remanere possint, supplicat idem Rex catholicus Sanctitati vestrae quod suppressis prius et extinctis dictis tribus ecclesiis in dicta insula Hispaniensi erectis, ac cassis et annullatis earum nominibus duas tantum cathedrales loco metropolitanae et cathedralium predictarum de novo erigere et creare, necnon in quadam alia insula Sancti Ioannis noviter per maiestatem suam reperta unam aliam cathedralem ecclesiam noviter erigere et creare, eamque ac alias duas predictas, sic ut prefertur, erigendas ecclesias Hispalensi, quae metropolis est in provincia Bethica iure metropolitano suffraganeas subijcere dignetur. Et duarum in insula Hispaniensi erigendarum ecclesiarum, altera Immaculatae Conceptionis Deiparae Virginis, altera Sancti Dominici, in reliqua vero Sancti Ioannis insula etiam alia Sancti Ioannis cathedrales ecclesiae erigendae nuncupentur et ecclesiae ipsae Conceptionis nuncupentur et ecclesiae ipsi Conceptionis nuncupandae prefatus R.P.D. Petrus Suarez de Deca, alii vero Sancti Dominici prefatus reverendus et religiosus pater frater Garzias de Padilla, necnon Sancti Iohannis ecclesiis praedictis Alfonsus Manso predicti iam aliis tribus nunc extinguendis praefecti praeficiantur in episcopos et pastores curam et administrationes Conceptionis Petro, et Sancti Dominici Garzia, ac Sancti Iohannis Alfonso plenarie committendo.

De quorum meritis et sufficientia quia tempore erectionis sic extinguendarum ecclesiarum multa satis et laudabilia in hoc sacro loco dicta sunt supervacaneum duxi quicquam denuo hoc eodem in loco referre, quandoquidem nonnisi probos viros litteris, moribus et vitae integritate praestantes, ecclesiarum regimini ista sacrosancta Sedes consueverit praeficisse pastores.

Dat praeterea praefatus catholicus Rex eisdem Conceptionis, Sancti Dominici ac Sancti Iohannis sic erigendis ecclesiis pro earum et episcoporum dote condecenti omnes et singulas decimas ex fretu terrae provenientes, et quod iure divino Deo debitas et Regi ipsi ex concessione Apostolica concessas exceptis tamen auri et metallorum ac gemmarum et lapillorum pretiosorum decimis eidem Regi reservatis ut quae sunt Dei Deo et quae Coesaris Coesari pendantur. Dat etiam ecclesiae et civitati Sancti Dominici pro earum dioecesi infradicenda loca videlicet: civitatem Sancti Dominici cum eius et aliorum districtu et territoriis
Buena Ventura
El Bonao
Acua
Salvaleon
Sancti Ioannis de la Magnana
Vera Paz
Villam novam y Aquino
Civitatis Conceptionis haec loca videlicet
Civitatem Conceptionis
Sancti Iacobi
Portum Argenti
Portum Regalem
Lares de Guahaba
Salvatierra de la Cabona
Sanctae Crucis

vación nenguno se atreva nin sea osado a falsificarlo nin pervertillo; mas si alguno pronunciare intentarlo, se declarará por incurso en la yndignación de Dio Omnipotente, e de sus Apóstoles San Pedro e San Pablo. Dado en San Pedro, en el Año de mil quinientos e once, a ocho de Agosto, en el Año octavo de Nuestro Pontificado.

Sancti Iohannis ecclesiae alia loca postmodum exprimenda.

Loca et oppida earum dioecesium ut praedixi dividentia ac ecclesias ipsas in capite et in membris magnificentia, quae quidem ecclesiae perpensis catholicorum Hispaniarum Regum predictorum maximis dispendiis, laboribus et expensis pro investigandis et reperiendis dictis Hispaniensi et Sancti Ioannis insulis receptis de eorum iurepatronatus legio sint in omnibus et per omnia quod quidem ius in litteris S.V. latissime extendatur.

Et ut prefati Petrus et Alphonsus electi facilius sustentari valeant, cum opportuna dispensatione et retentione canonicatus et praebendae ecclesiae Palentin., qui doctoralis est, ac parochialis de Valdemero Conchen. diocesis pro Petro, ac canonicatus et praebendae ecclesiae Salamantin. pro Alphonso, cum omnibus et singulis aliis benefitiis ecclesiasticis cum cura et sine cura, ac praestimoniis seu praestimonialibus portionibus et simplicibus, ac aliis benefitiis quae obtinent ac pensionibus quas percipiunt et percipient, quorum nomina et cognomina ac situationes et annuos valores, postmodum si oportuerit exprimendis nunc, ac si exprimerentur habeat Sanctitas Sua pro expressis. Necnon cum eisdem ut dictorum benefitiorum, fructus et etiam quotidianas distributiones in absentia percipere ubilibet residendo ac benefitia ipsa seu ipsorum aliquod ad libitum suum resignare, et cum quibusvis personis compermutare valeant ac ad duo incompatibilia cum eorum quolibet dispensare, litterasque retentis, dispensationis, concessionis et indulti in forma expediri mandare dignemini de gratia speciali, non obstantibus quibuscumque contrariis.

Quid vobis videtur (Verba Pontificis)

Attento ferventissimo Regis mei zelo catholico ea quae supplicat non nisi sanctissima sunt iudicanda et illis propterea a Sanctitate vestra favorabiliter annuendum est.

Verba responsiva Pontifici reverendissimi domini cardinalis Arboren. episcopi.

17a

Pastoralis officii

Reg. Lat. 1293 fol. 152r-153r — die 9 septembris 1513
Hernáez II 715
Heywood 35-40
BM II 87

PROVISIO ECCLESIAE SANCTAE MARIAE *DE LA ANTIGUA*

Sollicitudo omnium Ecclesiarum praesertim novellarum exigit ut Summus Pontifex zelantes episcopos eis praeficiat. Ideoque Iohannem de Quevedo Ordinis Fratrum Minorum episcopum Ecclesiae Sanctae Mariae *del Antiqua, quam nos hodie... ereximus,* constituit eique curam et administrationem eiusdem Ecclesiae in spiritualibus et temporalibus committit ac eum ad munus fideliter implendum admonet.

Idem populo civitatis et dioecesis Sanctae Mariae *del Antiqua* annuntiat atque fideles omnes admonet ut electum episcopum *tamquam patrem et pastorem animarum* cum debito honore suscipiant eique obedientiam debitam et reverentiam praestent. Reginam Iohannam Castellae et Legionis quam enixe rogat et hortatur ut novum episcopum et Ecclesiam Sanctae Mariae *del Antiqua* commendatos sibi habeat. Iohanni de Quevedo concedit ut a quocumque maluerit episcopo catholico, *gratiam et communionem apostolicae sedis habente,* munus consecrationis accipere valeat, iuramento fidelitatis praescripto prius per eundem recepto. Forma iuramenti ab electo episcopo praestandi adiungitur in litteris Pontificis. Iohannem de Quevedo Summus Pontifex ab omnibus censuris absolvit, ne huiusmodi provisio Ecclesiae vacantis ullo modo impugnari possit, *ad hoc dumtaxat ut provisio et litterae apostolicae desuper conficiendae suum sortiantur effectum.*

Leo X

Leo etc. Dilecto filio Iohanni de Quevedo [1], electo Sancte Marie del Antiqua [2] salutem etc. Pastoralis officii debitum exigit ut inter sollicitudines varias quibus assidue premimur illa nobis potissimum insideat menti nostre quod ecclesiis singulis illis presertim que uti novelle plante in agro Domini pululantes vacationis incommodis sunt exposite per nostre ministerium diligentie tales in pastores preficiantur per quorum studium fructuosum ecclesie ipse in spiritualibus et temporalibus felicia auctore Domino valeant suscipere incrementa. Dudum siquidem provisiones ecclesiarum omnium apud Sedem Apostolicam tunc vacantium et in antea vacaturarum ordinationi et dispositioni nostre reservavimus decernentes ex tunc irritum et inane si secus super his per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Postmodum vero ecclesia Sancte Marie del Antiqua quam nos hodie in terra nove Indie primeve a paganorum tirannide carissimi in Christo filii nostri Ferdinandi Aragonie et utriusque Sicilie regis illustris auspiciis liberata de venerabilium fratrum nostrorum consilio et Apostolice potestatis plenitudine Apostolica auctoritate ereximus ab eius primeva erectione huiusmodi apud sedem predictam vacante nos ad provisionem eiusdem ecclesie celerem et felicem de qua nullus preter nos hac vice se immiscere potutit sive potest reservatione et decreto obsistentibus supradictis ne ecclesia ipsa longe vacationis incommodis subiciatur paternis et sollicitis studiis intendentes post deliberationem quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem ac etiam studiosam cum eisdem fratribus nostris habuimus diligentem; demum ad te, ordinis fratrum minorum de observantia nuncupatorum professorem, in sacerdotio constitutum, cui apud nos de religionis zelo, litterarum scientia, vite munditia, honestate morum, spiritualium providentia et temporalium circumspectione aliisque multiplicium virtutum donis fide digna testimonia perhibentur, dreximus oculos nostre mentis; quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua nobis et dictis fratribus ob tuorum exi-

[1] Ioannes de Quevedo oriundus de *Bejori, Burgos*, Ordini Fratrum Minorum de Observantia nomen dedit, anno 1514 profectus est in suam dioecesim, anno 1518 reversus est in Hispaniam, ubi controversias habuit cum Bartholomaeo de Las Casas; die 24 decembris mortuus est in civitate *Barcelona*. Cfr. *Egaña* 8-13; BM II 85.

[2] Ecclesia Sanctae Mariae *de la Antigua* (*dell'Antiqua, de Lantiqua*) in provincia Baeticae novae seu Neogranatensis, Columbia, paulo post, ut videtur, iterum supprimitur, sede in civitatem *Panamá* translata. Cfr. infra doc. 27.

gentiam meritorum accepta eidem ecclesie de fratrum eorumdem consilio dicta auctoritate providemus teque illi preficimus in episcopum et pastorem curam et administrationem eiusdem ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo in illo qui dat gratias et largitur premia confidentes quod dirigente Domino actus tuos prefata ecclesia sub tuo bono et felici regimine gratia tibi assistente divina regetur utiliter et prospere dirigetur ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Iugum igitur Domini tuis impositum humeris prompta devotione suscipiens curam et administrationem predictas sic exercere studeas solicite, fideliter et prudenter quod ipsa ecclesia gubernatori provido e fructuoso administratori gaudeat se commissam tuque preter eterne retributionis premium nostra et dicte sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominice millesimo quingentesimo tertio decimo, quinto idus septembris anno primo.

17b

Hodie Ecclesiae Sanctae Mariae

Reg. Lat. 1293 fol. 153r — die 9 septembris 1513
Hernáez II 715
Heywood 35-40
BM II 87

Dilectis filiis populo civitatis et diocesis ecclesie Sancte Marie del Antiqua salutem etc. Hodie ecclesie Sancte Marie del Antiqua in India insula per nos de fratrum nostrorum consilio et Apostolice potestatis plenitudine Apostolica auctoritate ab eius primeva erectione huiusmodi vacanti de persona dilecti filii Iohannis electi Sancte Marie del Antiqua nobis et fratribus nostris ob suorum exigentiam meritorum accepta de simili consilio dicta auctoritate providimus ipsumque illi prefecimus in episcopum et pastorem curam et administrationem

ipsius ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Quocirca universitatem vestram rogamus et hortamur attempte vobis per Apostolica scripta mandamus quatinus eundem Iohannem electum tamquam patrem et pastorem animarum vestrarum grato admittentes honore ac exhibentes sibi obedientiam et reverentiam debitas et devotas eius salubribus monitis et mandatis humiliter intendatis ita quod ipse in vobis devotionis filios et vos in eo per consequens patrem invenisse benevolum gaudeatis. Datum ut supra.

17c

Gratiae etc.

Reg. Lat. 1293 fol. 153rv die 9 septembris 1513

Carissime in Christo filie Iohanne Castelle et Legionis regine illustri salutem. Gratie etc. Cum itaque carissima in Christo filia sit virtutis opus Dei ministros benigno favore prosequi ac eos verbis et operibus pro regis eterni gloria venerari serenitatem tuam regiam rogamus et hortamur attempte quatinus eundem Iohannem electum eiusque ecclesiam Sancte Marie del Antiqua sue cure habeas pro nostro et Apostolice Sedis reverentia propensius commendatos etc. Datum ut supra.

17d

Cum nos pridem

Reg. Lat. 1293 fol. 153v-154r die 10 septembris 1513

Leo etc. Dilecto filio Iohanni de Quevedo electo Sancte Marie del Antiqua salutem etc. Cum nos pridem Sancte Marie del Antiqua certo modo pastoris solatio destitute de persona tua nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorumdem consilio auctoritate Apostolica duximus providendum preficiendo te illi in episcopum et pastorem prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur; nos igitur ad ea que ad tue commoditatis augmentum cedere valeant favorabiliter intendentes tuis supplicationibus inclinati tibi ut a quocunque malueris catholico antistite gratiam et communionem Apostolice Sedis habente et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus catholicis episcopis similem gratiam et communionem habentibus munus consecrationis accipere valeas ac eidem antistiti ut recepto prius per eum nostro et Romane ecclesie nomine a te fidelitatis debite solito iuramento iuxta formam presentibus annotatam munus predictum auctoritate nostra impendere libere et licite possit plenam et liberam concedimus earumdem presentium tenore facultatem. Volumus autem et eadem auctoritate predicta statuimus et decernimus quod si non recepto a te per ipsum episcopum dicto iuramento idem episcopus munus ipsum tibi impendere et tu illud suscipere presumpseritis dictus antistes a pontificalis officii exercitio et tam ipse quam tu administratione tam spiritualium quam temporalium ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso. Preterea volumus quod formam iuramenti huiusmodi a te tunc prestiti nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo signatas per proprium nuncium quantocitius destinare procures. Forma autem iuramenti quod prestabis hec est: Ego Iohannes electus Sancte Marie del Antiqua ab hac hora in antea fidelis et obediens ero beato Petro sancteque Romane ecclesie et domino nostro domino Leoni pape X suisque successoribus canonice intrantibus. Sic me Deus adiuvet et hec sancta Dei evangelia. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominice millesimo quingentesimo tertio decimo, quarto idus septembris, anno primo.

17e

Apostolicae Sedis consueta clementia

Reg. Lat. 1293 fol. 154rv — die 28 augusti 1513

Leo etc. Dilecto filio Iohanni de Quevedo, ordinis fratrum minorum de observantia nuncupatorum professori, salutem etc. Apostolicae Sedis consueta clementia ne dispositiones per eam de cathedralibus ecclesiis pro tempore facte quomodolibet impugnari sed persone ad eas promovende de illis puro corde et sincera conscientia presidere valeant remedia prout convenit adhibet opportuna. Cum itaque hodie de persona tua nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta ecclesie Sancte Marie del Antiqua quam nos hodie in India de eorumdem fratrum consilio et Apostolice potestatis plenitudine Apostolica auctoritate ereximus ab eius primeva erectione huiusmodi ad presens apud Sedem Apostolicam vacanti de simili consilio providere teque illi in episcopum et pastorem preficere intendamus nos ne si forsan aliquibus sententiis et censuris ecclesiasticis ligatus existis provisio et prefectio predicte possint propterea quomodolibet impugnari providere volentes teque a quibusvis excommunicationis suspensionis etc. ad hoc dumtaxat ut provisio et prefectio predicte ac singule littere Apostolice desuper conficiende suum sortiantur effectum auctoritate prefata tenore presentium absolvimus et absolutum fore nunciamus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo etc. nostre absolutionis et nunciationis infringere etc. Si quis etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominice millesimo quingentesimo tertio decimo, quinto kalendas septembris anno primo.

18

Pro excellenti praeeminentia

Bull. Patr. I 100-101 [1] — die 12 iunii 1514
BM IV 388; XV 783

---

[1] Editor indicat Exemplum huius bullae: Arch. nacional, maço 20 de bullas, n° 34, et alias publicationes.

ERECTIO DIOECESIS FUNCHALENSIS IN INSULA MADEIRA

Desiderio Emmanuelis, Portugalliae et Algarbiorum regis obsecundans Pontifex vicariam oppidi de *Thomar* nullius dioecesis, Militiae Iesu Christi propriam, cui terrae et insulae a capitibus *de Bojador* usque ad Indos et etiam provinciae Brasilienses adhuc subjectae erant, perpetuo supprimit et extinguit, vicarii moderni *de Thomar* ad hoc expresso accedente consensu. Insimul ecclesiam parochialem Beatae Mariae in civitate de *Funchal*, in insula de *Madeira*, in cathedralem ecclesiam erigit, cum sede et episcopali ac capitulari mensis aliisque cathedralibus insigniis et praeeminentiis, eique pro dote omnia et singula emolumenta, quae vicarius de *Thomar* ex jurisdictione suppressa percipiebat, assignat praeter alios redditus qui ad ipsum regem in eadem insula de *Madeira* spectabant. Dioecesis vero noviter erecta praeter insulam de *Madeira* cum omnibus ad eam pertinentibus castris et villis omnes alias quoque insulas et loca quaecumque et ubicumque vicario de *Thomar* ante subiecta comprehendit. Ius patronatus et praesentandi personam idoneam ad Ecclesiam Funchalensem huiusmodi erectam eidem Emmanueli regi eiusque in regno successoribus tribuitur, dum Magister Militiae ius praesentandi ad alias dignitates retineat. Nova dioecesis suffraganea Ecclesiae Ulixbonensis constituitur.

Leo X

Leo Episcopus Servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Pro excellenti praeeminentia Sedis Apostolicae, in qua post Beatum Petrum, Apostolorum Principem, quamquam imparibus meritis, pari tamen auctoritate, sumus in agro irriguo militantis Ecclesiae, novas episcopales sedes ecclesiasque plantare Romani Pontifici dignum arbitramur, ut per novas plantationes populorum augeatur devotio, divinus cultus effloreat, subsequatur animarum salus, et loca per Catholicos Reges et Principes ab infidelibus et barbaris nationibus recuperata et acquisita, ac infideles populos ad lucem conversa illustrentur; idque nos eo libentius agimus in iis locis, in quibus, benedicente Domino, Christifideles multiplicasse noscuntur, ut propagatione novae Sedis, et assistentia honorabilis praesulis cum decenti ministrorum numero fideles ipsi in devotione persistentes, et etiam devotionis hujusmodi augmentum suscipientes, aeternae felicitatis praemium, Deo eorum pium propositum adjuvante, facilius consequi mereantur.

Sane cum charissimus in Christo filius noster Emmanuel, Portugalliae et Algarbiorum Rex illustris, multas terras [2], provincias et in-

[2] Inter quas et Brasiliam.

sulas a capitibus de Bojador usque ad Indios, partim ipse ab infidelium manibus eripuerit, et alias acquisiverit, partim a praedecessoribus suis, Portugalliae et Algarbiorum Regibus, acquisitas possideat, nullusque in praedictis terris, provinciis et insulis habeatur episcopus, qui ea, quae sunt ordinis episcopalis, exerceat, excepto vicario pro tempore existente oppidi de Thomar, nullius dioecesis, qui frater Militiae Jesu Christi Cisterciensis Ordinis existit, et jurisdictionem episcopalem in dictis locis, terris et insulis ex privilegio Apostolico olim sibi concesso habet; et propterea praefatus Emmanuel Rex desideraret vicariam dicti oppidi de Thomar, quae dignitas existit, perpetuo supprimi et extingui, ac parochialem ecclesiam Beatae Mariae, quam idem Emmanuel Rex opere satis sumptuoso in civitate do Funchal, in insula de Madeira, in mari Oceano sita, et a Lusitania versus meridiem quingentis milliaribus, vel circa distante, et per quondam Henricum Infantem clarae memoriae, Joannis Primi, Regis Portugalliae, filium, inhabitabili reperta, et habitabili facta, fundavit et construxit, et in qua unus vicarius, frater dictae Militiae, et quindecim beneficiati presbyteri saeculares, beneficia ecclesiastica, portiones nuncupata, obtinentes, et singulis diebus in ibi divina officia celebrantes fore noscuntur, in cathedralem ecclesiam erigi:

Unde nos volentes ejusdem Emmanuelis Regis, id summopere cupientis, desideriis annuere, habita super hoc cum venerabilibus fratribus nostris deliberatione matura, de ipsorum fratrum consilio et Apostolicae potestatis plenitudine, ad omnipotentis Dei et ejusdem Beatae Mariae, ac omnium sanctorum et sanctarum Dei laudem, divinique cultus augmentum, et ipsius civitatis, in qua structurarum et edificiorum ecclesiasticorum, ac aliorum magnitudo et sumptuositas, ac civium et incolarum equestris Ordinis, et theologiae ac utriusque juris artium et medicinae doctorum, et in aliis scientiis et liberalibus artibus peritorum, nobilium, mercatorum, ad quinque millia hominum et ultra ascendentium numerositas, et ipsius insulae de Madeira, in qua octo oppida insignia et plures villae existunt, decorem et honorem, vicariam hujusmodi de Thomar, dilecti filii Didaci Pinheiro, moderni Vicarii de Thomar, utriusque juris doctoris, ad hoc expresso accedente consensu auctoritate Apostolica, tenore praesentium penitus supprimimus et extinguimus; ac parochialem ecclesiam praedictam in cathedralem ecclesiam cum sede, et episcopali, ac capitulari mensis aliisque cathedralibus insigniis, honoribus et praeeminentiis, eadem auctoritate, erigimus, ac illi pro ejus dote omnia et singula fructus, redditus et proventus, ac emolumenta, quae idem Didacus et vicarius de Thomar pro tempore existens, ex jurisdictione et vicaria suppressa hujusmodi percipiebat, quae ducentorum et quinquaginta ducatorum

auri de camera, secundum communem aestimationem, valorem annuum non excedebant.

Necnon annuos redditus quingentorum ducatorum similium ex annuis redditibus, ad ipsum Emmanuelem Regem in dicta insula de Madeira spectantibus, ipsius Emmanuelis Regis ad hoc expresso accedente consensu, mensae episcopali perpetuo applicamus et assignamus; ipsamque civitatem, pro civitate ejusque districtum seu territorium cum dicta, ac omnibus aliis insulis et locis quibuscumque, et ubicumque dicto vicario subjectis, et quae de jure, privilegio vel indulto Apostolico subjici debeant, ac castris et villis in dictis insulis et locis consistentibus, quorum omnium denominationem praesentibus haberi volumus pro expressis, pro dioecesi.

Necnon omnes et singulos clericos et quorumvis Ordinum religiosos, pro clero, incolasque et habitatores dictarum civitatis et dioecesis do Funchal pro populo concedimus et assignamus; et insuper ex dictis vicario et quindecim beneficiatis ejusdem Ecclesiae, quattuor dignitates, videlicet decanatum, qui inibi post pontificalem major pro uno decano, qui habeat curam capituli, et archidiaconatum pro uno archidiacono, cantoriam pro uno cantore, et thesaurariam pro uno thesaurario; necnon duodecim canonicatus et totidem praebendas pro duodecim canonicis, eisdem auctoritate et tenore erigimus et instituimus; et pro dignitatum, ac canonicatuum et prebendarum hujusmodi dote bona, alias dictis beneficiatis pro illorum dote assignata perpetuo applicamus et assignamus; quodque dilectus filius Nunius Cahon, sacrae theologiae professor, qui in praesentiarum Vicarius et locum tenens dicti Vicarii de Thomar in dicta ecclesia Beatae Mariae et frater dictae Militiae existit decanus et alii tres ex antiquioribus beneficiatis juxta eorum antiquitatem, archidiaconus, cantor et thesaurarius; reliqui vero duodecim beneficiati canonici ejusdem ecclesiae erectae existant, et inibi capitulum constituant; ipsaque ecclesia erecta et illius praesul et capitulum, qui pro tempore fuerint, omnibus et singulis privilegiis, prerogativis, immunitatibus, juribus et libertatibus, quibus aliae cathedrales ecclesiae illarum partium, earumque praesules, capitula et personae utuntur, potiuntur et gaudent, uti, potiri, et gaudere possint et valeant; ipsique, qui beneficia hujusmodi inibi obtinebant, dignitates ac canonicatus et praebendas hujusmodi absque alia collatione seu provisione de illis facienda obtinere possint, eisdem auctoritate et tenore indulgemus, statuimus et ordinamus.

Et nihilominus jus patronatus, et praesentandi personam idoneam ad Ecclesiam Funchalensem erectam hujusmodi, dum illam pro tempore vacare contigerit, eidem Emmanueli et pro tempore existenti Portugalliae et Algarbiorum Regi, nobis et Romano Pontifici pro

tempore existenti ad effectum, ut eidem ecclesiae de persona per praefatum Regem nominata provideri debeat, et non alias, ad dignitates vero ac canonicatus et prebendas pro tempore existenti magistro dictae Militiae, ad quem jus patronatus seu praesentandi ad dicta beneficia, dum pro tempore vacabant, pertinebat, institutio vero Episcopo Funchalensi, pro tempore existenti praefata apostolica auctoritate, tenore earundem praesentium perpetuo reservamus.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque; volumus autem quod praesentatus et institutus pro tempore ad dictum decanatum infra sex menses, a die illius assecutionis computandos, novam provisionem, a Sede Apostolica impetrare, ac jura camerae Apostolicae ratione illius vacationis debita persolvere teneatur; alioquin, elapsis mensibus hujusmodi, factae de illo praesentationes et institutiones nullius sint roboris vel momenti, ipseque decanatus ex tunc vacare censeatur eo ipso.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae suppressionis, extinctionis, concessionis, erectionis, institutionis, applicationis, assignationis, indulti, statuti, ordinationis, reservationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli, Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo quarto decimo, pridie idus Junii, Pontificatus nostri anno secundo [3].

---

[3] Eodem die primus episcopus Ecclesiae Funchalensis nominatus est: Didacus Pacheira (al. Pinheiro), qui mortuus est anno 1526. Cfr. Hierarchica Catholica III 199.

19

Super specula

Reg. Lat. 1335 fol. 127r-129r — die 15 maii 1515

ERECTIO ABBATIAE CUM CURA ANIMARUM

Insula Sancti Iacobi seu *Jamaica* nuper ab aliquibus christifidelibus habitari cepit. Sed fructus decimales non sufficiunt ad sustentationem unius episcopi. Ideoque Summus Pontifex precibus Ferdinandi regis abbatiam erigit cuius abbas mitra et baculo pastoralibus uti potest, illique potestatem episcopalem confert, ea tantum excepta quae ad pontificale officium spectat.

Leo X

Ad perpetuam rei memoriam. Super specula militantis ecclesie superna dispositione locati ad singula orbis provintias et loca presertim ditioni nuper adiecta aciem nostre meditationis passim reflectimus vigiliis more pastoris prospecturi quid uspiam desit quod ad divini nominis gloriam et spiritualis salutis pertineat incrementum et illis que spiritualibus carere rectoribus intuemur ne longiora in hiis detrimenta sustineant de celeri et oportuno remedio providemus prout catholicorum principum vota deposcunt et nos locorum civitatibus bene pensatis in Domino conspicimus salubriter expedire. Sane pro parte carissimi in Christo filii nostri Ferdinandi Aragonum et Sicilie Regis illustris exhibita nobis nuper exhibita peticio continebat quod inter ceteras Indie maioris insulas quas favente Deo sue et carissime in Christo filie nostre Iohanne Castelle et Legionis Regine illustris eiusdem Ferdinandi Regis nate ditioni subiecti, Insula Sancti Iacobi alias Iamayca nuncupata, nullius diocesis existit, que nuper ab aliquibus christifidelibus qui se in illam dicti Ferdinandi Regis auspiciis pro Catholice fidei cultu latius diffundendo contulerunt, habitari cepit, et cum fructus decimales ibi provenientes ad congruam unius episcopi et capituli Cathedralis ecclesie sustentationem non sufficiant de presenti et saluti animarum tam fidelium quam ad fidem convertendorum in dicta insula degentium conducere, ut ibi aliqua persona ecclesiastica resideat cuius opera, auctoritate et consilio in fidei preceptis preficere et ad quem etiam in casibus ad forum ecclesiasticum pertinentibus commodius possit haberi recursus, si in eadem insula una abbatia que inibi dignitas reperetur et cui cura tam in penitentie quam in contemptioso foro in omnibus spiritualibus iniaceat animarum erigere et instituere, illique pro eius dote omnes et singuli suas decimales in eadem insula pro tempore provenientes applicarentur et assignarentur, et dicte abbatie abbas pro tempore existens, mitra et baculo pasto[ra]-

libus uti possit, ac alias in omnes et singulos christifideles ibidem pro tempore commorantes, in utroque foro huiusmodi episcopali auctoritate et potestate fungeretur et ad eum collatio, provisio et libera dispositio beneficiorum ecclesiasticorum in ecclesiis dicte insule nunc et pro tempore erectis et quarumcumque causarum spiritualium et temporalium que ad forum ecclesiasticum de iure vel consuetudine aut alias spectare noscuntur in quacumque instantia et inter quascunque personas qualitercumque qualificatas pendeant, vel pro tempore pendere contigerit, cognitio et decisio pertineret, idemque abbas illas iurisdictionem et auctoritatem tam in spiritualibus quam temporalibus in ecclesiis clericis et aliis christifidelibus dicte insule haberet, et per se vel personas per eum ad id pro tempore deputandas exerceret, quas haberet et exerceret si episcopus non abbas eiusdem insule esset, et quas episcopi in earum civitate et diocesi de iure vel consuetudine aut alias habere et exercere possunt et debent, et a sententiis per dictum abbatem seu eius officiales pro tempore latis ad proximiorem metropolitanum et non alium appellari liceret, ipseque abbas sedi apostolice immediate subiiceretur profecto ex hoc fidelium in ipsa insula pro tempore habitantium animarum saluti et aliis spiritualibus commodis cum divini cultus augmento pie consuleretur, pro parte eiusdem Ferdinandi Regis nobis fuit humiliter supplicatum ut in dicta insula unam abbatiam que inibi dignitas reputetur et cui cura in utroque foro iniaceat animarum, perpetuo erigere et instituere, illique pro eius dote fructus decimales predictos applicare et appropriare, ac alia premissa statuere et ordinare aliasque desuper oportune providere de benignitate apostolica dignaretur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati auctoritate apostolica tenore presentium in dicta insula unam abbatiam que inibi dignitas reperetur, et cui cura in penitentie et in contemptio[so] foro in omnibus casibus episcopalibus iniaceat animarum perpetuo erigimus et instituimus illique pro eius dote omnes et singulos fructus decimales, preterquam auri et aliorum metallorum in eadem insula pro tempore provenientium applicamus et approbamus, necnon quod dictus abbas pro tempore existens mitra et baculo pastoralibus uti possit ac alias in omnes et singulos christifideles, ibidem pro tempore commorantes in utroque foro huiusmodi episcopali auctoritate et potestate fungere, et ad eum collatio, provisio et libera dispositio beneficiorum ecclesiasticorum in dicta insula iam forsan erectorum et in posterum erigendorum ac quarumcumque causarum spiritualium et temporalium que ad forum ecclesiasticum de iure vel consuetudine aut alias spectare noscuntur, in quacumque instantia et inter quascumque personas qualitercumque qualificatas pendeant, vel pro tempore pendere contigerit, cognitio pertineant, idemque abbas

illas iurisdictionem et potestatem in spiritualibus et temporalibus in ecclesiis clericis et christifidelibus dicte insule hiis dumtaxat exceptis, que ad pontificale officium spectant et ab episcopo inferioribus prescribi de iure nequeunt, habeat et per se vel personas per eum ad id pro tempore deputandas exerceat, quas haberet et exerceret si episcopus et non abbas dicte insule foret, et quas episcopi et eorum civitas et diocesis de iure vel consuetudine aut alias quomodolibet habere et exercere possunt et debent, quodque a sententiis per abbatem aut eius officiales pro tempore latis ad proximiorem metropolitanum et non alium liceat appellari, in aliis vero idem abbas dicte sedi immediate subiaceat, perpetuo statuimus et ordinamus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli etc. nostre erectionis, institutionis, applicationis, approbationis, statutis et ordinationis infringere etc. Siquis autem etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo quintodecimo, idibus maii anno tertio.

20

Litterarum scientia

Reg. Lat. 1335 fol. 129r-130r — die 15 maii 1515

COLLATIO ABBATIAE

Abbatia in insula Sancti Iacobi seu *Jamaica,* eodem die auctoritate apostolica erecta et cui cura animarum inhaeret, Santio de Matienzo, cappellano Ferdinandi regis, confertur.

Leo X

Dilecto filio Santio de Matienzo [1] abbati abbatie Insule Sancti Ia-

[1] Sancho de Matienzo. Ob mortem suam praematuram sedem abbatiae obtinere non potuit. Cfr. *Lopetegui-Zubillaga* 278.

cobi alias Iamayca nullius diocesis decretorum doctori salutem etc. Litterarum scientia vite ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita super quibus etc. testimonio nos inducunt ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Dudum siquidem omnes abbatias ceteraque beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura apud Sedem Apostolicam tunc vacantia etc. reservamus decernentes extunc etc. attemptari. Cum itaque postmodum abbatia Insule Sancti Iacobi alias Iamayca nullius diocesis ex eoque nos hodie illam apostolica auctoritate per alias nostras litteras perpetuo ereximus et instituimus, prout in illis plenius continetur, apud Sedem eandem vacaverit et vacet ad presens, nullusque de illa preter nos hac vice etc. supradictis. Nos tibi qui ut asseris carissimi in Christo filii nostri Ferdinandi Aragonum et Sicilie Regis illustris cappellanus existis ac canonicatus et prebendas ecclesie Ispalen. inter alia obtines premissorum meritorum tuorum intuitu specialem gratiam facere volentes teque a quibusvis excommunicationis etc. censentes, ac omnia et singula alia beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura que etiam ex quibusvis apostolicis dispensationibus obtines et expectas, ac in quibus etc. competit, quecumque quotcumque et qualiacumque sint eorumque ac diocesium canonicatus et prebende fructuum, reddituum et proventuum veros annuos valores ac huiusmodi dispensationis presentibus pro expressis habentes abbatiam predictam que in dicta insula dignitas reputatur et cui cura etiam iurisdictionalis iniacet animarum ac cuius fructus, redditus et proventus viginti quatuor ducati auri de Camera secundum communem extimationem valorem annuum ut etiam asseris non excedunt, ab eius primeva erectione huiusmodi vacantem cum omnibus iuribus et pertinentiis suis apostolica tibi auctoritate conferimus et de illa etiam providemus, decernentes prout est etc. attemptatum forsan est hactenus etc. attemptari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis contrariis quibuscunque aut si aliquibus communiter vel divisim a prefata sit sede indultum quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur et ad id compelli non possint, quodque de abbatiis huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem, presentationem seu quamvis aliam dispositionem coniunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam etc. mentionem et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali etc. effectus huiusmodi gratie etc. mentio specialis. Nulli etc. nostre absolutionis, collationis, provisionis et decreti infringere etc. Siquis etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo quintodecimo, Idibus maii anno tertio.

21

Hodie dilecto filio

Reg. Lat. 1335 fol. 130rv die 15 maii 1515

DE COLLATIONE ABBATIAE

Episcopi Asculanus (*Ascoli Piceno*) et Cavallicensis (*Avignon*) vel alter eorum mandantur, ut Santium de Matienzo vel procuratorem eius in possessionem abbatiae in insula Sancti Iacobi vel *Jamaica* instituant.

Leo X

Venerabilibus fratribus Asculan. et Cavallicen. episcopis ac dilecto filio officiali Ispalen. salutem etc. Hodie dilecto filio Santio de Matienzo abbati abbatie Insule Sancti Iacobi alias Iamayca nullius diocesis decretorum doctori abbatiam predictam ab eius primeva erectione apud Sedem Apostolicam vacantem et antea dispositioni apostolice reservatam, per alias nostras litteras apostolica auctoritate contulimus et de illa etiam providimus, prout in dictis litteris plenius continetur. Quocirca etc. mandamus quatinus vos vel duo aut unus vestrum sic postquam dicte littere vobis peracta fuerint per vos vel alium seu alios eundem Santium vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem abbatie iuriumque et pertinentiarum predictorum inducatis auctoritate nostra et defendatis inductum amoto exinde quolibet detentore, facientes Santium vel pro eo procuratorem predictum ad abbatiam huiusmodi ut est moris admitti, sibique de illis fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi. Contradictores etc. Non obstantibus etc. seu si aliquibus communiter vel divisim a prefata sit sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam etc. mentionem. Datum ut supra.

22

Super specula

Reg. Lat. 1342 fol. 156r-157r die 11 februarii 1517

ERECTIO ECCLESIAE CUBENSIS

Ferdinandus rex insulam *Cuba*, cuius incolae *satis capaces rationis existunt,* iurisdictioni suae in temporalibus subiecit. Summus Pontifex pagum Cubensem in ipsa insula, *in quo aliqui christifideles inhabitant,* civitatis titulo insignit ac cathedralem ecclesiam sub invocatione Assumptionis Beatae Mariae in eo erigit pro uno episcopo, ut verbum Dei praedicet, sacramenta fidelibus administret et dignitates ecclesiasticas et beneficia ecclesiastica instituat. Privilegia et immunitates ei confert, quibus aliae cathedrales ecclesiae in Hispania gaudent. Episcopus iuri metropolitico archiepiscopi Hispalensis (*Sevilla*) subest; decimas et primitias et alia episcopalia iura *prout ceteri in Hispania episcopi de iure vel consuetudine exercent* percipere valet. Iuspatronatus in dioecesim regi Hispaniae conceditur.

Leo X

Ad perpetuam rei memoriam. Super specula militantis ecclesie meritis quamvis in paribus divina dispositione locati ad universas orbis provincias et loca ea presertim que omnipotentis Dei misericordia Cristiane veritatis lucem nostris temporibus agnoscere inceperunt aciem paterne meditationis passim reflectimus et ut locis ipsis dignioribus titulis decoratis plantetur radicitus Cristiana religio et eorum incole et habitatores venerabilium presulum doctrina et auctoritate suffulta proficiant semper in fide et quod in temporalibus sunt adepti non careat in spiritualibus incremento, opem et operam libenter impendimus efficaces. Sane attendentes quod clare memorie Ferdinandus Aragonum et Sicilie Rex inter cetera regna provincias et loca eius auspitiis ab in-

fidelium manibus erepta insulam Cubensem in mari Indico sitam carissime in Christo filie nostre Iohanne Castelle et Legionis Regine illustris ipsius Ferdinandi Regis nate pro qua idem Ferdinandus Rex in dictis Castelle et Legionis regnis generalis gubernatore existebat dictioni subiecit et quod ut illius incole qui satis capaces rationis existunt discussis tenebris ad lucem perveniant veritatis necesse est spiritualium ibi seminare plantaria. Nos habita super hiis cum venerabilibus fratribus nostris sancte Romane ecclesie cardinalibus deliberatione matura ad eiusdem omnipotentis laudem et gloriam ac gloriosissime virginis Marie totiusque celestis curie iubilationem de fratrum eorundem consilio auctoritate apostolica tenore presentium oppidum sive pagum Cubensem in ipsa insula in quo aliqui christifideles inhabitant civitatis titulo insignimus illumque in civitatem et in eo unam cathedralem ecclesiam sub invocatione assumptionis beate Marie [1] pro uno episcopo Cubensi nuncupando, qui in ecclesia et civitate predictis necnon Cubensi diocesi verbum Dei predicet et eorum incolas infideles et gentes barbaras ad orthodoxe fidei cultum convertat et conversos in eadem fide instruat et confirmet eisque baptismi gratiam impendat et tam illis sic conversis quam aliis omnibus fidelibus in civitate et diocesi predictis pro tempore degentibus et ad illas declinantibus sacramenta ecclesiastica et alia spiritualia ministret et ministrari faciat ac in ecclesia, civitate et diocesi predictis dignitates, canonicatus et prebendas aliaque beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura erigat et instituat et alia spiritualia conferat atque seminet prout pro divini cultus augmento et ipsorum incolarum animarum salute expedire cognoverit cum sede et aliis insigniis et iurisdictionibus spiritualibus privilegiis quoque immunitatibus et gratiis quibus alie cathedrales ecclesie et earum presules in dictis regnis quibus dicta insula est annexa de iure vel consuetudine utuntur, potiuntur et gaudent seu uti, potiri et gaudere poterint quomodolibet in futurum perpetuo erigimus et instituimus, ac eidem ecclesie oppidum seu pagum sic in civitatem erectum pro civitate et dictam insulam pro diocesi earumque incolas et habitatores pro clero et populo concedimus et assignamus, ita ut ipse episcopus Cubensis qui pro tempore fuerit qui archiepiscopo Ispalensi iure metropolitico subsit in illis episcopalem iurisdictionem gerere et exercere et alia facere que alii episcopi in suis ecclesiis, civitatibus et diocesi gerere et exercere de iure possint et debent et ex omnibus ibi pro tempore provenientibus preterquam auro et argento et aliis metallis et gemmis et lapillis preciosis que pro tempore existentibus Regibus

[1] Ecclesia cathedralis in civitate *Baracoa* erecta est. Cfr. *Lopetegui-Zubillaga* 278.

Castelle et Legionis quoad hoc libera esse decernimus decimas et primitias de iure debitas et alia episcopalia iura prout ceteri in Hispania episcopi de iure vel consuetudine exercent et perpetuo exercere et percipere libere et licite valeat necnon ius patronatus et presentandi infra annum propter loci distantiam personam idoneam ad dictam ecclesiam quotiens illius vacatio, hac prima vice excepta, pro tempore occurrerit pro tempore existenti romano pontifici per eum in eiusdem ecclesie episcopum et pastorem ad presentationem huiusmodi preficiendum eidem pro tempore existenti Regi Castelle et Legionis imperpetuum consilio et auctoritate similibus et de apostolice potestatis plenitudine concedimus et reservamus. Nulli ergo etc. nostre erectionis, institutionis, concessionis, assignationis, decreti et reservationis infringere etc. Siquis etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo sextodecimo, tertio idus februarii anno quarto.

23a

Romani Pontificis

Reg. Lat. 1342 fol. 157r-158r — die 11 februarii 1517

PROVISIO ECCLESIAE CUBENSIS

Summus Pontifex Ioannem de Ubita (de Witte), Ordinis Praedicatorum, episcopum Salubriensem (*Selymbria, Siliwiri in Thracia*) ad Ecclesiam Cubensem transfert, a vinculo quo Ecclesiae Salubriensi usque tunc ligatus erat eum absolvens. Sed antequam Ioannes regimen et administrationem Ecclesiae Cubensis assumit, solitum iuramentum fidelitatis praestare debet in manus episcoporum de *Córdoba* et de *Badajoz* vel alterius eorum.

Provisio haec populo civitatis et dioecesis Cubensis communicatur necnon Ioannae reginae et Carolo regi Castellae et Legionis. Ioanni episcopo vero absolutio a poenis ecclesiasticis quibus forsan ligatus existit conceditur ne translatio et praefectio impugnari possint. Tandem episcopis de *Córdoba* et de *Badajoz* mandatum confertur, ut ab eodem Ioanni episcopo solitum iuramentum recipiant.

Leo X

Venerabili fratri Iohanni [1] episcopo Cubensi salutem etc. Romani Pontificis quem pastor ille celestis et episcopus animarum potestatis sibi plenitudine tradita ecclesiis pretulit universis plena vigiliis solicitudo requirit ut ipsi circa statum quarumlibet ecclesiarum vigilanter excogitet sicque prospiciat diligenter quod per eius providentiam circumspectam nunc per simplicis provisionis officium nunc vero per ministerium translationis accomode singulis ecclesiis prout personarum, locorum et temporum qualitas exigit ipsarumque ecclesiarum utilitas suadet, viri preficiantur idonei et pastores providi deputentur qui ecclesias sibi commissas per eorum circumspectionem providam et providentiam circumspectam non solum gubernent utiliter sed etiam multimodis efferant incrementis. Dudum siquidem provisiones ecclesiarum omnium apud Sedem apostolicam vacantium et in antea vacaturarum ordinationi et dispositioni nostris reservavimus decernentes extunc irritum et inane si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignorantur contigerit attemptari. Postmodum vero ecclesiam Cubensem quam nos hodie de fratrum nostrorum consilio apostolica auctoritate per alias nostras litteras ereximus ab illius primeva erectione huiusmodi apud sedem predictam pastore carente, nos ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem de qua nullus preter nos hac vice intromittere potuit sive potest reservatione et decreto obsistentibus supradictis ne ecclesia ipsa longe vacationis incommodis exponeretur paternis et solicitis studiis attendentes post deliberationem de preficiendo eidem ecclesie personam idoneam, utilem et etiam fructuosam cum eisdem fratribus habuimus diligentem. Demum ad te episcopum Salubriensem ordinis fratrum predicatorum professorem consideratis grandium virtutum donis quibus illarum largitor Deus personam tuam multipliciter insignivit et quod tu qui ecclesie Salubriensi hactenus laudabiliter prefuisti dictam ecclesiam Cubensem scies, voles et poteris auctore Domino utiliter regere et feliciter gubernare convertimus oculos nostre mentis intendentes igitur tam dicte ecclesie Cubensis quam eius gregi dominico salubriter providere te licet absentem a vinculo quo ecclesie Salubriensi huiusmodi cui nuper

---

[1] Ioannes de Ubita (de Witte) oriundus ex Flandria. Ordini Fratrum Praedicatorum nomen dedit. Anno 1527 munere se abdicavit et in civitatem *Brügge* reversus est, ubi die 18 septembris 1540 mortuus est. Cfr. BM II 133; *Lopetegui-Zubillaga* 278-279.

preeras tenebaris de consilio simili et apostolice potestatis plenitudine absolventes te ad ecclesiam Cubensem predictam sic pastore carentem de eorundem fratrum nostrorum consilio dicta auctoritate transferimus teque illi preficimus in episcopum et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie Cubensis tibi in spiritualibus plenarie committendo celerem et licentiam tibi tribuendo ad eandem ecclesiam Cubensem transeundi firma spe fiduciaque conceptis quod dirigente Domino actus tuos prefata ecclesia Cubensis per tue circumspectionis industriam et studium fructuosum regetur utiliter et prospere dirigetur ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Volumus autem quod antequam regimini et administrationi dicte ecclesie Cubensis in aliquo te inmisceas in manibus venerabilium fratrum nostrorum Cordubensis et Pacensis episcoporum fidelitatis debite solitum prestes iuramentum iuxta formam quam sub bulla nostra mittimus introclusam quibus et eorum cuilibet per alias nostras litteras committimus ut a te nostro et Romane ecclesie nomine huiusmodi recipiant seu eorum alter recipiat iuramentum. Quocirca fraternitati vestre etc. mandamus quatinus ad ipsam Cubensem cum nostra et dicte Sedis benedictione accedens curam et administrationem predictas sic diligenter geras et fideliter exequaris quod ipsa ecclesia Cubensis gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam ac tue bone fame odor ex laudabilibus eius artibus latius diffundatur tuque preter eterne retributionis premium nostram et dicte sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo sextodecimo, tertio idus februarii anno quarto.

23b

Hodie venerabilem fratrem

Reg. Lat. 1342 fol. 158r — die 11 februarii 1517

Dilectis filiis populo civitatis et diocesis Cubensis salutem etc. Hodie venerabilem fratrem nostrum Iohannem Cuben. nuper Salu-

brien. episcopum a vinculo quo ecclesie Salubrien. etc. plenius continetur. Quocirca universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attente vobis per apostolica scripta mandamus quatinus eundem Iohannem episcopum tamquam patrem et pastorem animarum vestrarum devote suscipientes et debita honorificentia prosequentes eius monitis et mandatis salubribus humiliter intendatis ita quod ipse in vobis devotionis filios et vos in eo per consequens patrem benivolum invenisse gaudeatis. Datum ut supra.

23c

Gratiae divinae praemium

Reg. Lat. 1342 fol. 158rv — die 11 februarii 1517

Carissime in Christo filie Iohanne Regine et carissimo in Christo filio Carolo Regi Castelle et Legionis illustribus salutem etc. Gratie divine premium et humane laudis preconium acquiritur etc. plenius continetur. Cum itaque filii carissimi sit virtutis opus Dei ministros benigno favore prosequi ac eos verbis et operibus pro regis eterni gloria venerari serenitatem vestram regiam rogamus et hortamur attente quatinus eundem Iohannem episcopum et prefatam Cuben. ecclesiam sue cure commissam habentes pro nostra et apostolice Sedis reverentia propentius commendatos in ampliandis et conservandis iuribus suis sic ipsos benigni favoris auxilio prosequamini quod idem Iohannes episcopus vestre celsitudinis fultus presidio in commisso sibi cure pastoralis offitio possit, Deo propitio, prosperari ac vobis exinde a Deo perennis vite premium et a nobis condigna proveniat actio gratiarum. Datum ut supra.

23d

Consueta Sedis apostolicae clementia

Reg. Lat 1342 fol. 158v-159r die 11 februarii 1517

Venerabili fratri Iohanni episcopo Salubriensi salutem etc. Consueta Sedis apostolice clementia de statu quarumlibet personarum presertim pontificali dignitate preditarum paterna meditatione considerans circa ea libenter sive vigilanter studium impartitur precipue persone ipse ecclesiis eis convertendis pura conscientia et sincero corde valeant presidere. Cum itaque nos hodie te a vinculo quo ecclesie Salubriensis tenebaris de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolvere et ad ecclesiam Cuben. certo modo vacantem transferre et illi in episcopum et pastorem preficere intendamus nos ne absolutio, translatio et prefectio huiusmodi et littere desuper conficiende pretextu quarum censuram ecclesiarum siquibus irretitus existas valeant quomodolibet impugnari providere volentes te ab omnibus et singulis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis siquibus quomodolibet innodatus existis ad hoc dumtaxat ut absolutio, translatio et prefectio ac singule littere apostolice desuper conficiende suum consequantur effectum auctoritate apostolica harum serie absolvimus et absolutum fore nuntiamus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac dicte ecclesie Cuben. iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus contrariis quibuscumque etc. Nulli ergo etc. nostre absolutionis et nuntiationis infringere etc. Siquis etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo sextodecimo, tertio idus februarii anno quarto.

23e

Cum nos pridem

Reg. Lat. 1342 fol. 159rv — die 10 februarii 1517

Venerabilibus fratribus Corduben. et Pacen. episcopis salutem etc. Cum nos pridem venerabilem fratrem nostrum Iohannem Cuben. nuper Salubrien. episcopum etc. plenius continetur. Nos volentes eiusdem Iohannis episcopi in partibus illis commorantis parcere laboribus et expensis ne propter hoc cogatur veniendo ad Romanam curiam libenter fraternitati vestre per apostolica scripta presentium tenore committimus et mandamus quatinus vos vel alter vestrum ab eodem Iohanni episcopo nostro et Romane ecclesie nomine fidelitatis debite solitum iuramentum recipiatis auctoritate nostra iuxta formam quam sub bulla nostra mittimus introclusam, ac formam iuramenti quod dictus Iohannes episcopus prestabit nobis de verbo ad verbum per nostras patentes litteras sub suo sigillo signatas per proprium nuntium quantocius destinare procuretis. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo sextodecimo, quarto idus februarii anno quarto.

24

Sacri Apostolatus ministerio

Hernáez II 51-52 — 24 ianuarii 1519

DIOECESIS BEATAE MARIAE DE REMEDIIS IN CIVITATE CAROLENSI (*YUCATÁN*) ERIGITUR

Leo X sollicitudinem suam propagationis fidei in provinciis praesertim illis noviter detectis affirmat. Ferdinandus, Aragonum et Siciliae rex, postquam inter alias *Hispaniolam* insulam repertam temporali suae ditioni subiecit et duas dioeceses in ea erigi a Summo Pontifici obtinuit, paulo ante mortem novam classim misit quae *ad regionem quamdam tandem pervenit, vulgo Yucatam nuncupatam, tantae magnitudinis, ut adhuc incertum sit, an Insula aut Terra continens sit, eamque sub invocatione Beatae Mariae de Remediis vocavit.* Terra vel insula ista *a pluribus hominum millibus* habitatur, coelo salubri ac solo fertili gaudet, eiusque incolae et habitatores *rationis et humanitatis* capaces sunt et facile fidei catholicae adhaerent, eiusque mores et praecepta libenter amplectuntur. Carolus rex, successor Ferdinandi, desiderat ut ecclesia parochialis oppidi Carolensis in insula vel terra illa iuxta litus extructa in Ecclesiam cathedralem erigatur. Summus Pontifex istis precibus obsecundans, Ecclesiam cathedralem in dicto oppido, *in quo magnus numerus fidelium de praesenti habitat,* sub invocatione Beatae Mariae de Remediis erigit ac episcopo Carolensi nuncupato opus evangelizationis et curam animarum commendat.

Leo X

Leo Episcopus Servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Sacri Apostolatus ministerio, meritis licet insufficientibus, superna dispositione praesidentes, ad universi orbis provincias et loca, ea praesertim, quae Omnipotentis Dei misericordia Christianae veritatis lucem nostris temporibus incoeperunt agnoscere, frequenti meditatione intendimus, ut in illis Ortodoxae Fidei cultus augeatur et Christiana Religio propagetur, ac eorum incolae et habitatores Venerabilium Praesulum doctrina et auctoritate suffulti, in eadem Fide semper proficiant, ipsaque loca maxime insignia dignioribus titulis attollantur et majoribus honoribus; praesertim cum id Christianorum Regum pia vota exposcunt et cognoscimus in Domino salubriter expedire. Sane, cum clarae memoriae Ferdinandus, Aragonum et Siciliae Rex, qui etiam dum viveret Regnorum Castellae et Legionis Gubernator fuit, ad laudem et gloriam illius, cujus est terra et plenitudo ejus, ac universi qui habitant in ea, pluribus jam annis elapsis, validissimam classem comparasset, eamque ad novas Insulas in Oceano Indico inquirendas destinasset, ac inter alias Hispaniolam, Elisabellam nuncupa-

tam, valde notabilem Insulam hujusmodi classe repertam, temporali suae ditioni subjecisset, ac in ea Sancti Dominici et Conceptionis Beatae Mariae Cathedrales Ecclesias erigi obtinuisset; paulo antequam ab humanis decederet, similem classem, circiter duo millia hominum habentem, ad alias Insulas in eodem mari inquirendas misit, eique dilectum Filium Petrum de Arias Capitaneum praefecit; qui, cum per plures dies navigasset, ad regionem quamdam tandem pervenit, vulgo Yucatam nuncupatam, tantae magnitudinis, ut adhuc incertum sit, an Insula aut Terra continens sit, eamque sub invocatione ejusdem Beatae Mariae de Remediis vocavit, ac in ea juxta litus oppidum sive pagum cum parochiali Ecclesia sub eadem vocatione extruxit: cumque Charissimus in Christo Filius noster Carolus, Castellae et Legionis et aliorum Regnorum praedictorum Rex illustris, ejusdem Ferdinandi Regis non modo Regnorum haeres et successor, verum et virtutum imitator, comperisset dictam Terram sive Insulam per multas leucas in longitudine et latitudine a suis perlustratam esse et a pluribus hominum millibus habitari, coeloque salubris ac solo fertili gaudere, ejusque incolas et habitatores rationis et humanitatis capaces esse, facileque Orthodoxae Fidei nostrae adhaerere, ejusque mores et praecepta libenter amplecti, nec parvam ipsius Terrae sive Insulae partem suae ditioni subjecerit, in eaque plura oppida condi fecerit, et in illis Parochiales Ecclesias erigi obtinuerit, speretque multo majorem ejus partem sub ipsius ditione venturam ac discussis errorum tenebris ad lucis veritatem perventuram et Christum totius humani generis Redemptorem cognituram fore: ac propterea summopere desideret dictum oppidum sive pagum iuxta litus maris, et praefertur, extructum, in Civitatem, quae Carolensis [1] appelletur, et illius Ecclesiam praedictam sub dicta invocatione Beatae Mariae de Remediis erigi.

Habita igitur super iis cum Venerabilibus Fratribus nostris matura deliberatione, de illorum consilio, praefato Carolo Rege super hoc Nobis humiliter supplicante, ad Omnipotentis Dei Laudem et gloriam, ac honorem Beatissimae et Gloriosissimae Virginis Mariae ejus Genitricis, cum totius coelestis Curiae jubilo, auctoritate Apostolica, tenore praesentium oppidum sive pagum Insulae Beatae Mariae de Remediis hujusmodi, in quo magnus numerus Fidelium de praesenti habitat, in Civitatem, quae Carolensis appelletur; illius vero Paro-

---

[1] Ecclesia Carolensis die 13 octobris 1525 ad civitatem *Tenuxtitlan* translata est, quae deinde Tlaxcalensis seu Angelopolitana (*Puebla de los Angeles*) denominata est. Cfr. infra doc. 33. Primus episcopus nominatus est Julianus Garcés, OP, de quo cfr. infra idem doc. 33.

chialem Ecclesiam praedictam, in Cathedralem Ecclesiam sub dicta invocatione Beatae Mariae de Remediis pro uno Episcopo, Carolensi nuncupato, qui in dicta Ecclesia erecta et illius Civitate ac Dioecesi verbum Dei praedicet, ac earum incolas Infideles ad praefatae Orthodoxae Fidei cultum convertat, et conversos in eadem Fide instruat et doceat atque confirmet, eisque Baptismi gratiam impendat, et tam illis sic conversis, quam aliis omnibus Fidelibus in Civitate et Dioecesi praedictis pro tempore degentibus, et ad illas declinantibus Sacramenta Ecclesiastica et alia spiritualia ministret et ministrari faciat, ipsiusque Ecclesiae erectae aedificia ampliari, et ad formam Cathedralis Ecclesiae redigi faciat et procuret, ac in Ecclesia et Civitate erectis, necnon Dioecesi praedictis Dignitates, Canonicatus et Praebendas, aliaque Beneficia Ecclesiastica cum cura et sine cura erigat et instituat, et alia spiritualia conferat et seminet, prout Divini cultus augmento et ipsorum incolarum animarum saluti expedire cognoverit, cum Sede et aliis insigniis et Jurisdictionibus Episcopalibus, privilegiis quoque, immunitatibus et gratiis, quibus aliae Cathedrales Ecclesiae et earum Praesules in Hispania de jure vel consuetudine utuntur, potiuntur et gaudent, seu uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, perpetuo erigimus et instituimus, et eidem Ecclesiae oppidum sive pagum per nos in Civitatem erectum pro Civitate, et partem terrae sive Insulae Beatae Mariae de Remediis hujusmodi, quam ipse Carolus Rex positis limitibus statui jusserit, pro Dioecesi illorumque incolas et habitatores pro Clero et Populo concedimus et assignamus, ita ut ipse Episcopus Carolensis, qui pro tempore fuerit, in illis Episcopalem Jurisdictionem, auctoritatem et potestatem libere exerceat, et ex omnibus inibi pro tempore provenientibus, praeterquam ex auro et argento ac aliis metallis gemmis et lapidibus pretiosis, quae quoad hoc libera esse decernimus, Decimas et Primitias de jure debitas, caeteraque Episcopalia jura exigat et percipiat, prout aliis in ulteriori Hispania Episcopis in Suis Civitatibus et Dioecesibus de jure et consuetudine id licet: necnon jus Patronatus et praesentandi infra annum, propter loci distantiam, Personam idoneam ad dictam Ecclesiam Carolensem, quoties illius vacatio, excepta hac prima vice, pro tempore occurrerit, pro tempore existenti Romano Pontifici per eum in ejusdem Ecclesiae Episcopum et Pastorem ad praesentationem hujusmodi praeficiendam, praefato Carolo et pro tempore existenti Regi Castellae et Legionis in perpetuum concedimus et reservamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae erectionis institutionis, concessionis, assignationis, decreti et preservationis infringere vel ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolo-

rum ejus se noverit incursurum. Datum Romae, apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae, millesimo quingentesimo decimo octavo, IX Kalendas Februarii, Pontificatus nostri anno sexto.

25

Super specula

Reg. Lat. 1400 fol. 277r-278r die 5 decembris 1520

IN TERRA FLORIDA DE *YUCATÁN* DIOECESIS SUB INVOCATIONE SANCTI IACOBI ERIGITUR

Summus Pontifex operam impendit, ut christiana religio radicitus plantetur et habitatores in fide proficiant. Inter insulas maris Oceani *Yucatán* reperta est quae adeo immensa est, ut a nonnullis terra continens esse credatur et Novus Mundus appelletur, cuius incolae humanitatis et religionis capaces existunt. In eadem «insula» provincia quae Terra Florida nuncupatur inventa est, cum magnis et insigniis oppidis. Carolus rex ecclesiam et civitatem Carolensem erexit, quae etiam Terra Florida appellatur. Summus Pontifex ecclesiam parochialem sub invocatione sancti Iacobi in cathedralem ecclesiam erigit, cuius episcopus inibi verbum Dei praedicet et incolas ad orthodoxae fidei cultum convertat atque sacramenta et alia spiritualia auxilia administret vel administrare faciat. Insuper in eadem civitate et dioecesi Terrae Floridae dignitates, canonicatus aliaque beneficia ecclesiastica instituat, prout pro divini cultus augmento et bono animarum expedire cognoverit. Episcopus iisdem insigniis et iurisdictionibus, privilegiis, immunitatibus et gratiis uti poterit ac alii episcopi in Hispania ac proinde decimas et primitias de iure debitas percipere potest.

Leo X

Ad perpetuam rei memoriam. Super specula militantis ecclesie meritis licet imparibus divina dispositione locati ad universas orbis

provincias et loca ea presertim que Omnipotentis Dei misericordia christiane veritatis lucem nostris temporibus agnoscere inceperunt, aciem paterne meditationis passim reflectimus et ut in locis ipsis dignioribus titulis decoratis plantetur radicitus christiana religio et eorum inchole et habitatores venerabilium presulum doctrina et auctoritate suffulti proficiunt semper in fide et quod in temporalibus sunt adepti non careat in spiritualibus incrementis opem et operam libenter impendimus efficaces. Sane cum inter ceteras insulas in mari Indico sub clare memorie Ferdinando Aragonum et Sicilie Regi, Castelle et Legionis regnorum administratore ac carissimo in Christo filio nostro Carolo Romanorum ac moderno Castelle et Legionis Castelle Rege illustri repertas insula Yuocatan nuncupata dicti Caroli Regis tempore adeo immensa esse comperta sit ut non insula sed terra continens esse credatur et a nonnullis mundus novus appelletur ac in ea diverse nove provincie et regiones per duces classium ipsius Caroli Regis tetegantur et acquirantur, earumque inchole qui humanitatis ac religionis capaces existunt ad verum Christi cultum deducantur et nuper in eadem insula nova regio seu provincia que Terra Florida nuncupatur plura, magna et insignia oppida habens, ac omnibus rebus humano usui necessariis referta, inventa et acquisita fuerit, et prefatus Carolus Rex, qui superiori anno in eadem insula Yuocatan ecclesiam et civitatem Carolensem [1] a suo nomine nominatas a nobis erigi obtinuit summopere desideret in singulis orbis terrarum partibus Christi vexilla refulgere ac Salvatoris nostri gloria florescere et christiane rei publice decorem et venustatem augeri et vineam Domini Sabaat plantari, gentesque illarum partium christiane veritatis ignaros ad christifidem converti ac propterea insigne oppidum seu pagum etiam Terram Floridam nuncupatum dicte provincie in civitate que Terra Florida appelletur et illius parrocchialem ecclesiam Sancti Jacobi in cathedralem sub invocatione eiusdem sancti Jacobi erigi et institui; nos habita super his cum venerabilibus fratribus nostris sancte Romane Ecclesie cardinalibus deliberatione matura de illorum consilio prefato Carolo Rege super hoc nobis humiliter supplicante ad Omnipotentis Dei laudem et gloriam et totius celestis curie honorem et reverentiam oppidum seu pagum Terrefloride huiusmodi civitatis titulo auctoritate Apostolica tenore presentium insignimus, illudque in civitatem que Terraflorida appelletur et dictam parrocchialem ecclesiam in cathedralem ecclesiam sub eadem invocatione sancti Jacobi pro uno episcopo qui in ipsis Terrefloride ecclesia ac civitate et diocesi verbum

---

[1] Cfr. supra doc. 24.

Dei predicet et eorum incholas infideles et gentes barbaras ad ortodoxe fidei cultum convertat et conversae in eadem fide instruat et confirmet eisque baptismi gratiam impendat et tam illis conversis quam aliis omnibus christifidelibus in civitate et diocesi Terrefloride predictis pro tempore degentibus et ad illa declinantibus Sacramenta ecclesiastica et alia spiritualia ministret et ministrare, ipsiusque ecclesie Sancti Jacobi edificia ampliari et ad formam cathedralis ecclesie redigi faciat et procuret, ac in ecclesia, civitate et diocesi Terrefloride huiusmodi dignitates, personatus, canonicatus et prebendas aliaque beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura erigat et instituat ac alia spiritualia conferat et seminet, prout pro divini cultus augumento et ipsorum incholarum animarum salute cognoverit expedire cum sede et aliis insigniis et iurisdictionibus episcopalibus privilegiis quoque immunitatibus et gratiis quibus alie cathedrales ecclesie et earum presules in Hispania de iure vel consuetudine utuntur, potiuntur et gaudent ac uti et potiri poterunt quomodolibet in futurum auctoritate et tenore predictis perpetuo erigimus et instituimus, ac eidem erecte ecclesie dictum oppidum seu pagum sic in civitatem erectum pro civitate et competentem partem territorii per venerabiles fratres nostros Palentinen. et Canarien. episcopos seu eorum alterum quibus et eorum cuilibet id per presentes committimus consignandam pro diocesi illarumque incholas et habitatores pro clero et populo concedimus et assignamus ita ut ipse episcopus Terrefloride, qui pro tempore fuerit in illis episcopalem iurisdictionem, auctoritatem et potestatem et alia que alii episcopi in suis civitatibus et diocesibus de iure exercere possint et debent libere exercere valeat ac decimas et primitias de iure debitas et alia episcopalia iura exigat et percipiat prout ceteri in Hispania episcopi de iure vel consuetudine exigunt et percipiunt. Nulli ergo etc., nostre erectionis, institutionis, commissionis, concessionis et assignationis infringere etc. Siquis autem etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominice millesimo quingentesimo vigesimo, nonas decembris, pontificatus nostri anno octavo.

26a

Regimini universalis Ecclesiae

Reg. Lat. 1400 fol. 276v — die 5 decembris 1520

PROVISIO ECCLESIAE TERRAE FLORIDAE

Sollicitudo Summi Pontificis in id praeprimis dirigitur, ut incommoda praeveniantur quae Ecclesiis ex diuturna vacatione sedis episcopalis provenire noscuntur. Quapropter summo studio Ecclesiae cathedrali Terrae Floridae in «insula» *Yucatán,* eodem die erectae providere intendens, Georgium de Priego, quem tali munere explendo dignum comprobatum habet, in primum novae dioecesis episcopum constituit eique curam et administrationem ipsius Ecclesiae in spiritualibus et temporalibus plenarie committit.

Leo X

Dilecto filio Georgio de Priego [1] electo Terre Floride salutem etc. Regimini universalis Ecclesiae meritis licet imparibus, disponente Domino, presidentes de universis orbis ecclesiis et ipsarum pastoribus pro illarum statu salubriter dirigendo solicite quantum nobis ex alto conceditur cogitamus sed cura illa propensius nos viget, ut ecclesiis ipsis que vacationis incommodis subiiciuntur ne diutius in spiritualibus et temporalibus detrimenta substineant de salubri remedio, prout ipsarum ecclesiarum necessitas ac locorum et temporum qualitas exposcunt per Apostolice Sedis providentiam succurratur. Dudum siquidem provisiones ecclesiarum omnium apud sedem predictam tunc vacantium et in antea vacaturarum ordinationi et dispositioni nostre reservavimus decernentes extunc irritum et inane, si secus super his per quosquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigeret attemptari postmodum vero ecclesia Terre Floride quam nos hodie in Insula Yuocatan nuncupata sub invocatione Sancti Iacobi de fratrum nostrorum consilio Apostolica auctoritate ereximus a primeva eius erectione huiusmodi apud sedem eandem vacante[m] nos ad provisionem eiusdem ecclesie celerem et felicem de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit seu potest reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne ecclesia ipsa longe vacationis exponatur in-

[1] Georgius de Priego, Ordinis Sancti Augustini, Prior monasterii Sancti Marci Legionensis dioecesis (*León*), Ordinis Sancti Iacobi de Spata.

commodis paternis et sollicitis studiis intendentes post deliberationem quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et fructuosam cum fratribus predictis habuimus diligentem demum ad te fratrem militie eiusdem Sancti Iacobi de Spata, ordinis Sancti Augustini, decretorum doctorem de nobili genere procreatum in presbiteratus ordine constitutum, cui apud nos de religionis zelo, vite munditia, honestate morum, spiritualium providentia et temporalium circumspectione aliisque multiplicum virtutum donis fidedigna testimonia peribentur direximus oculos nostre mentis, quibus omnibus debita meditatione pensatis de persona tua nobis et eisdem fratribus ob tuorum exigentiam meritorum accepta eidem ecclesie de simili ipsorum fratrum consilio auctoritate predicta providemus, teque illi in episcopum preficimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo in illo qui dat gratias et largitur premia confidentes quod dirigente Domino actus tuos prefata ecclesia sub tuo felici regimine regetur utiliter et prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiat incrementa. Iugum igitur Domini tuis impositum humeris, prompta devotione suscipiens curam et administrationem predictas sic adimplere studeas sollicite, fideliter et prudenter quod ecclesia ipsa gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque preter eterne retributionis premium nostram et dicte Sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominice millesimo quingentesimo vigesimo, nonas decembris, pontificatus nostri anno octavo.

26b

Gratiae divinae praemium

Reg. Lat. 1400 fol. 276v-277r — die 5 decembris 1520

COMMENDATIO NOVI EPISCOPI TERRAE FLORIDAE

Summus Pontifex Georgium de Priego, quem primum pastorem eodem die erectae dioecesi Terrae Floridae in insula *Yucatán* praefecit, Carolo Romanorum regi commendat, ita ut regii favoris fultus praesidio in commisso officio prosperari valeat ac regi ipsi exinde a Deo perennis vitae praemium et a Pontifice condigna proveniat actio gratiarum.

Carissimo in Christo filio Carolo Romanorum Regi et carissime in Christo filie Iohanne, Castelle et Legionis Regine illustribus salutem etc. Gratie divine premium et divine laudis preconium acquiritur si per seculares principes ecclesiarum prelatis presertim pontificali dignitate preditis oportuni favoris presidium et honor debitus impendatur. Hodie siquidem ecclesie Terre Floride, quam nos hodie in Insula Yuocatan nuncupata de fratrum nostrorum consilio Apostolica auctoritate ereximus, a primeva eius erectione huiusmodi tunc vacanti de persona dilecti filii Georgii electi Terre Floride nobis et fratribus nostris ob suorum exigentiam meritorum accepta de simili fratrum consilio, auctoritate predicta providimus ipsumque illi prefecimus in episcopum et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum itaque filii carissimi sit virtutum opus Dei ministros digno favore prosequi ac eos verbis et operibus pro Regis eterni gloria venerari maiestatem vestram Regiam cum etiam tu fili Carole etiam Castelle et Legionis Rex existas rogamus et hortamur attempte quatinus eundem Georgium electum et ecclesiam predictam sue cure commissam habentes pro nostra et dicte Sedis reverentia propensius commendatos ipsos benigno favoris auxilio prosequamini, ita ut idem Georgius electus vestri favoris fultus presidio in commisso sibi cure pastoralis officio possit, Deo propitio, prosperari ac vobis exinde a Deo perennis vite premium et a nobis condigna proveniat actio gratiarum. Datum ut supra.

26c

Apostolicae Sedis consueta clementia

Reg. Lat. 1400 fol. 278r — die 5 decembris 1520

ABSOLUTIO AD CAUTELAM CANDIDATI

Georgium de Priego fratrem Militiae Sancti Iacobi de Spata episcopum noviter erectae dioecesis Terra Florida constituere intendens Summus Pontifex ad praecavendum invaliditatis periculum a quibusvis excommunicationis aliarumque censurarum ecclesiasticarum ligamine quod forse contraxerit absolvit atque absolutum fore nuntiat.

Dilecto filio Georgio de Priego fratri militie Sancti Iacobi de Spata, ordinis Sancti Augustini, decretorum doctori salutem etc. Apostolice Sedis consueta clementia ne dispositiones per eam cathedralibus ecclesiis pro tempore facte valeant quomodolibet impugnari, sed persone ad eas promovende illis puro corde et sincera conscientia presidere valeant remedia prout convenit adibet oportuna. Cum itaque nos hodie ecclesie Terre Floride quam etiam nos hodie in insula Yuocatan nuncupata de fratrum nostrorum consilio Apostolica auctoritate ereximus a primeva eius erectione huiusmodi vacanti de persona tua nobis et fratribus predictis ob tuorum exigentiam meritorum accepta de simili fratrum eorumdem consilio dicta auctoritate providere teque illi in episcopum et pastorem preficere intendamus nos ne provisio et prefectio predicte, si forsan aliquibus sententiis censurisque ecclesiasticis ligatus sis valeant propterea invalide reputari providere volentes te a quibusvis excommunicationis etc., absolvimus et absolutum fore nunciamus, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo etc., nostre absolutionis et nunciationis infringere etc. Siquis autem etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominice millesimo quingentesimo vigesimo, nonas decembris, pontificatus nostri anno octavo.

26d

Cum nos pridem

Reg. Lat. 1400 fol. 278v

die 4 decembris 1520

PERMISSIO ORDINATIONIS EPISCOPALIS

Supplicationi episcopi electi Terrae Floridae assentiens, Summus Pontifex eidem ad eius commoditatis augmentum concedit, ut a quocumque maluerit catholico Antistite gratiam et communionem Apostolicae Sedis habenti munus consecrationis suscipere valeat, assistentibus quidem duobus vel tribus catholicis episcopis eandem communionem habentibus, ac recepto prius ab Antistite consecratore iuramento fidelitatis iuxta formam in litteris annotatam, et hoc sub poena suspensionis pro utroque.

Dilecto filio Georgio electo Terrefloride salutem etc. Cum nos pridem ecclesie Terrefloride tunc ab eius primeva erectione apud Sedem Apostolicam vacanti de persona tua nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorumdem concilio auctoritate Apostolica duxerimus providendum preficiendo te illi in episcopum et pastorem, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur, nos ad ea que ad tue commoditatis augmentum cedere valeant favorabiliter intendentes tuis in hac parte supplicationibus inclinati tibi ut a quocumque malueris catholico Antistite gratiam et communionem Apostolice Sedis habente accitis et in hoc tibi assistentibus duobus vel tribus catholicis episcopis similes gratiam et communionem habentibus munus consecrationis suscipere valeas, ac eidem Antistiti, ut recepto prius per eum a te nostro et Romane Ecclesie nomine fidelitatis debite solito iuramento iuxta formam presentibus annotatam munus predictum impendere auctoritate nostra libere tibi possit plenam et liberam concedimus earundem tenore presentium facultatem. Volumus autem et auctoritate predicta statuimus et ordinamus quod si non recepto a te per ipsum episcopum dicto iuramento idem episcopus munus ipsum tibi impendere et tu illud suscipere presumpseritis dictus Antistes a pontificalis officii exercitio et tam ipse quam tu ab administratione tam spiritualium quam temporalium ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso. Preterea volumus quod formam huiusmodi a te tunc prestiti iuramenti nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo munitas per proprium nuncium quantotius destinare procures; forma autem iuramenti quod prestabis hec est: Ego Georgius electus Terrefloride ab hac hora in antea fidelis et obediens ero beato Petro sancteque Romane Ecclesie et domino nostro domino Leoni Pape decimo seu eius successoribus canonice intrantibus non ero in consilio aut consensu vel facto etc. sic me Deus adiuvet et hec ad Sancta Dei Evangelia. Datum Romae apud Sanctum

Petrum, anno Incarnationis Dominice millesimo quingentesimo vigesimo, pridie nonas decembris, pontificatus nostri anno octavo.

26e

Personam tuam

Reg. Lat. 1400 fol. 278v-279r die 5 decembris 1520

DISPENSATIO PRO RETINENDIS BENEFICIIS

Electo episcopo dioecesis Terrae Floridae nuper erectae Summus Pontifex specialis dono gratiae concedit dispensationem, vi cuius, postquam munus consecrationis suscepit, possessionem pacificam duorum beneficiorum retinere possit, scilicet paroeciarum Sanctae Mariae oppidi de *Rivera* et Sanctae Crucis del *Arroyo de Mérida* «nullius dioecesis», per fratres Militiae Sancti Iacobi de Spata, Ordinis Sancti Augustini obligari solitarum, de quorum numero ipse existit, quin istae exinde vacare censeantur, cauto quidem ut animarum causa in eis nullatenus negligatur.

Dilecto filio Georgio electo Terrefloride salutem etc. Personam tuam exigentibus meritis nobis et Apostolice Sedi devotam paterna benivolentia prosequentes illa tibi favorabiliter concedimus que tuis commoditatibus fore conspicimus oportuna. Cum itaque nos hodie ecclesie Terrefloride quam nos etiam hodie in insula Yuocatan nuncupata maris Indici de fratrum nostrum consilio apostolica auctoritate ereximus tunc a primeva eius erectione huiusmodi vacanti de persona tua nobis et eisdem fratribus ob tuorum exigentiam meritorum accepta de simili consilio auctoritate predicta duxerimus providendum preficiendo te illi in episcopum et pastorem, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Et sicut accepimus tu tempore provisionis et prefectionis predictarum Sancte Marie oppidi de Ribera et Sancte Crucis del Arroyo de Merida nullius diocesis parrocchiales ecclesias per fratres militie Sancti Jacobi de Spada, ordinis Sancti Au-

gustini de quorum numero existis obligari solitas ex dispensatione infrascripta obligares prout obligationes nos tibi cum quo dudum ut etiam accepimus ut quecumque duo cum cura per fratres militie huiusmodi obligare solita etiam si parrocchiales vel earum perpetue vicarie forent, si tibi alias canonice conferrentur aut presentareris vel alias assumereris ad illa et institueereris in eis recipere et insimul quo adiuveres retinere illaque simul vel successione simpliciter vel ex causa permutationis quotiens tibi placeret dimittere et loco dimissi vel dimissorum aliud simile vel dissimile aut similia vel dissimilia beneficium seu beneficia ecclesiasticum vel ecclesiastica duo dumtaxat cum cura per eosdem fratres obligari solita similiter recipere et insimul quo adiuveres, ut prefertur, retinere valeres prefata auctoritate dispensatum extitit ut statum tuum iuxta pontificalis dignitatis exigentiam decentius tenere valeas de alias subventionis auxilio providere teque premissorum meritorum tuorum intuitu gratioso favore prosequi volentes ac a quibusvis excommunicationis etc. censentes. Motu proprio non ad tuam vel alterius pro te nobis super hoc oblate petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate tecum ut etiam postquam in vim provisionis et prefectionis predictarum pacificam possessionem vel quasi regiminis et administrationis ac bonorum dicte ecclesie Terrefloride seu maioris partis eorum assecutus fueris, ac munus consecrationis susceperis Sancte Marie et Sancte Crucis ecclesias predictas, quarum insimul fructus, redditus et proventus vigintiquatuor ducati auri de Camera secundum communem extimationem valorem annuum, ut etiam accepimus, non excedunt ut prioris quoad vixeris etiam unacum dicta ecclesia Terrefloride quamdiu illi prefueris retinere ac dispensatione predicta uti libere et licite valeas generalis conciliis et quibusvis aliis confirmationibus et ordinationibus apostolicis nec non dicte militie iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et stabilimentis, usibus et naturis ceterisque contrariis, nequaquam obstantibus auctoritate predicta tenore presentium de specialis dono gratie dispensamus. Decernentes Sancte Marie et Sancte Crucis ecclesias propterea non vacare necnon irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari proviso quod Sancte Marie et Sancte Crucis ecclesie ac alia beneficia per te dicte dispensationis vigore pro tempore obligata debita propterea non fraudentur obsequiis et animarum cura in eis nullatenus negligatur, sed eorum congrue supportentur onera consueta. Nulli ergo etc. nostre absolutionis, dispensationis et decreti infringere etc. Siquis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominice millesimo quingentesimo vigesimo, nonas decembris, pontificatus nostri anno octavo.

27a

Apostolatus officium

Reg. Lat. 1400 fol. 305r-306r — die 5 decembris 1520
Hernáez II 136-137

PROVISIO ECCLESIAE SANCTAE MARIAE *DEL ANTIQUA*

Bonae memoriae Ioanne de Quevedo episcopo Ecclesiae Sanctae Mariae *del Antiqua* morte abrepto, ne eadem Ecclesia pastoris solatio destituta maneat, Summus Pontifex Vincentium Peraza, Ordinis Fratrum Praedicatorum sodalem, ei praeficit, Caroli regis in imperatorem electi ad id expresso accedente consensu. Provisio haec ipsi Carolo regi nuntiatur. Simili modo clerus civitatis et dioecesis Sanctae Mariae *del Antiqua*, capitulum eiusque Ecclesiae et populus dioecesis de provisione certiores fiunt. Limites dioecesis a Ferdinando rege definitae approbantur. Electo episcopo vero absolutio a sententiis et censuris ecclesiasticis quibus forsan ligatus existit, impertitur.

Leo X

Dilecto filio Vincentio Peraza [1] electo Sancte Marie del Antiqua[2] salutem etc. Apostolatus officium meritis licet imparibus nobis ex alto commissum quo Ecclesiarum omnium regimini divina dispositione presidemus utiliter exequi, quoadiuvante Domino, cupientes solliciti corde reddimur et solertes ut cum de ipsarum Ecclesiarum regiminibus agitur committendis tales eis in pastores studeamus preficere, qui populum sue cure creditum sciant non solum doctrina verbi, sed etiam exemplo boni operis informare, commissasque sibi Ecclesias in

[1] Vincentius de Peraza (al. Piraza, al. Pirez), OP, sedem suam in *Panamá* transtulit. Cfr. supra doc. 17.

[2] Ecclesia Sanctae Mariae *del Antiqua* (*de la Antiqua*), *Columbia*, anno 1513 erecta est. Cfr. supra doc. 17.

statu prospero et tranquillo velint et valeant, auctore Domino, salubriter regere et feliciter gubernare. Sane Ecclesie Sancte Marie del Antiqua que de iure patronatus Regis Castelle et Legionis pro tempore existentis ex speciali apostolico privilegio cui non est hactenus in aliquo derogatum existit et cui bone memorie Ioannes episcopus Sancte Marie del Antiqua dum viveret presidebat per obitum dicti Ioannis episcopi, qui extra Romanam Curiam debitum nature persolvit pastoris solatio destituta, nos vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta ad provisionem ipsius Ecclesiae celerem et felicem, ne Ecclesia ipsa longe vacationis exponatur incommodis paternis et sollicitis studiis intendentes post deliberationem quam de preficiendo eidem Ecclesie personam utilem ac etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te ordinis fratrum praedicatorum professorem in presbiteratus ordine constitutum, religionis zelo conspicuum, litterarum scientia preditum, vite ac morum honestate decorum in spiritualibus circumspectione, aliisque virtutum donis prout fidedignorum testimoniis accepimus multipliciter insignitum direximus oculos nostre mentis, quibus omnibus debita meditatione pensatis de persona tua nobis et dictis fratribus ob tuorum exigentiam meritorum accepta eidem Ecclesie de fratrum eorundem consilio carissimi in Christo filii nostri Caroli Romanorum ac Castelle et Legionis Regis illustris in Imperatorem electi ad id expresso accedente consensu auctoritate apostolica providemus, teque illi prefecimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem dicte Ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo in illo qui dat gratias et largitur premia confidentes quod dirigente Domino actus tuos Ecclesia ipsa sub tuo felici regimine regetur utiliter et prospere dirigetur, grataque in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementum. Iugum igitur Domini tuis impositum humeris prompta devotione suscipiens curam et administrationem predictas sic exercere studeas sollicite, fideliter et prudenter, quod ecclesia ipsa gubernatore provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque preter eterne retributionis premium nostram et apostolice Sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominice millesimo quingentesimo vigesimo, nonas decembris, pontificatus nostri anno octavo.

27b

Gratiae divinae praemium

Reg. Lat. 1400 fol. 305v die 5 decembris 1520

Carissimo in Christo filio nostro Carolo Romanorum et Castelle ac Legionis Regi illustri in Imperatorem electo salutem etc. Gratie divine premium et humane laudis preconium acquiritur si per seculares principes Ecclesiarum prelatis presertim pontificali dignitate preditis oportuni favoris presidium et honor debitus impendatur. Hodie siquidem Ecclesie Sancte Marie del Antiqua tunc per obitum bone memorie Ioannis episcopi Sancte Marie del Antiqua extra Romanam Curiam defuncti pastoris solatio destitute de persona dilecti filii Vincentii electi Sancte Marie del Antiqua nobis et fratribus nostris ob suorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorundem consilio apostolica auctoritate providimus ipsumque illi prefecimus in episcopum et pastorem curam et administrationem ipsius Ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum itaque fili carissimi sit virtutum opus Dei ministros benigno favore prosequi ac eos verbis et operibus pro Regis eterni gloria venerari serenitatem tuam regimini rogamus et hortamur attente quatinus eundem Vincentium electum et Ecclesiam predictam sue cure commissam haberis pro nostra et apostolice Sedis reverentia propensius commendatus in ampliandis et conservandis iuribus suis, sic ipsos benigni favoris auxilio prosequaris quod idem Vincentius electus tue celsitudinis fultus presidio in commisso sibi cure pastoralis officio possit, Deo propicio, prosperari ac tibi exinde a Deo perennis vite premium et a nobis condigna proveniat actio gratiarum. Datum ut supra.

27c

Hodie Ecclesiae Sanctae Mariae

Reg. Lat. 1400 fol. 305v die 5 decembris 1520

Dilectis filiis clero civitatis et diocesis Sancte Marie del Antiqua salutem etc. Hodie Ecclesie Sancte Marie del Antiqua tunc per obitum bone memorie Ioannis episcopi Sancte Marie del Antiqua etc. ut supra. Quo circa discretioni vestre etc. mandamus quatinus eidem Vincentio electo tamquam patri et pastori animarum vestrarum humiliter intendentes ac exibentes ei obedientiam et reverentiam debitas et devotas eius salubria monita et mandata suscipiatis humiliter et efficaciter adimplere curetis alioquin sententiam quam idem Vincentius rite tulerit in rebelles ratam habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum ut supra.

27d

Hodie Ecclesiae vestrae

Reg. Lat. 1400 fol 305v die 5 decembris 1520

Dilectis filiis capituli Ecclesie Sancte Marie del Antiqua salutem etc. Hodie Ecclesie vestre Sancte Marie del Antiqua tunc per obitum

bone memorie Ioannis episcopi Sancte Marie del Antiqua extra Romanam curiam defuncti pastoris solatio etc. ut supra. Quo circa discretioni vestre etc. mandamus quatinus eundem Vincentium electum tamquam patrem et pastorem animarum vestrarum grato admittentes honore ac exibentes ei obedientiam et reverentiam debitas et devotas etc. salubria monita et mandata suscipiatis humiliter et efficaciter adimplere curetis alioquin sententiam quam idem Vincentius electus rite tulerit in rebelles ratam habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum ut supra.

27e

Hodie Ecclesiae Sanctae Mariae

Reg. Lat. 1400 fol. 306r — die 5 decembris 1520

Dilectis filiis populo civitatis et diocesis Sancte Marie del Antiqua salutem etc. Hodie Ecclesie Sancte Marie del Antiqua tunc per obitum bone memorie Iohannis episcopi Sancte Marie del Antiqua extra Romanam curiam defuncti pastoris solatio destitute etc. ut supra plenius continetur. Quocirca universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attente per apostolica vobis scripta mandantes quatinus eundem Vincentium electum tamquam patrem et pastorem animarum vestrarum devote suscipientes ac debita honorificentia prosequentes eius monitis et mandatis salubribus humiliter intendatis, ita quod ipse in vobis devotos filios et vos in eo per consequens patrem invenisse benivolum gaudeatis. Datum ut supra.

27f

Cum iustitia sit anima

Reg. Lat. 1400 fol. 306rv — die 5 decembris 1520

Ad perpetuam rei memoriam. Cum iustitia sit anima reipublice et in ea sola publicum bonum consistat unicuique quod suum est tribuere et quemquam ab alienis arcere viribus omnibus procuramus. Cum itaque alias nos cappellam Sancte Marie del Antiqua in partibus Indiae et provincia Bethica nova nuncupata in Cathedralem Ecclesiam et oppidum Sancte Marie del Antiqua in civitatem ereximus et oppidum ipsum pro civitate ac dicte provincie partem quam clare memorie Fernandus tunc in humanis agens ac Aragonum et Sicilie Rex positis limitibus statueret vel statui iuberet pro diocesi illorumque incholas et habitatores, pro clero et populo eidem ecclesie concesserimus et assignaverimus, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur, et sicut accepimus dictus Fernandus Rex limites dicte diocesis a partibus de la Vella et Veragna usque ad oppidum de Panama inclusive statuerit et post litterarum predictarum datam infra dictos limites oppida de Acla ac in nomine Domini, necnon dictum de Panama fuerint, nos motu proprio non ad alicuius super hoc nobis oblate petitionis iustitiam sed de nostra mera liberalitate predicta et quecunque alia oppida et loca intra dictos limites nunc et pro tempore consistentia dicte diocesis existere auctoritate apostolica tenore presentium declaramus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre declarationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominice millesimo quingentesimo vigesimo, nonas decembris, Pontificatus nostri Anno octavo.

27g

Apostolicae Sedis providentia

Reg. Lat. 1400 fol. 306v — die 5 decembris 1520

Dilecto filio Vincentio Peraza ordinis fratrum predicatorum professori salutem etc. Apostolice Sedis providentia consueta ne dispositiones per eam de Cathedralibus Ecclesiis pro tempore facte valeant quomodolibet impugnari, sed persone ad eas promovende puro corde et sincera conscientia illis presidere valeant remedia, prout convenit, adibit oportuna. Cum itaque nos hodie Ecclesie Sancte Maria del Antiqua ad presens certo modo pastoris solatio destitute de persona tua nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorundem consilio providere teque illi in episcopum et pastorem preficere intendamus nos ne provisio et prefectio predicte si forsan aliquibus sententiis et censuris ecclesiasticis ligatus existas valeant propterea impugnari, providere volentes te a quibusvis excommunicationis etc. absolvimus et absolutum fore nunciamus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac dicte Ecclesie etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo etc. nostre absolutionis et nunciationis infringere etc. Siquis autem etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominice millesimo quingentesimo vigesimo, nonas decembris, pontificatus nostri anno octavo.

28

Alias felicis recordationis

Hernáez I 377-379 die 25 iunii 1521

FACULTATES PRO MISSIONARIIS FRANCISCANIS AD INSULAS INDIANAS EXTENDUNTUR

Summus Pontifex recolit facultates quae ipsius praedecessores fratribus Ordinis Minorum de Observantia, qui pro fidei propagatione ad infidelium partes profecti sunt, concesserat, tam circa praedicationem verbi Dei et receptionem eorum qui se convertunt in Ecclesiam catholicam, quam circa sacramentorum administrationem, inclusis quidem Confirmatione et Ordinum minorum collatione, ubi episcopi deessent, praeterea circa sacramentalia et abso-



lutionem a poenis ecclesiasticis necnon circa causas matrimoniales legitime agnoscendas et vota commutanda vel indulgentias concedendas, necnon circa constructionem ecclesiarum et locorum pro fratrum habitatione, acceptionem ac tironum receptionem atque in eodem Ordine professionem. Motu Proprio Leo X huiusmodi facultates extendit ad eos Ordinis professores, qui sese in terras Indiarum maris oceani Carolo imperatori subiectas conferunt, ubi homines veritatis fidei cognitione carent, exceptis eis tantum, quae ad episcopalem Ordinem et dignitatem pertinent, *nisi in provinciis ubi catholicus Antistes non fuerit.*

Leo X

Dilectis filiis Joanni Glapion et Francisco de Angelis Ordinis minorum de Observantia Professoribus et eorum cuilibet. Dilectis Filiis salutem et Apostolicam Benedictionem.

Alias felicis recordationis Nicolaus IV [1], et Joannes XXII [2], et Urbanus V [3] et Eugenius IV [4], et alii Romani Pontifices [5], Praedecessores nostri, debita meditatione considerantes, quod vestri Ordinis munda Religio a Christo Domino exemplis ac verbis Apostolis suis tradita, ac Beato Francisco et eum sequentibus inspirata fuerit: ac quod nonnullos ejusdem Ordinis Professores pro Fidei propagatione ad infidelium partes, cum jam Apostoli in orbe non existant, destinare opus esset, prout ipse B. Franciscus suo tempore actualiter fecit, ut in vinea Domini fructuosos palmites producerent, nonnullis vestri Ordinis tunc expressis Fratribus et in terris infidelium tunc destinatis existentibus, quod Dei verbum proponere, et, constitutis ibidem non obstantibus, si eorum aliqui excommunicationis censura ligati essent, absolvere: quoscumque ad unitatem Christianae Fidei convenire cupientes recipere et Ecclesiae filiis aggregare: et ii ex dictis Fratribus, qui in sacerdotio constituti essent Poenitentiae et Eucharistiae et Extremae Unctionis, aliaque Ecclesiastica sacramenta personis praemissis ministrare et exercere: necnon in casu necessitatis, Episcopis in provincia non existentibus, Confirmationis Sacramentum et Ordinationes usque ad minores Ordines fidelibus ministrare: capellas et alta-

[1] *Cum hora undecima* diei 13 augusti 1291.
[2] *Gratias agimus* diei 1 octobris 1329.
[3] *Fidelium novella plantatio* diei 12 martii 1370.
[4] *Ineffabilis summi providentia* diei 13 februarii 1447.
[5] Cfr. etiam Litteras Julii II diei 1 iunii 1509: supra doc. 14.

ria, necnon calices et paramenta Ecclesiastica benedicere, ac Ecclesias reconciliandas vel coemeteria reconciliare: eisdem de idoneis ministris providere, eisque indulgentias, quas Episcopi in suis Dioecesibus concedere solent, impartiri; et alia quaecumque facere, quae ad augmentum divini nominis, ad conversionem ipsorum infidelium populorum, et amplificationem Fidei Orthodoxae, et reprobationem ac irritationem illorum, quae sacris traditionibus contradicunt, sicuti pro loco et tempore viderint expedire, valerent et possent: necnon uti Oleo sancto et Chrismate antiquis usque ad tres annos, cum in eisdem partibus novum oleum et balsamum sine difficultate magna haberi non possint, libere et licite valerent: necnon aggregatos eosdem, ubi Episcopi non habentur, clericali insignire charactere, et ipsos ad minores Ordines promovere liceret: et Sedis Apostolicae sententia Excommunicationis irretitis absolutionis beneficium juxta formam Ecclesiae impartiri: et qui de gentibus, schismaticis, vel alias noviter essent conversi, dandi licentiam ut uxores suas, cum quibus in gradibus a lege Divina non prohibitis contraxerunt, retinere valerent: et de causis matrimonialibus, quas in partibus illis ad audientiam nostram deferre deberent, legitime agnoscendi: et discordantes inter se concordare: ac etiam eisdem Fratribus licitum esset omnium fidelium in terris praedictis confessiones audire et ipsis injungere poenitentias salutares, et vota commutare et excommunicatos a canone vel alio modo iuxta Ecclesiae formam absolvere, dummodo injuriam ac damna passis juxta possibilitatem satisfecerint: insuper in locis, in quibus Fratres praedicti residentiam facere, vel eos hospitari contingeret, Missam et Divina officia cum solita solemnitate celebrare: et si in eisdem locis vitae necessaria jejuniorum tempore commode habere non possent, ad praedicta jejunia eosdem Fratres minime teneri declararunt, cum eisque misericorditer dispensarunt. Et ut de suis laboribus fructum reportarent, Fratribus praedictis vere poenitentibus et confessis illam indulgentiam concesserunt, quam proficiscentibus in terrae sanctae subsidium Sedes Apostolica concedere consuevit: ac etiam omnibus utriusque sexus fidelibus vere poenitentibus et confessis, qui Ecclesias et loca Fratrum dicti vestri Ordinis in partibus praemissis constructa et in posterum construenda, singulis diebus, quibus visitarent causa devotionis seu eleemosynae faciendae, ipsis de injunctis eis poenitentiis centum dies misericorditer relaxarunt. Quique eisdem Fratribus auctoritate Apostolica concesserunt, ut in civitatibus, castris, villis seu locis quibuscumque, ad habitandum domos et loca quaecumque recipere, seu hactenus recepta mutare, aut ea venditionis, permutationis, aut cujusvis donationis titulo in alios transferre valerent. Ac insuper ut omnes et singuli vestri Ordinis Professores, qui eodem succensi zelo

ad ea loca cum Fratribus praedictis transire voluissent, omnibus et singulis praemissis gratiis et indultis gaudere libere possent, prout eisdem Fratribus et eorum cuilibet, conjunctim vel divisim, pro Fratrum praedictorum vita, tunc pro tempore indultum esset vel concessum. Necnon fugientes a saeculo in Ordine praedicto recipere, ac omnia et singula facere quoad ea, quae dicti Ordinis concernerent professionem et religionem, quae Ministri Generales et Provinciales ex officio et indultis Apostolicis facere possunt, prout in eorumdem Praedecessorum desuper confectis litteris latius continetur.

Cum autem sicut accepimus, Vos, quorum zelus Deo est animas lucrifacere, et per vestrae operationis industriam et sollicitudinem, divina opitulante gratia, adulterinas plantationes divellere, ac in messe Domini virtutes serere, vitia radicitus extirpare et humanum genus ad cognitionis et salvationis semitam reducere, ac Indianas Insulas aliasque provincias charissimi in Christo Filii nostri Caroli, Hispaniarum et Romanorum Regis Catholici, in Imperatorem electi, ditioni subjectas, et illis propinquas terras, ubi homines veritatis Fidei cognitione carent, conferre desideratis, et in illis verbum Dei seminando, hujusmodi sanctis actionibus vos exercere, de superiorum vestrorum licentia intendatis; Nos tam sancto, et hominibus hujusmodi pro eorum animarum salute necessario opere, desiderio favorabiliter annuere volentes, Motu proprio, et ex certa scientia ac potestatis plenitudine, vobis et vestrum cuilibet, ut facultatibus, concessionibus et gratiis ac indultis supradictis, juxta superius narratorum continentiam vobis et cuilibet vestrum, et, ad vitam vestram a vobis quatuor deputandis, uti, potiri et gaudere, prout superius explicatur, libere et licite valeatis, concedimus et indulgemus. Volumus autem quod ea, quae ad Episcopalem Ordinem ac dignitatem dumtaxat pertinent, vigore praesentium nullus vestrum exercere possit, nisi in provinciis ubi Catholicus Antistes, non fuerit: in aliis enim locis pontificalia solum per Episcopos exerceri valebunt. Quocirca universis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis caeterisque in dignitate constitutis... firmiter inhibemus, ne vos etc.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 25 Aprilis 1521, Pontificatus nostri anni nono.

29

Regiminis Ecclesiae

Collección de documentos inéditos XXXIV (Madrid 1880) 39-43 [1]
BM II 171

die 28 aprilis 1522

TRANSLATIO ECCLESIAE CATHEDRALIS A CIVITATE DE *ASUMPCIÓN* AD CIVITATEM SANCTI IACOBI DE *CUBA*

Leo X Ecclesiam Cathedralem in civitate de *Asumpción* in Insula Fernandina (*Cuba*) erexerat et episcopum ad praedicandum verbum Dei et evangelizandos habitantes nominaverat. Sed civitas haec valde incommoda erat. Ideoque sedes episcopalis ad civitatem Sancti Iacobi de *Cuba* translata est. Episcopus Juan de Umite (Iohannes de Witte, Ubita) Ordinis Fratrum Praedicatorum Summum Pontificem precatus est, ut hanc translationem auctoritate apostolica confirmaret. Hadrianus VI precibus obsecundans Ecclesiam Cathedralem in civitate Sancti Iacobi de *Cuba* sub invocatione Assumptionis Beatae Virginis Mariae erigit et episcopo easdem facultates elargitur quam antea in sede civitatis de *Asumpción* habuerat.

Hadrianus VI

Al Venerable Fray Xuan de Umite [2], Obispo de Cuba. Adriano, Papa sexto, Venerable hermano; salud e benedición aposthólica. Teniendo en la tierra et régimen de la Iglesia Universal por la divina misericordia, Volvimos la haz de Nuestra consideracion para aquellas cosas, por las cuales pueda ser abmentado el culto divino et todas las

[1] Versio Hispanica. Textus huius versionis hispanicae solummodo notus est.
[2] De Ioanne de Ubite (de Witte) cfr. supra doc. 23.

yglesias e lugares, para la alabanza e gloria de Dios Todopoderoso. Muy fácilmente, León Papa décimo antecesor Nuestro, a ruego del Muy amado en Christo, Carlos, hixo Nuestro, entonces suyo, Rey cathólico de los romanos e España, etc., erixió, levantó e ynstituyó con la abtoridad aposthólica, entre otras yglesias erixidas en las yslas nuevamente halladas en el Mar Occéano, el lugar de la Asumpcion questá en la Isla Fernandina otras veces de Cuba, para Cibdad, e la Iglesia parroquial questá en el mismo lugar, para Iglesia cathedral, que fuese nombrada la Asumpción, con un obispo de Cuba, que predicára la palabra de Dios en la dicha Iglesia e su Cibdad e Obispado, e convirtiese a los habitantes infieles della, al cathólico culto de la Fe, e convertidos los ynstruyese en ella, e se la enseñase e confirmase, e les comunicase la gracia del baptismo, e ficiese las demás cosas que los otros catholicos prelados están obligados e deben facer de derecho e costumbre en las otras yglesias que gobiernan; e para la dicha Iglesia ansí erixida, consultó con la dicha abtoridad, acerca de la vuestra, e os elixió para Obispo e Pastor della, sometiéndoos plenariamente el cuidado e administración de la dicha Iglesia, en las cosas espirituales e temporales, con facultad de erixir e ynstituir dignidades, canongías e prebendas e otros beneficios eclesiásticos, con cura e sin cura, ansí en dicha Iglesia como en la Cibdad e Obispado de Cuba, e con facultad de sembrar otras cosas espirituales como viérades que convernía al abmento del culto divino e á la salud de las ánimas de los vecinos e habitadores de la Cibdad e Obispado dicho, como más plenamente se conthiene en las letras, acerca de esto, dadas. Empero como la dicha Ciddad de la Asumpción, esté muy incomodada, por estar en ella la dicha Iglesia Cathedral, e si suprimida en la dicha Cibdad fuera mudada al lugar de Santiago, questá en la misma Isla de Cuba, e su Parroquial Iglesia del dicho lugar de Santiago; fuera erixida e ynstituida para Iglesia Cathedral, en la misma manera e forma que la misma Iglesia que fué erixida en el lugar de la Asumpción, con aquesto en realidad de verdad se miraría muncho por el consuelo de los fieles de Christo, que abitan el la dicha Isla; por lo cual Nos rogasteis humildemente, que Nos dignásemos proveer bien de la aposthólica benignidada ne las cosas dichas, Nos, ynclinados a los xustos e onestos ruegos, en esta parte suprimimos e quitamos la Iglesia Cathedral questá en esta Cibdad de la Asumpción, allegándose para esto e otras cosas ynfrascritas, el consentimiento del dicho Rey Carlos; e levantamos y ynstituimos de la misma manera el lugar de Santiago para Cibdad, e su dicha Iglesia parroquial para Cathedral, debaxo de la ynvocación de la Asumpción de la Beata Vírgen María, por un Obispo de Santiago, en la misma manera e forma, e con el previlexio, gracias e prero-

gativas, facultades e exenciones con que fue erixida la dicha Iglesia de la Asumpción; e queremos e ordenamos, que la provision e elección fecha de vuestra persona, para la misma yglesia de la Asumpción, e las letras arriba dichas, e el prosceso de cómo se habia de facer, dado por ellas, de consentimiento de todos los dichos, valgan e tengan plena firmeza para en cuanto e la dicha Iglesia de Santiago, e os ayuden en todo e por todo, como si desde el principio se obiera proveído en vuestra persona, para la misma Iglesia de Santiago, e obiérades sido elexido para ella; e os damos plena e libre facultad de erixir e ynstituir en la Iglesia e Ciudad últimamente erixida, e en su Obispado, Dignidades, Canonicatos e Prebendas e otros beneficios eclesiásticos, con cura o sin cura, e de facer e conseguir todas las demás cosas que en las sobre dichas o acerca dellas fueren nescesarias, u en qualquier manera oportunas, non obstante las constituciones e ordenanzas aposthólicas, e todas aquellas cosas quel dicho León, antecesor Nuestro en la dicha Iglesia, quiso que non obstaren, nin otros cualesquiera contrarios. Dada en Saragosa, debaxo del anillo de San Pedro á 28 de Abril de mil e quinientos e veinte e dos, en el primer año de Nuestro apostolado, e despues de la presentación e recepsión de las dichas letras aposthólicas.

30

Exponi nobis fecisti

Hernáez I 382-384
Mendieta, Lib. III, cap. 6
Bull. Praed. IV 407
BM II 172

9 maii 1522 [1]

[1] Alias 13 maii vel 10 martii.

OMNIMODA AUCTORITAS PONTIFICIA SUPERIORIBUS MISSIONARIORUM FRANCISCANORUM DATUR [2]

Flagrans desiderium imperatoris est christianae religionis augmentum et infidelium conversio, ideoque Summum Pontificem rogavit ut missionarios Franciscanos auctoritate apostolica in Indias Occidentales mittat. Solum missionarii idonei mittendi sunt, quorum numerum imperator definiet. Superiores pro eis constituendi sunt, qui praelationem suam in obedientia ministri generalis exercent, sed habent omnem auctoritatem et facultatem quam ipse minister generalis quia recursus ad eum non facile patet propter magnam distantiam. Ut melius provideatur conversioni infidelium et saluti animarum, Summus Pontifex superioribus missionariorum omnimodam auctoritatem in utroque foro tradit super fratres suos et alios missionarios, super Indos conversos et omnes christianos, quam facultatem etiam aliis subdelegare possunt, sed tantum in partibus in quibus nondum fuerint episcopatus creati.

Hadrianus VI

Charissimo in Christo filio Nostro, Carolo Romanorum et Hispaniarum Regi Catholico.

Charissime in Christo Fili Noster, Salutem et Apostolicam Benedictionem. Exponi Nobis fecisti tuum flagrans desiderium ad augmentum Christianae Religionis conversionemque infidelium, illorum praesertim, qui, Christo duce, tuae ditioni sunt subjecti in partibus Indiarum, a Nobisque instanter petiisti, ut ad effectum hujusmodi augmenti et conversionis et debitae gubernationis animarum, quas Redemptor Noster sui pretiosi sanguinis commercio redemit, provideremus, quatenus ex omnibus Religionibus Fratrum Mendicantium, praesertim Fratrum Minorum Regularis Observantiae, aliqui ad praefatas partes Indiarum, auctoritate nostra transmitterentur, aliasque in praemissis provideatur, sicut in petitione Nobis desuper oblata plenius continetur.

Nos autem, qui ex injuncta Nobis cura pastorali ad ea, quae attinent ad salutem animarum, intendere super omnia tenemur, quique

[2] De veritate huius bullae Sacra Congregatio de Propaganda Fide aliquando dubitavit. Cfr. Archivum huius Congregationis Acta vol. 6 (1628-1629) fol. 221r; SOCG vol. 131 (1629) fol. 363rv; et articulum auctoris *S. Paventi* in: Studia Missionalia VII (1952) 217-240.

ferventissimum zelum tuae Caesareae Majestatis, ad augendam Rempublicam Christianam a teneris annis plenissime agnovimus, tam sanctum ac laudabile opus in Domino commendantes et desuper providere volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, tenore praesentium, volumus, ut omnes Fratres Ordinum Mendicantium praesertim Ordinis Minorum Regularis Observantiae a suis Praelatis nominati, qui divino spiritu ducti, ultro ac sponte voluerint ad partes Indiarum praefatarum, ac convertendorum in Fide praedictorum Indorum causa, se transferre libere et licite possint et valeant; dum tamen sint talis sufficientiae in vita et doctrina, quod tuae Caesareae Majestati, aut tuo Regali Consilio sint grati, ac tanto operi idonei; super quae conscientias suorum Superiorum, qui nominare ac licentiare habent, oneramus; ac ut in tam sancto opere meritum obedientiae non desit, omnibus, qui, ut praefertur, nominati fuerint, et se sponte obtulerint ad meritum obedientiae, praecipimus, ut praefatum iter et opus exemplo Discipulorum Christi Domini Nostri exequantur; pro certo sperantes, ut sicut in labore eos imitati fuerint, ita et in praemio eis sociabuntur; praefatisque Fratribus nostram Apostolicam benedictionem libentissime ex nunc impertimur.

Sed ne forte numerus Fratrum hujusmodi sit tantus, ut pariat confusionem, volumus, ut tua Regia Majestas, aut tuum Regale Consilium assignet et praefigat numerum Fratrum mittendorum; tales autem Fratres sic nominatos seu licentiatos ab eorum Superioribus stricte praecipimus sub Excommunicationis poena ipso facto incurrenda, ne aliquis inferior audeat aliqualiter impedire, etiamsi pro tunc esset in officio Confessionis, Praedicationis, Lectionis, Guardianatus, Custodiatus, Ministeriatus, Provincialatus aut Commissariatus Generalis, quibus non obstantibus transire possint et debeant.

Verum, ne praefati Fratres sint velut oves absque pastore, statuimus et ordinamus, ut ex seipsis valeant et debeant eligere duos vel tres aut plures, qui in dictis terris eis praesint, eo modo, quo eisdem, seu eorum majori parti, melius visum fuerit. Qui, sic electi, per triennium aut aliud majus vel minus tempus, prout in Hispania fieri (consuevit), praelationem hujusmodi habeant, et non ultra: maneantque omnes semper in obedientia Generalis Ministri et Capituli Generalis, dummodo nihil eis imponant in praejudicium dicti transitus et conversionis infidelium. Decernentes, quidquid absque nostro mandato expresso et assensu, super his fuerit attentatum, nullius esse momenti.

Et quia praefata terra Indiarum valde distat a partibus, ubi Generalis Minister degere et incedere consuevit, ac propterea difficile foret ad eum recurrere in casibus ei pertinentibus, volumus ac tenore praesentium concedimus, ut fratres, qui pro tempore assumentur ad

regimen aliorum fratrum in praedictis terris Indiarum, habeant in utroque foro super fratres sibi commissos, omnes auctoritatem et facultatem, quam Generalis Minister habere dignoscitur, ita tamen quod ipse Generalis Minister sub cuius obedientia semper manere debent, possit praefatam auctoritatem limitare et arctare, prout ei visum fuerit.

Et insuper, ut melius praefata conversio infidelium fieri valeat et saluti animarum omnium in praefatis terris Indorum pro tempore degentium provideatur, volumus et tenore praesentium de plenitudine potestatis concedimus, ut praefati Praelati Fratrum, et alii, quibus ipsi de Fratribus suis, in dictis Indiis commorantibus, duxerint committendum (in partibus, in quibus nondum fuerint Episcopatus creati, vel si fuerint, tamen intra duarum dietarum spatium, ipsi vel officiales eorum inveniri minime possint), tam quoad Fratres suos, et alios cujuscumque Ordinis ibidem fuerint ad hoc opus deputati, ac super Indos ad Fidem Christi conversos, quam etiam alios Christicolas ad dictum opus eosdem comitantes, omnimodam auctoritatem nostram in utroque foro habeant tantam, quantam ipsi, et per eos deputati de Fratribus suis, ut dictum est, judicaverint opportunam et expedientem pro conversione dictorum Indorum et manutentione ac profectu illorum et aliorum praefatorum in fide Catholica et obedientia S.R.E. Et quod praefata auctoritas extendatur etiam quoad omnes actus Episcopales exercendos, qui non requirunt Ordinem Episcopalem, donec per Sedem Apostolicam aliud fuerit ordinatum. Et quia, ut accepimus, per praefatos Praedecessores nostros Romanos Pontifices, aliqua indulta concessa fuerint, Fratribus existentibus, euntibus, aut ire procurantibus in dictis et dictas Indiarum partes; Nos omnia illa confirmando ac, quatenus opus est, de novo concedendo, volumus, ut praefati Praelati Fratrum pro tempore existentium, et quibus ipsi de suis Fratribus duxerint concedendum, omnibus praedictis indultis in genere et in specie hactenus concessis, et in posterum concedendis, uti, potiri et gaudere libere et licite possint et valeant: habentes omnia pro sufficienter expressis, tanquam si de verbo ad verbum insererentur.

Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, praesertim Sixti IV, incipiente: *Etsi Dominici gregis,* ac Bullae Coenae Domini, caeterisque in contrarium facientibus.

Datum Caesaraugustae, sub annulo Piscatoris, die 9 Maji 1522, suscepti a Nobis Apostolatus Officii, Pontificatus nostri anno primo.

31

Accepimus quod

Arm. XXXIX 44 fol. 710r-712r; XL 7 fol. 53r-54r — die 24 augusti 1524
Hernáez II 705 (ex parte)

CONVALIDANTUR ACTUS IUDICIALES ET RENOVATUR FACULTAS AGENDI

Antequam patriarcha Indiarum et episcopus Palentinus constitutus erat, Antonius Rojas causam egerat contra Antonium de Cugna episcopum Zamorensem, qui rebellionem contra imperatorem et regem Catholicum incitaverat. Cum autem commissio pontificia ipsi non nomine proprio sed titulo Ecclesiae Granatensis cui tunc praeerat data esset, dubia orta erant, ad quae compescenda Pontifex omnia in ea causa ab eo acta revalidat necnon facultatem renovat ad eandem causam *sine strepitu et figura iudicii* cognoscendam *usque in sententiam deffinitivam reservatam.*

Clemens VII

Venerabili fratri Antonio de Rojas Patriarchae Indiarum et Episcopo Palentino [1].

Venerabilis frater salutem etc. Accepimus quod cum alias quidam Antonius de Cugna [2] episcopus Zamorensis diabolico instigatus

[1] Antonius Rojas (de Rojas, de Roxas), die 22 decembris 1507 nominatus est archiepiscopus Granatensis (*Granada*), die 11 maii 1524 nominatus est episcopus Palentinus (*Palencia*) et patriarcha Indiarum Occidentalium, die 3 iulii nominatus est episcopus Burgensis (*Burgos*); mortuus est die 27 iunii 1527. — Ecclesia patriarchalis Indiae erecta est die 11 mensis maii 1524: ... *erexit ecclesiam Indie nominanda per Sanctitatem Suam in Primatiam cui providit de persona Antonii episcopi Granatini quem etiam transtulit ad ecclesiam palentinam...* Acta Vicecanc. 3 fol. 36v.

[2] Antonius de Cugna nominatus est episcopus Zamorensis (*Zamora*) die 4 ianuarii 1507.

spiritu arma bellica in Hispaniae Regnis sumpsisset armigerosque et laicos congregasset et quod magis exasperandum et condolendum est contra charissimum in Christo filium nostrum Carolum Romanorum et Hispaniarum Regem Catholicum in Imperatorem electum populos eisdem in Regnis concitasset ac eidem Maiestati Regiae obedientiam subtraxisset, homicidia, rapinas, sacrilegia et alia horrenda crimina perpetrasset, felicis recordationis Leo papa X predecessor noster ad instantiam dilecti filii Marii de Peruschiis, Camerae nostrae Apostolicae procuratoris fiscalis, felicis recordationis Adriano papae VI praedecessori nostro in minoribus constituto, et cardinalatus honore fungenti in partibus illis commoranti audiendi commisit, et dilecto filio nostro L[aurentio] tt. Sanctorum Quatuor Coronatorum presbitero cardinali ad effectum quod in consistorio secreto de venerabilium tunc suorum nunc fratrum nostrorum S.R.E. cardinalium consilio et assensu decidi possit, referendum commisit et deinde dicto Adriano praedecessore ad summi apostolatus apicem assumpto, dictus Adrianus praedecessor tibi cum alio certo collega et deputato per vos seu vestrum alterum, uno seu pluribus idoneis prioribus nomine dicti fisci, quos eligendos duceretis, ac praesentatis per dictum procuratorem seu procuratores super praemissis actitatis, materiisque opportunis, dictum episcopum et eius complices ac testes, si qui tam pro fisci quam Antonii episcopi et complicum predictorum partibus coram se praesentarentur, examinaretis, dictaque et depositiones ipsorum reorum et testium aliasque defensiones, si quas facere voluissent in scriptis redigeretis, ac processos contra eos factos formaretis et ad veritatem indagandam et habendam etiam per tormenta et questiones procedere valeretis, potestatem et auctoritatem concessit. Postmodum vero dicto Adriano praedecessore vita functo et nobis ad regimen universalis Ecclesiae assumptis, causam ipsam tibi audiendam, decidendam et deinde referendam nomine dignitatis Granatensis, cuius ecclesiae Granatensis tunc praeesses tacito tuo proprio nomine commisimus, prout etiam Adrianus ipse commiserat, prout in singulis litteris quarum et aliarum etiam venerabili fratri episcopo Burgensi directarum tenores et continentias presentibus ac si de verbo ad verbum insererentur pro expressis habentes dicitur plenius contineri. Cumque postmodum causa huiusmodi pendente tu ad Indiarum Patriarchalem per nos tunc erectam et ab eius primeva erectione et Palentinam tunc per obitum vacantes ecclesias translatus extiteris et propterea ab aliquibus vertatur in dubium an ob huiusmodi translationem in causa ipsa tibi sub nomine dignitatis archiepiscopalis huiusmodi ulterius procedere valeas sine nova commissione tibi per nos facienda, nos igitur ad omne ambiguitatis dubium tollendum, ac volentes ne ad pu-

niendum crimina praedicta impedimentum aliquod seu scrupulus permaneat ex certa nostra scientia ac de Apostolicae potestatis plenitudine, statum et merita causae huiusmodi pro sufficienter expressis habentes omnia et singula acta, actitata, testium depositiones et alia quaecumque per te habita revalidantes, illaque plenam roboris firmitatem obtinere in omnibus et per omnia, ac si Leonis et Adriani ac nostrae litterae praedictae tibi sub nomine proprio et dignitatis archiepiscopalis Granatensis directe fuissent decernimus et declaramus, tibique ut causam praedictam novo status in quo ad praesens existit resumeres, seu si tibi visum fuerit causam eandem de novo simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii sola facti veritate inspecta omnibus et singulis quae ex causa huiusmodi presentandi seu colligi possint gravaminibus usque in sententiam diffinitivam reservatam quarum solemnitatum defectus per presentes supplemus de novo cum omnibus et singulis earum dependentis, emergentis, annexis et connexis audire et appellatione remota cognoscere possis et illam postquam illam cognoveris instructam in consistorio nostro secreto referendam et diligenter examinandam remittere tenearis, auctoritate Apostolica tenore praesentium licentiam concedimus et etiam facultatem. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ac omnibus illis quae dicti praedecessores et nos in dictis litteris voluerunt et voluimus non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae etc. die XXIIII augusti 1524, anno primo [3].

---

[3] Die 9 augusti Summus Pontifex patriarchae Indiarum, qui etiam episcopus Burgensis, facultatem concessit delegandi visitatores et percipiendi procurationes debitas, ac notitiam huius concessionis episcopis Casertano et Calaguritano et archidiacono Ecclesiae Palentinae communicat. Reg. Lat. 1474 fol. 135v-137v.

32

Cum sicut accepimus

Arm. XXXIX 44 fol. 714v-715v; XL 7 fol. 54r — die 24 augusti 1524
Hernáez II 705-706 (ex parte)

CONFIRMATUR POTESTAS EXSEQUENDI LITTERAS APOSTOLICAS

Pontifex ad dubia tollenda de ea re exorta concedit Antonio Rojas iam archiepiscopo Granatensi, sed postmodum ad patriarchalem Indiarum et Palentinam episcopalem sedem translato ut litteras apostolicas ipsi quacumque forma antea sine indicatione nominis proprii sed sub solo titulo archiepiscopi Granatensis datas nunc quoque libere et licite exsequi valeat, ac si ipsi sub nomine proprio directae fuissent.

Clemens VII

Venerabili fratri Antonio de Rojas Patriarchae Indiarum ac Episcopo Palentino.

Venerabilis frater salutem etc. Cum sicut accepimus tu ecclesiae Granatensi praeesses, plures litterae tam in favorem cruciatae contra infideles quam decimarum fructuum ad subsidium expeditionis contra eosdem perfidos colligendis, quam etiam aliae litterae Apostolicae gratiam vel iustitiam concernentes tam a nobis quam Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris et Sede Apostolica emanatae tibi sub nomine archiepiscopi Granatensis tuo proprio nomine aliter non expresso directae fuerint; cumque postmodum ad Indiarum Patriarchalem tunc per nos erectam ab eius primaeva erectione et Palentinam ecclesias tunc per obitum vacantes translatus fueris et propterea ab aliquibus vertatur in dubium an ad executionem earumdem litterarum procedere valeas, nos volentes ut litterae quae sub nomine dignitatis Granatensis proprio tuo nomine non expresso tibi directae fuerunt et ad quarum executionem adhuc non processisti quia tibi adhuc praesentatae non fuerunt seu ad quarum executionem procedere inchoaveris sive illae sint sub plumbo, sive in forma brevis, tam per nos quam Romanos Pontifices praedecessores nostros fraternitati tuae directae illarum tenores, continentias et formas ac clausulis praesentibus pro expressis habentes ad illarum executionem procedere libere et licite valeas in omnibus et per omnia perinde ac si illae tibi sub nomine proprio et non dignitatis Archiepiscopalis directae fuissent sicque per quoscumque iudices ecclesiasticos et saeculares, etiam S.R.E. cardinales aut Sacri Palatii apostolici auditores sententiari et declarari decernimus et declaramus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis et omnibus illis que in dictis litteris tibi concessis praedecessores et nos voluerunt et voluimus non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae etc. die XXIIII augusti 1524, anno primo.

33

Devotionis tuae probata sinceritas

Hernáez II 52-54 13 octobris 1525

TRANSLATIO SEDIS EPISCOPALIS IN OPPIDUM *TENUXTITLAN* APPROBATUR

Laudatur devotio episcopi Carolensis erga Sedem Apostolicam eiusque zelus in propagatione fidei. Leo X in *Yucatán Indiae maris Insula* Ecclesiam Cathedralem sub invocatione Beatae Mariae de Remediis in civitate Carolensi erexit. Limites dioecesis Carolensis tunc definiti non fuerunt. Progrediente propagatione fidei, aliud oppidum, *Tenuxtitlan* nuncupatum ab Hispanis acquisitum est in quod sedes episcopalis translata est. Episcopus Carolensis et imperator Summum Pontificem supplicaverunt ut translationem approbaret et confirmaret. Quod Clemens VII praesentibus litteris confirmat et permittit ut episcopi in futurum non Ecclesiae Beatae Mariae sed de *Tenuxtitlan* sese nominent.

Clemens VII

Clemens Episcopus Servus Servorum Dei. Venerabili Fratri Juliano [1], Episcopo Carolensi, salutem et Apostolicam Benedictionem. Devotionis tuae probata sinceritas, quam ad Nos et Apostolicam Sedem gerere dignosceris, promeretur, ut personam tuam intimis affectibus prosequentes, petitionibus tuis, per quas tuae Dioecesis et aliarum circumvicinarum omnium, praesertim in partibus Infidelium consistentium Ecclesiarum honor et venustas ac in eis Divinus cultus accrescat, et ipsi Infideles, eorum caecitate abjecta, ad Orthodoxae Fidei lumen conversi, Christiano dogmate imbuantur, prout et Catholicorum Principum devotio requirit, quantum cum Deo possumus, fa-

[1] Iulianus Garcés, OP, anno 1528 in civitate *México* advenit, ubi commoratus est usque ad annum 1531. Protector Indorum in sua dioecesi factus est. Mortuus est mense decembris 1542, 95 annos natus. Cfr. *Lopetegui-Zubillaga* 363-365.

vorabiliter annuamus: Dudum siquidem felicis recordationis Leo Papa X, Praedecessor noster, ad supplicationem Charissimi in Christo Filii nostri, Caroli, Romanorum et Hispaniarum Regis illustris, in Imperatorem electi, qui etiam Castellae et Legionis Rex existit, in Yucatan Indiae maris Insula, suis classe et auspiciis ab Infidelium manibus erepta, oppidum insigne primo in eadem Insula in Civitatem erectum, et quamdam Parochialem Ecclesiam tum immediate post eamdem erectionem in eodem oppido a Christifidelibus constructam sub invocatione Beatae Mariae de Remediis in Cathedralem Ecclesiam pro uno Episcopo, Carolensi nuncupato, qui in dicta Ecclesia ac illius Civitate et Dioecesi verbum Dei praedicare ac Pontificalia exercere et alia per Episcopos fieri debita, facere deberet, cum Sede et aliis insigniis ac Jurisdictionibus Episcopalibus, privilegiisque, immunitatibus et gratiis, quibus aliae Cathedrales Ecclesiae et illarum Praesules in Hispaniarum Regnis de jure vel consuetudine utebantur, potiebantur et gaudebant, perpetuo erexit et instituit, ac ipsi Ecclesiae ab ejus primaeva erectione hujusmodi tum vacanti de Persona tua providit, teque illi praefecit in Episcopum et Pastorem, prout in diversis ipsius Praedecessoris desuper confectis Litteris plenius continentur [2]. Nobis nuper pro parte tua petitio continebat, quod cum limites et confines Dioecesis Carolensis adhuc destinati non sint, ex eo quod Christiani praedicti, auxiliante Domino, ulterius progredientes in certa Provincia, Nova Hispania appellata, aliud oppidum, Tenuxtitlan nuncupatum adquisivere, ipse Carolus Rex, in Imperatorem electus, pro ipsius Ecclesiae Carolensis majore venustate, ampliorique Dioecesi et districtu, et ut commodius statum tuum juxta Pontificalis exigentiam Dignitatis decentius tenere valeas, limites et confines Dioecesis Carolensis hujusmodi in Provincia et oppido Tenuxtitlan, ac ejus districtum pro limitibus et confinibus hujusmodi assignare intendat; quare tam pro parte tua, quam ejusdem Caroli Regis, in Imperatorem electi, Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus assignationem praedictam, postquam per dictum Carolum Regem facta foret, approbare et confirmare, aliasque in praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur te a quibusvis Excommunicationis, Suspensionis et Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, si quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, assignationem praedictam, si illa, ut

---

[2] *Sacri Apostolatus ministerio*, diei 24 ianuarii 1519. Cfr. supra doc. 24.

praefertur, per ipsum Carolum Regem fiat, postquam, ut praemittitur facta fuerit, Apostolica auctoritate, tenore praesentium, sine alicujus praejudicio approbamus et confirmamus eisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adjicimus, ac omnes tam juris quam facti defectus, si qui forsan intervenerint in eadem, supplemus: ita quod tu et successores praefati praemissa et alia in Litteris ejusdem Praedecessoris contenta, ac reliqua omnia, quae in Ecclesia Beatae Mariae et oppido dictae insulae facere et exercere poteratis, in dicto oppido Tenuxtitlan et ejus districtu vel aliis limitibus consignandis, ut praefertur, facere et exercere, teque ac Episcopos Carolenses Successores tuos, non dictae Beatae Mariae, sed de Tenuxtitlan, aut de aliis limitibus consignandis hujusmodi, vos nominare et appellare ac nominari et appellari facere libere et licite valeatis et debeatis in omnibus et per omnia, perinde ac si in erectionibus hujusmodi et aliis Litteris praedictis oppidum Tenuxtitlan cum ejus districtu, seu alii assignandi limites hujusmodi, nominata, ipsumque oppidum et districtus seu alii limites, ut praefertur, assignandi, dictae tuae Ecclesiae Carolensi in suam Dioecesim assignata et applicata fuissent de speciali gratia indulgemus ac statuimus et ordinamus. Non obstantibus praemissis ac Apostolicis, necnon in Provincialibus et Synodalibus Conciliis, editis generalibus Constitutionibus et ordinationibus, ac dictae Ecclesiae et juramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus caeterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, approbationis, confirmationis, suppletionis, indulti, statuti et ordinationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae, apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo vigesimo quinto, III Idus Octobris, Pontificatus Nostri anno secundo.

34

Religiosam et sanctam mentem tuam

Arm. XL 11 fol. 295r — die 7 iunii 1526
Boletín de la Real Academia de la Historia XX (Madrid 1892) 379-380
Heywood 41 - BM II 201

MINISTER GENERALIS ORDINIS FRANCISCANORUM AD VISITANDAS MISSIONES IN INDIIS OCCIDENTALIBUS INCITATUR

Summus Pontifex laudat zelum ministri generalis Ordinis sancti Francisci in propagatione fidei in novis terris Indiarum Occidentalium, quo non solummodo fratres sui Ordinis misit, sed nunc ipse se conferre intendit ad fidem praedicandam et animum fratrum confirmandum.

Clemens VII

Fratri Francisco Angelorum [1] ordini sancti Francisci ministro generali.

Dilecte fili etc. Religiosam et sanctam mentem tuam, quam cum doctrina et prudentia coniunctam erga Dei honorem et cultum egregiam nuper etiam in sermonibus et colloquiis, que una habuimus, esse animadvertimus, dignam omni ex parte iudicamus, ut eam nos omni paterno amore et officio prosequamur. Cum autem tu, qui ordinis sancti Francisci fratrum generalis minister pro tuis ipsis virtutibus et religione merito existis, ad Christianam fidem apud novarum terrarum et locorum proxime a carissimo in Christo filio nostro Carolo, electo imperatore, Hispaniarum etc. Regi Catholico inventorum gentes predicandam et ampliandam, non modo ex fratribus et religiosis tuis mittere, sicut iam fecisti, sed tu met ipse accedere, sanctosque Dei apostolos in eo imitari, evangelicam[que] veritatem in animos illos pro viribus tuis infundere ac finesque christianitatis sacratissimo crucis signo illuc usque extendere et augere cupias, teque ad id iam accingas et propediem iter capturus sis; nos tuam ad tam salutiferum opus voluntatem et studium plurima cum laude in Domino commendantes teque ut in ea constanter perseveres adhortantes, Deumque omnipotentem, qui ad sancta hujusmodi opera animum tuum impellit, ut suo celesti lumine ad veritatem ipsam ignaris illis hominibus clarius demonstrandam te adiuvet, deprecantes; benedictionem nostram apostolicam in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti tibi damus ac donamus, teque salvatoris nostri Christi Iesu imitatione atque exemplo ad apostolice predicationis officium, quo tibi premium eterne vite, illis gentibus et populis vera salus acquiratur, in eiusdem domini nostri Iesu Christi nomine dimittimus. Datum Rome, die VII iunii, M. D. XXVI anno tertio.

---

[1] Francisco de los Angeles Quiñones.

35

Illius vices

Arm. XXXIX 46 fol. 291v-293r die 20 octobris 1526

INDULGENTIA IUBILAEI PRO ECCLESIA CUBENSI ALIISQUE ECCLESIIS

Cum fideles Ecclesiae Cubensis, insulae Indiarum a paucis citra annis de manibus infidelium ereptae itineris longinquitate marisque discriminibus impediti novissimo Iubilaei anno pro illius indulgentia consequenda ad almam Urbem se conferre non potuerint, Summus Pontifex eiusdem Ecclesiae episcopi necnon Capituli aliorumque oratorum precibus annuens, omnibus ecclesiasticis, saecularibus et regularibus vel alius cuiuscumque conditionis dictae insulae habitatoribus aliisque undicumque advenientibus christifidelibus, qui duobus aut tribus diebus festivis, vel ferialibus, ecclesias ad id rite deputatas visitaverint, praevia quidem confessione et contritione, necnon suas eleemosynas dederint, plenariam concedit indulgentiam et peccatorum remissionem, quas consecuti fuissent, si durante dicto anno Iubilaei se ad Urbem contulissent atque opera praescripta ibidem implevissent. Ut autem christifideles dictae indulgentiae aptiores reddantur, Pontifex pariter concedit ut necessarii deputentur confessarii, qui eos ab omnibus peccatis et delictis, etiam Sedi Apostolicae reservatis, absolvant votaque paucis exceptis in pias eleemosynas inibi offerendas commutent.

Clemens VII

Ad futuram rei memoriam. Illius vices, licet immeriti, gerentes in terris qui, ut humanum genus a laqueo prevaricationis Sathanae liberaret, carnis fragilitate indui et crucis patibulum subire non abnuit, ipsius gloriosissime passionis meritorum dispensatores effecti, de fidelium singulorum, qui potissimum ob loci distantiam spiritualibus donis

passim frui non possunt, salute attentius meditamur, eosque indulgentiis et remissionibus prosequimur opportunis. Sane venerabilis frater episcopus et dilecti filii Capitulum Cathedralis Ecclesiae Cuben. insulae Indiarum in mari Oceano sitae, et a paucis citra annis de manibus infidelium ereptae, nobis nuper exponi fecerunt, quod tam ipsi quam aliae Ecclesiae, etiam religiosae et utriusque sexus seculares personae dicte insule, itineris longinquitate et maris discriminibus, aliasque diversimode impeditae novissimo Iubilei anno pro illius indulgentia consequenda ad almam Urbem se conferre non potuerunt, summopere cuperent tanti spiritualis beneficii participes fieri. Nos igitur caelestis patris familias vestigia imitari volentes, quanto christifideles summa devotione, bonisque operibus proficientes, in remotioribus partibus constitutos esse cognoscimus, tante illis reddamur ad gratiarum largitiones promptiores; dictorum episcopi et capituli in hac parte supplicationibus inclinati, contemplatione quoque dilecti filii magistri Garsiae de Gibraleon clerici Ispalensis notarii, scriptoris et familiaris nostri pro hoc etiam instantissime supplicantis, de Omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus ecclesiasticis, secularibus et regularibus, vel alias cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis existentis dictae insulae habitatoribus, quam aliis undecunque advenientibus christifidelibus, qui duobus aut tribus diebus festivis, vel ferialibus, per episcopum et Capitulum, seu eorum alterum deputandis coniunctim seu interpellatim, tam dictae Cubensis, quam aliarum quarumcunque dictae insulae Ecclesiarum per eosdem episcopum et Capitulum, seu eorum aliquem etiam deputandarum, altaria maiora, ac infirmi, seu impediti, aut nequeuntes venire suas ad ecclesiam seu Ecclesias huiusmodi miserint elemosynas, et alii devote praeviaque confessione et contritione visitaverint, et suas etiam elemosynas dederint eandem plenariam indulgentiam et peccatorum remissionem consequi volumus, quas consecuti fuissent, si durante dicto anno Iubilei ad hanc almam Urbem se dicta occasione contulissent, etiam quatuor ecclesias ad id deputatas personaliter visitassent, et alia pie et devote fecissent, quae ad assecutionem indulgentiae huiusmodi requirebantur. Et ut christifideles ipsi dictae indulgentiae aptiores reddantur, dilectis filiis collegio et prepositis fabricae Principis Apostolorum de Urbe vel ab eis ad hoc, et alia impacta peragendum deputandis confessores tam saeculares, quam cuiusvis Ordinis etiam Mendicantium, regulares tot quot fuerint necessarii deputandi, ac eis personas tam ecclesiam, seu ecclesias huiusmodi visitantes, quam suam ad eam vel eas eleemosynam, ut praemittitur, mittentes, earum confessionibus diligenter auditis, ab omnibus et singulis

earum peccatis, criminibus et delictis, etiam Sedi Apostolice reservatis (conspirationis in Romanum Pontificem, falsificationis litterarum et supplicationum Apostolicarum, delationis armorum et aliorum prohibitorum ad infideles, ac in praelatos et alios superiores earum ecclesiasticos manuum iniectionis casibus dumtaxat exceptis) absolventes, votaque quecunque ultramarino, liminum apostolorum Petri et Pauli de Urbe, ac Sancti Iacobi de Compostella, necnon Sanctae Mariae de Loreto, ac religionis et castitatis votis dumtaxat exceptis, in pias elemosynas, inibi offerendas commutandi licentiam et facultatem concedimus. In contrarium facientes non obstantibus quibuscumque. Datum Romae etc., die XX octobris 1526, anno 3°.

Simile Iubileum pro Ecclesia Canariensis ac Tenarifae et de La Palma, insularum Canariensis dioecesis, sub eadem die etc.

Simile pro Ecclesia Insulae Sancti Ioannis indiarum, sub eadem data.

Simile pro Ecclesia de Mexico, Novae Ispaniae et de Yucatam quam etiam aliarum insularum, locorumque et terrarum maris Oceani incolis et habitatoribus sub eadem data.

36a

Apostolatus officium

Reg. Lat. 1544 fol. 252r-253r — die 23 decembris 1528

PROVISIO ECCLESIARUM SANCTI DOMINICI ET CONCEPTIONIS INVICEM UNITARUM

Ob mortem Alexandri (Gerardinus) et Petri (de Deza) dioeceses Sancti Dominici et Conceptionis pastoris solatio destitutae sunt. Precibus Caroli regis annuens, Summus Pontifex utrasque dioeceses perpetuo univit et Sebastianum Ramirez episcopum constituit, quem Carolus rex vi privilegii sui iurispatronatus praesentavit.

Eandem provisionem Summus Pontifex populo civitatum et dioecesis Sancti Dominici et Conceptionis, clero, universis vasallis, Capitulo Ecclesia-

rum invicem unitarum, Carolo regi et Ioannae reginae et archiepiscopo Hispalensi, cuius suffraganea dioecesis Sancti Dominici et Conceptionis est, communicat. Sebastianum autem a quibusvis poenis ecclesiasticis, in quas forsan incurrit, absolvit eique licentiam concedit ut a quocumque maluerit Antistite catholico consecrationem episcopalem suscipere valeat, emisso prius iuramento fidelitatis.

Clemens VII

Dilecto filio Sebastiano [1] electo Sancti Dominici et Conceptionis salutem etc. Apostolatus officium meritis quamquam insufficientibus

[1] Sebastianus Ramírez de Fuenleal natus in civitate *Villaescusa* in Hispania; munere professoris in collegio Santa Cruz in *Valladolid* functus est; anno 1530 nominatus est Visitator Ecclesiae Mexicanensis, ubi multa fecit in favorem Indorum. Anno 1534 reversus in Hispaniam, mortuus est in *Valladolid* die 22 ianuarii anni 1547. Cfr. BM II 224.

Testimonium visitationis ad limina rite peractae

Universis et singulis presentes litteras inspecturis. Augustinus Spinola, miseratione divina tituli Sancti Ciriaci in Thermis sancte Romane Ecclesie presbiter cardinalis, ac sanctissimi domini Nostri Papae et sancte Romane Ecclesie camerarius, universitati vestre tenore presentium attestamur, et notum facimus quod, cum reverendus in Christo Pater et Dominus Sebastianus Ramires de Fuenleal, Dei et Apostolice Sedis gratia episcopus Sancti Dominici et Conceptionis, insule Hispaniole, maris Oceani, singulis bienniis Sedem Apostolicam seu limina beatorum Petri et Pauli de Urbe visitare teneatur, hinc est quod prefatus dominus Sebastianus pro uno biennio a data presentium incipiendo, et ut sequitur finiendo, per reverendum dominum Garsiam de Gibraleon, prothonotarium et scriptorem Apostolicum, procuratorem suum, per eius patentes litteras [...] sigillo munitas die trigesima mensis martii, anni Domini millesimi quingentesimi trigesimi primi confectas, et manu domini Stephani Roccha, civis Sancti Dominici notarii publici subscriptas, ad hoc ab eo specialiter constitutum hodie date presentium, cum honore et veneratione debitis visitavit, nihil tamen huiusmodi visitationi gratia Camere Apostolice obtulit vel servivit. Et insuper a reatu periurii, aliisque censuris et penis ob moram visitationis huiusmodi per eundem reverendum dominum Sebastianum forsan incursis, de mandato etc., et auctoritate etc. per presentes absolvimus et liberamus, ac absolutum et liberatum esse decernimus et declaramus. In quorum fidem presentes litteras fieri, et per notarium Camere Apostolice infrascriptum subscribi, sigillique Nostri iussimus et fecimus appensione communiri. Datum Romae in Camera Apostolica, anno Domini millesimo quingentesimo trigesimoprimo, die vero vigesimaquinta Iulii, pontificatus sanctissimi domini Nostri Clementis divina providentia Papae VII anno octavo (Arm. XXVIIII Divers. Camer. 89 fol. 86r).

nobis ex alto commissum quo Ecclesiarum omnium regimini divina dispositione presidemus utiliter exequi, coadiuvante Domino, cupientes solliciti corde reddimur et solertes ut cum de ipsarum Ecclesiarum regiminibus agitur committendis tales eis in pastores preficere studeamus qui commissum sibi gregem dominicum sciant non solum doctrina verbi, sed etiam exemplo boni operis informare commissasque sibi Ecclesias in statu pacifico et tranquillo velint et valeant salubriter regere et feliciter gubernare. Sane Sancti Dominici et Conceptionis Ecclesiis insule Ispannole que de iure patronatus pro tempore existentis Castelle et Legionis Regis ex speciali privilegio apostolico cui non est hactenus in aliquo derogatum fore noscimus et quibus bone memorie Alexander Sancti Dominici ac Petrus Conceptionis episcopi dum viverent presidebant per Alexandri et Petri episcoporum predictorum qui extra Romanam Curiam debitum nature persolverunt obitus pastoris solatio destitutis nos vacationibus ecclesiarum huiusmodi fidedignis relatibus intellectis ad earum provisionem celerem et felicem ne ecclesie ipse quas hodie ad supplicationem charissimi in Christo filii nostri Caroli Romanorum Regis illustris in Imperatorem electi, qui etiam Castelle et Legionis huiusmodi Rex existit, nobis super eo humiliter supplicantis apostolica auctoritate de fratrum nostrorum consilio iure perpetuo univimus, anneximus et incorporavimus per alias nostras litteras prout in illis plenius continetur ne longe vacationis exponatur incommode paternis et sollicitis studiis intendentes post deliberatio-

---

Aliud testimonium visitationis ad limina rite peractae

Universis et singulis ad quos presentes nostre littere pervenerint seu quibus presentabuntur et ostense fuerint, ad quos spectat, salutem etc. Universitati vestre notum facimus et per presentes attestamur quod cum R.P.D. Sebastianus Ramirez de Fuenleal, Dei et Apostolice Sedis gratia episcopus Sancti Dominici ac Conceptionis insule Hispaniole, et in Nova Hispania maris Oceani presidens, ex debito et forma iuramenti per ipsum prestiti singulis bienniis ratione dicte sue ecclesie Sancti Dominici limina beatorum Petri et Pauli apostolorum alme Urbis visitare teneatur pro uno biennio a fine ultime visitationis sue computando per spectabilem virum Lazarum Garsiam, procuratorem suum ad hoc ab eo specialiter et legitime constitutum, de cuius mandato publico instrumento manu de Garsie Xuarez publici et apostolica auctoritate notarii, sub die X maii 1533, in Camera Apostolica dimisso constat debitis cum reverentia et honore dicta limina beatorum apostolorum hodie, datum presentium, visitavit nihil tamen visitationis causa Camere Apostolice obtulit, sive servivit. Quare nobis, de mandato etc., et auctoritate etc., predictum R.P.D. Sebastianum presidentem a reatu periurii aliisque sententiis, censuris et penis, quod et quas ob moram forsan et retardationem visitationis huiusmodi incurrit, tenore presentium absolvimus et absolutum fore decernimus. In quorum fidem etc. Datum Rome etc., die XX augusti 1534, Pontificatus etc. Clementis VII anno undecimo (Ibid. 100 fol. 51r).

nem quam de preficiendo illis sic unitis, annexis et incorporatis personam utilem et etiam fructuosam cum eisdem fratribus habuimus diligentem; demum ad te clericum Conchen. diocesis in decretis licentiatum et eiusdem Cesareae maiestatis in Cancelleria Regia [...] consiliarium clericali caractere dumtaxat insignitum, in utroque[?] Iure constitutum, cum apud nos de vite mundicia, morum honestate, spiritualium providentia et temporalium circumspectione aliisque multiplicum virtutum donis fidedigna testimonia perhibentur et quem ad easdem ecclesias idem Carolus Rex in Imperatorem electus ac charissima in Christo filia nostra Iohanna etiam Castelle et Legionis Regina illustris nobis iuxta dictum privilegium per suas litteras nominatum et presentatum direximus oculos nostre mentis quibus omnibus debita meditatione pensatis de persona tua nobis et eisdem fratribus ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta de illorum simili consilio et eadem auctoritate eisdem ecclesiis sic unitis, annexis et incorporatis providemus teque illi prefecimus in episcopum et pastorem curam administrationem ipsarum ecclesiarum tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo firma spe fiduciaque [...]ptis quod dirigente Domino actus tuos praefate ecclesie per tua circumspecta industriam et studium fructuosum regetur utiliter et prospere dirigetur ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Iugum igitur Domini tuis impositum humeris prompta devotione suscipiens curam et administrationem predictas sic exercere studeas sollicite, fideliter et prudenter quod ecclesie ipse gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissum, tuque preter eterne retributionis premium nostram et apostolice sedis benedictionem et gratiam exinde valeas uberius promereri. Datum Romae apud Sànctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo vigesimo octavo, decimo kalendas januarii anno sexto.

36b

Hodie Sancti Dominici et Conceptionis

Reg. Lat. 1544 fol. 253r — die 23 decembris 1528

Dilectis filiis populo civitatis et diocesis Sancti Dominici et Conceptionis salutem etc. Hodie Sancti Dominici et Conceptionis ecclesiis invicem unitis in insula Ispanniola consistentibus pastoris solatio destitutis apostolica auctoritate de persona dilecti filii Sebastiani Ramirez electi Sancti Dominici et Conceptionis nobis et fratribus nostris ob suorum exigentiam meritorum accepta de illorum consilio providimus ipsumque illi in episcopum et pastorem preficimus curam et administrationem earumdem ecclesiarum sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo per alias nostras litteras prout in illis plenius continetur. Quocirca etc. mandamus quatinus eundem electum tamquam patrem et pastorem animarum vestrarum grato admittentes honore ac exhibentes sibi obedientiam et reverentiam debitas et devotas eius salubribus monitis et mandatis humiliter intendatis ita quod ipse in vobis devotos filios et vos in eo per consequens patrem invenisse benivolum gaudeatis. Datum ut supra.

36c

Hodie Sancti Dominici et Conceptionis

Reg. Lat. 1544 fol. 253r die 23 decembris 1528

Dilectis filiis clero Sancti Dominici et Conceptionis civitatum et dioecesis salutem etc. Hodie Sancti Dominici et Conceptionis etc. ut supra plenius continetur. Quocirca etc. mandamus quatinus eidem electo etc. curetis alioquin etc. observari. Datum ut supra.

36d

Hodie apostolica auctoritate

Reg. Lat. 1544 fol. 253rv die 23 decembris 1528

Dilectis filiis universis vasallis Sancti Dominici et Conceptionis ecclesiarum invicem unitarum salutem etc. Hodie apostolica auctoritate ecclesiis vestris etc. ut supra usque plenius continetur. Quocirca etc. mandamus quatinus eundem electum etc. studeatis alioquin etc. observari. Datum ut supra.

36e

Hodie apostolica auctoritate

Reg. Lat. 1544 fol. 253v — die 23 decembris 1528

Dilectis filiis Capitulo Sancti Dominici et Conceptionis ecclesiarum invicem unitarum salutem etc. Hodie apostolica auctoritate etc. ut supra usque plenius continetur. Quocirca etc. mandamus quatinus eundem electum etc. curetis alioquin etc. observari. Datum ut supra.

36f

Gratiae divinae praemium

Reg. Lat. 1544 fol. 253v — die 23 decembris 1528

Carissimo in Christo filio Carolo Romanorum Regi et Carissime in Christo filie Iohanne Castelle et Legionis Regine illustribus salutem etc. Gratie divine premium et humane laudis preconium acquiritur si

per seculares principes prelatis ecclesiarum presertim cathedralium regimini presidentibus opportuni favoris presidium et honor debitus impendatur. Hodie Apostolica auctoritate Sancti Dominici etc. ut supra usque plenius continetur. Cum itaque filii carissimi sit virtutum opus Dei ministros benigno favore prosequi ac eos verbis et operibus pro regis eterni gloria venerari etc. prosequamini quodque electus etc. proveniat actio gratiarum. Datum ut supra.

36g

Ad cumulum tuae cedit salutis

Reg. Lat. 1544 fol. 253v-254r — die 23 decembris 1528

Venerabili fratri archiepiscopo Ispalen. salutem etc. Ad cumulum tue cedit salutis et fame si personas ecclesiasticas presertim pontificali dignitate preditas opportuni presidii gratia prosequaris. Hodie apostolica auctoritate etc. ut supra plenius continetur. Cum igitur idem Sebastianus electus in commissa sibi predictarum ecclesiarum etc. [...] se possit uberius exercere tuque divinam misericordiam et nostram ac dicte sedis benedictionem et gratiam valeas exinde uberius promereri. Datum Romae die etc. ut supra.

36h

Apostolicae Sedis consueta clementia

Reg. Lat. 1544 fol. 254r — die 23 decembris 1528

Dilecto filio Sebastiano Ramirez clerico Conchen. diocesis licenciato in decretis salutem etc. Apostolice Sedis consueta clementia ne dispositiones per eam de cathedralibus ecclesiis pro tempore facte valeant impugnari sed persone ad eas promovende illis puro corde et sincera conscientia presidere valeant remedia prout convenit [adhibet] opportuna. Cum itaque nos hodie Sancti Dominici et Conceptionis ecclesiis invicem unitis in insula Ispanniola consistentibus ad praesens pastoris solatio destitutis de persona tua nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de illorum consilio apostolica auctoritate providere teque illi preficere intendamus nos ne provisio ac prefectio predicte si forsan aliquibus [sententiis] ligatus existis valeant quomodolibet impugnari providere volentes teque a quibusvis excommunicationis etc. fore nuntiamus non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac dictarum ecclesiarum etiam iuramento confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus contrariis quibuscumque. Nulli etc. nostre absolutionis et nuntiationis infringere etc. Siquis etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo vigesimo octavo decimo kalendas Januarii anno sexto.

36i

Cum nos pridem

Reg. Lat. 1544 fol. 254v-255r — die 25 decembris 1528

Dilecto filio Sebastiano electo sancti Dominici et Conceptionis salutem etc. Cum nos pridem Sancti Dominici et Conceptionis ecclesiis invicem unitis in insula Ispagniola consistentibus pastoris solatio destitutis de persona tua nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de illorum consilio Apostolica auctoritate duxerimus providendum preficiendo te illi in episcopum et pastorem per alias nostras litteras prout in illis plenius continetur. Nos ad ea que ad tue commoditatis augmentum cedere valeant favorabiliter annuen-

tes tuis in hac parte supplicationibus inclinati tibi clericali caractere dumtaxat insignitus [...] illorum in quibus copia episcoporum [...] tibi impendendo [...] et adhiberi solitam non habetur te contulisti vel [...] intendas ut a quocumque malueris catholico antistite gratiam et communionem apostolice sedis habenti in eiusdem partibus residente quodque vel quibuscumque diebus [...] vel festivis aut feriorum etiam extra tempore a iure [...] ad omnes etiam sacros et presbiteratus ordines et [...] et hoc sibi assistentibus duobus vel tribus tantum personis in dignitate ecclesiastica constitutis seu canonicatus earundem vel aliorum cathedralium ecclesie aliisque reliquis episcopis in presentibus [...] et adhiberi solitum munus consecrationis recipere valeas, ac eidem antistiti ut recepto prius a te nostro et Romane ecclesie nomine fidelitatis debite solito iuramento iuxta formam presentibus annotatam munus predictum impendere libere tibi possit plenam et liberam licentiam et facultatem tenore presentium concedimus. Volumus autem et auctoritate predicta statuimus et decernimus quod si non recepto a te per ipsum dicto iuramento idem episcopus munus ipsum tibi impendere et tu illud suscipere presumpseritis dictus antistes a pontificali exercitio et tam ipse quam tu ab administratione tam spiritualium quam temporalium ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso preterea volumus quod huiusmodi a te tunc prestiti iuramenti nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo signatas per proprium nuntium quantocitius destinare procures quodque per hoc venerabili fratri nostro archiepiscopo Ispalen. cui prefata ecclesia metropolitico iure subesse dinoscitur nullum imposterum preiuditium generetur. Formam autem iuramenti quod prestabis hec est: Ego Sebastianus etc. Et hec sancta Dei evangelia. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo vigesimo octavo, octavo kalendas Januarii anno sexto.

36k

Exigit nostrae sollicitudinis officium

Reg. Lat. 1544 fol. 255rv — die 23 decembris 1528

Ad futuram rei memoriam. Exigit nostre sollicitudinis officium et [...] ea sollicite intendere [...] ecclesiis [...] deplorare [...] quomodolibet nostre provisionis episcopi de medio sublatis de [...] remedio [...]. Cum itaque nos hodie [...] sancti Dominici et Conceptionis ecclesias insule Ispagnole nuncupate que de iure patronatus pro tempore existentis Castelle et Legionis regis ex speciali privilegio apostolico cui non est hactenus in aliquo derogatum fore noscuntur ad presens certo modo pastoris solatio destitutis iure perpetuo [...] motu proprio non ab aliquibus super hoc [...] sed de nostra mera deliberatione volentes et apostolica auctoritate decernentes quod [...] predicte ac singule littere apostolice desuper conficiende plenarium sortiantur effectum. Non obstantibus priori voluntate nostra predicta ac dictarum ecclesiarum etiam iuramento confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli etc. nostre voluntatis et decretis infringere etc. Si-quis etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo vigesimo octavo, decimo kalendas januarii anno sexto.

361

Sacrosancta Romana Ecclesia

Reg. Lat. 1544 fol. 255v-256v — die 23 decembris 1528

Ad perpetuam rei memoriam. Sacrosancta Romana Ecclesia que super universas orbis Ecclesias divina obtinet institutione principatum circa statum Ecclesiarum omnium presertim Cathedralium veluti pia et provida mater filiorum necessitate solicita vigilanter excogitet et prudenter intendat earum necessitatibus etiam quandoque per ministerium unionis accommode, efficaciter providere prout locorum et temporum qualitas exigit ac Ecclesiarum earumdem utilitas persuadet et iuxta catholicorum Regum proinde exposcentur[?] pia vota ac fidelem devotionem idem in Domino construi salubriter expedire. Sane sancti Dominici et Conceptionis Ecclesie insule Ispagnole nuncupate, que de iure patronatus pro tempore existentis Castelle et Legionis Regis ex speciali privilegio apostolico cui non est hactenus in aliquo deroga-

tum fore noscuntur [1] et quibus bone memorie Alexander sancti Dominici et Petrus Conceptionis episcopi dum viverent [...] presidebant per eorundem Alexandri et Petri episcoporum, qui extra Romanam curiam debitum nature persolverunt obitus pastoris solatio respective [?] destitutis nos [...] Ecclesiarum huiusmodi fidedignis relatibus intellectis attente [?] quod fructuoso et provido administratori [?] episcopalium earumdem Ecclesiarum olim uberius ex [...] a certo tempore citra a Deo [...] quod illorum presulis pro tempore existentis ex illis se respective quo de [...] et onere eius ratione regimini et administrationi earumdem Ecclesiarum iuramentum [?] proferre non possint, ac cupientes ipsarum Ecclesiarum necessitatibus subvenire et patrem animarum pro [...] unione illarum [...] reflorere utile sub unum presulem cura et regimine [...] felicioribus preficere valeant invenire [...] charissimo in Christo filio nostro Carolo Romanorum Regi illustri in Imperatori electo nobis hec humiliter supplicans apostolica auctoritate tenore presentium de fratrum nostrorum consilio Ecclesias predictas cum aliis [...] perpetuo [...] ita quod [...] civitates et dioceses ac eorum presules pro tempore existentes predicto deputandas et consistendas singulas et singulis civitatibus et locis eorumdem diocesis nuncupandis [...] et officialis favore et [...] respective de unus presul et pastor illis pres [...] et [...] domini ac [...] sibi per se vel alium seu alios dictarum ecclesiarum earumque civitatis et diocesis ac [...] propria auctoritate libere assignare et perpetue retinere illaque ac [...] eorumdem [...] ad [...] Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac etiam iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus ecclesiarum earumdem ceterisque contrariis quibuscumque [...] quod [...] nulli etc. nostre absolutionis [...] infringere etc. Si quis etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo vigesimo octavo decimo kalendas januarii anno sexto.

---

[1] Litterae istae ac praecedentes huius voluminis Registri Vaticani vix legi possunt.

37

Ineffabilis gloriosae Dei genitricis

Reg. Vat. 1326 fol. 399r-400v — die 16 aprilis 1529

HOSPITALI IN CIVITATE *MÉXICO* PRIVILEGIA SPIRITUALIA CONFERUNTUR

Summus Pontifex dignum et debitum reputat, ut in honorem Dei Genitricis Mariae dedicatas ecclesias et hospitalia congruis gratiarum muneribus decoret. Attentis meritis quae Ferdinandus Cortes, Caroli imperatoris capitaneus, civitatem *México* expugnans et fidem catholicam in ea parte Indiarum prorogari curans, rite acquisivit, Pontifex decernit, ut hospitale quod sub invocatione Sanctae Mariae in civitate *México* pauperibus infirmis curandis et alendis construi fecit, eiusque gubernatores, infirmi, capellani, procuratores ecclesiae et illam visitantes, iisdem privilegiis, immunitatibus, facultatibus et gratiis aeque principaliter uti et gaudere libere et licite possint, quae hospitalibus Sancti Iacobi in Augusta de Urbe et Caesaraugustana concessa vel concedenda sunt. Christifidelibus vero ecclesiam hospitalis visitantibus, die dominico ab ipso Ferdinando eligendo, condicionibus consuetis expletis plenariam elargitur indulgentiam, dum confessoribus facultas conceditur ab omnibus peccatis, etiam Sedi Apostolicae reservatis, absolvendi necnon vota quaecumque, paucis exceptis, in alia pietatis opera commutandi.

Clemens VII

Ad perpetuam rei memoriam. Inefabilis gloriose Dei genitricis Marie meritorum insignia devota considerationis indagine perscrutantes et intra nostre mentis arcana revolventes quod ipsa castissimo eius utero prout nostri status indigebat necessitas humane salutis protulit auctorem et apud eum quem maternis lactavit uberibus sedulus pro nostre fragilitatis expiatione preces effundit dignum quin potius debitum reputamus ut in honorem sui nomini dedicatum ecclesias et hospitalia gratiosis prosequamur remissionum impendiis et gratiarum muneribus decoremus. Cum itaque sicut accepimus dilectus filius Ferdinandus Cortes capitaneus carissimi in Christo filii nostri Caroli Romanorum et Hispaniarum Regis Catholici in Imperatorem electi in partibus Indie Occidentalis Nove Hispanie nuncupate unum insigne hospitale sub invocatione Sancte Marie virginis in civitate Mexico illarum partium pro Christi pauperibus infermis curandis et alendis construi et edificari fecerit et ad illud singularem gerat devotionis affectum. Nos attendentes quod ipse Ferdinandus divino auxilio ac dicti Caroli Regis auspiciis fretus magna animi sui constantia, vigili providentia et solerti prudentia ac indefessis laboribus dictam Indiam strenue dimicando expugnavit et rei publice christiane adiecit populos

innumerabiles illarum partium mori potius eligentes qui unici bellis multiplicibus superavit et superatos suis mansuetudine et industria ad fidem Christi ultio venire ac ecclesias et loca religiosa fabricari et fidem Christi inibi propagari curavit et in dies omni studio et diligentia curare intendit ut populus dicte civitatis de novo ad fidem conversus ad similia pietatis ac devotionis opera inducantur ipsum hospitale cupit bene regere et gubernari illiusque ecclesiam congruis honoribus frequentari et a christifidelibus iugiter venerari ac in suis structuris et edificiis debite reparari, conservari et manteneri; et ut christifideles eo libentius devotionis causa ad ipsam ecclesiam confluant ac ad reparationem, conservationem et manutentionem huiusmodi necnon sustentationem pauperum in ipso hospitali pro tempore existentes manus prompte porrigant adiutrices quo ex hoc ibidem dono celestis gratie uberius conspexerint se refertos, auctoritate Apostolica tenore presentium quod hospitale predictum ac illius pro tempore gubernatores, officiales, infermi, capellani, ministri, servitores, ancille, procuratores ecclesie et illam visitantes, necnon res et bona quecumque omnibus et singulis ac illis eisdem privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, prerogativis, indultis, indulgentiis, facultatibus, favoribus et gratiis quomodolibet nuncupatis quibus hospitalia Sancti Iacobi in Augusta de Urbe [1] et Cesaraugustana [2] illarumque pro tempore gubernatores, officiales, infirmi, capellani, ministri, servitores, ancille, procuratores ecclesie et illas visitantes, necnon res et bona quecumque quomodolibet utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt in futurum eisque quomodolibet concessis et concedendis que principaliter et absque ulla penitus differentia uti, potiri et gaudere libere et licite valeant. Et sic per quoscumque tam ordinaria quam delegata et mixta auctoritate fungentes iudices et personas ubique iudicari cognosci atque decidi debeat sublata eis et eorum cuilibet quevis aliter iudicandi et cognoscendi ac decidendi facultate. Necnon irritum et inane quicquid secus super hiis a quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari decernimus. Ac de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus et singulis christifidelibus utriusque sexus vere penitentibus et confessis seu confitendi statutis a iure temporibus prepositum habentibus qui ecclesia hospitalis huiusmodi in aliquo die dominico per ipsum Ferdinandum ad hoc eligendo a primis vesperis usque ad occasum

---

[1] Roma.

[2] Zaragoza.

solis eiusdem festi inclusive devote visitaverint et ad premissa munus porrexerint adiutrices plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem elargimur. Et nichilominus ut christifideles ipsi ecclesiam ipsam visitantes conscientie pacem et animarum salutem, Deo propitio, consequantur et ad indulgentiam ipsam plenariam consequendam aptiores reddantur dicti hospitalis gubernatoribus pro tempore existentibus presbiteros idoneos seculares aut cuiusvis ordinis regulares tot quot necessarios fore cognoverint, qui omnium fidelium pro huiusmodi indulgentia consequenda ad dictam ecclesiam confluentium confessiones per octo dies ante et totidem post dictam dominicam audire ipsisque diligenter auditis ipsos ab omnibus et singulis eorum peccatis, excessibus et delictis etiam Sedi Apostolice reservatis, exceptis contentis in bulla que legitur in Cena Domini absolvere eisque penitentiam salutarem iniungere; necnon vota quecumque ultramarino liminum apostolorum Petri et Pauli ac sancti Iacobi in Compostella, necnon religionis et castitatis votis dumtaxat exceptis in alia pietatis opera commutare et iuramenta quecumque sine alicuius preiudicio relaxare libere et licite valeat auctoritate et tenore premissis indulgemus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum decreti, elargitionis et indulti infringere etc. Siquis etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo vigesimo nono, sexto decimo kalendas maii, pontificatus nostri anno sexto.

38

Los incansables trabajos

Lucas Alamán, Obras vol. II: Disertaciones sobre la Historia de México. H. Cortés y la conquista de México (México 1985) 274-277. — die 16 aprilis 1529

BM II 225

CONCESSIO PATRONATUS SUPER HOSPITIA ET ECCLESIAS

Ferdinandus Cortes, gubernator Novae Hispaniae, laudatur propter eius merita in adiciendo reipublicae christianae magnas provincias et in convertendo *innumerabiles populos* ad fidem catholicam. In civitate *México* et aliis civitatibus Novae Hispaniae hospitia, ubi aegroti pauperes excipiuntur, et ecclesias construxit et dotavit. Summus Pontifex ei et filiis eius patronatum super hospitia et ecclesias concedit, absolutionem a censuris et poenis ecclesiasticis, in quas forsan incidit, ei impertitur ac licentia ei datur construendi tanta hospitia et ecclesias quanta maluerit.

Clemens VII

Clemente obispo, siervo de los siervos de Dios. Al amado hijo Fernando Cortés, gobernador de la India Occidental llamada Nueva España, salud y Apostólica benedicion. Los incansables trabajos que has padecido incensantemente ya de muchos años atras y no cesas de padecer con firme é inmobile constancia de tu ánimo, con vigilante providencia é ingeniosa prudencia por mar y tierras hasta ahora no conocidas, rindiendo provincias muy espaciosas y añadiéndolas á la República cristiana, venciendo innumerables pueblos y convirtiéndolos á la fé de Cristo, con razón nos mueven para que cuanto con Dios podemos favorablemente asintamos á tus deseos, principalmente á los que tiran á la fundacion y manutencion de iglesias y hospitales, y á la consolacion de tu alma. De verdad, la peticion á Nos poco ha presentada por tu parte, contenia el que tú, quien con el divino auxilio y favores de nuestro muy amado en Cristo hijo Cárlos, electo para emperador de romanos y rey Católico de las Españas, no perdonando por muchísimos años a ningunos trabajos, exponiendo la vida á todos los peligros, finalmente peleando valerosamente venciste y adquiriste la India Occidental, al presente nombrada Nueva España, para el yugo de Cristo y obediencia de la Santa Romana Iglesia y del mismo rey Cárlos, hiciste que para honra de Dios y de la gloriosa Vírgen María, se fabricase y edificase cierto insigne hospital, para curar y alimentar los pobres de Cristo enfermos, debajo de la invocacion de la Vírgen Santa María, en la ciudad de Mégico de dicha Nueva España, é intentas hacer que se fabriquen, y dotar iglesias y otros hospitales en algunas tierras de aquellas partes, las cuales dicho Rey Cárlos le endonó, ó propuso donar en recompensa de dichos tus trabajos; por lo cual hiciste que humildemente se Nos suplicase, que por la benignidad Apostólica nos dignásemos reservar á tí y á tus descendientes el derecho del patronato de dichas iglesias y hospitales, y por

otra parte proveerte oportunamente en las cosas susodichas. Nos así teniendo el respeto debido á tus eminentes obras, y para que se consiga el efecto tan solamente de las presentes por el órden de estas, absolviéndote y declarándote serás absuelto de cualesquier sentencias, censuras y penas de excomunion, suspension y entredicho, y de otras eclesiásticas por derecho ó por juez, por cualquiera ocasion ó causa pronunciadas, si con algunas de cualquier modo estás ligado: inclinados á aquestas súplicas con la autoridad Apostólica, por el tenor de las presentes concedemos á tí, el que libre y lícitamente puedas hacer que se fabriquen y edifiquen en dichas tus tierras tantas iglesias y hospitales cuantas considerares que convienen, y que se erijan y consagren por el obispo del lugar, y si este no hubiere, por el obispo mas cercano, y pedir y percibir los diezmos y primicias de los habitadores de las mismas tierras, y convertirlas para la fábrica y dotes de dichas iglesias y hospitales, y hacer que se pidan, perciban y conviertan; y tambien con la autoridad Apostólica hacer, alterar ó mudar cualesquier estatutos, y ordenaciones licitos y honestos, y no contrarios á los sagrados cánones cerca de las cosas susodichas, y que de cualquier modo mirán á ellas cuantas veces te agradare, y poner cualesquier penas contra los contravenientes; y reservamos, concedemos, y asignamos á tí, y á tus herederos, y sucesores para siempre el derecho del patronato de las sobredichas iglesias y hospitales, y de presentar personas idóneas para las mismas iglesias y para cualesquier beneficios eclesiásticos que ahora y en lo venidero estén en dichas tierras, cuantas veces vacaren de cualquier modo, y de persona de cualquiera, tambien ante la Sede Apostólica, y por causa de permutacion, y por muerte ante la misma Sede, y pendiente lite desde arriba; y decretamos que el derecho de dicho patronato y de presentar, sea totalmente de aquella fuerza, esencia y eficacia de que es en todo y por todo el derecho de patronato de los Duques seculares, por fundación ó dotación; y que así deba en todas partes juzgarse, conocerse y decidirse, por cualesquier jueces y personas que gozan de autoridad, así ordinaria, como delegada y mixta, quitada á ellos y á cualquier de ellos cualquier facultad de juzgar, conocer y decidir de otra manera, y tambien por nulo y de ningun valor todo lo que en contrario aconteciere intentarse sobre estas cosas, sábia ó ignorantemente por cualquiera con qualquiera autoridad. Y no obstante esto por Apostólicos escritos mandamos á nuestros venerables hermanos los obispos de Castelmar, y de Mégico [1], y de

[1] Ecclesia Cathedralis in civitate *México* die 12 augusti resp. 2 septembris 1530 erecta est. Sed Zumarraga iam inde anno 1527 designatus episcopus erat.

Tlaxcala [2], que ellos mismos, ó dos, ó uno de ellos por sí, ó por otro, ó otros con nuestra autoridad hagan que las presentes letras, y cualesquier cosas en ellas contenidas alcancen su cumplido efecto, y que usen y gocen de ellas pacíficamente tú, y tus dichos herederos y sucessores, y también las personas, que por el tiempo aconteciere que se presenten por tí y por ellos, y todos y cada uno de aquellos, á quienes las mismas presentes letras de cualquier modo conciernen; ni permitan que alguno con algun modo sea molestado, impedido, ó inquietado contra el tenor de las presentes, refrenando á cualesquier contradictores y rebeldes tambien por cualesquier censuras y penas, y otros remedios de derecho los que pareciere, propuesta la apelacion, invocado tambien para esto si fuere necesario el auxilio del brazo secular, no obstantes las constituciones, y ordenaciones de Bonifacio Papa VIII de feliz recordación nuestro predecesor, tambien de una y la publicada en el concilio general de los dietas, con tal que no sea traido alguno á mas de tres dietas, por autoridad de las presentes, y otras Apostólicas; los estatutos tambien, y costumbres aun roborados con juramento, confirmacion Apostólica, ó cualquiera otra firmeza; tambien los privilegios, indulto, y letras Apostólicas de cualquier modo tambien repetidas veces concedidos y confirmados, é innovados por cualesquiera romanos Pontífices nuestros predecesores, y por Nos y por la dicha Sede, tambien por via de la ley general y estatuto perpetuo, y por motu propio, y de cierta ciencia y de plenitud de Apostólica potestad, y con cualesquier cláusulas irritativas, anulativas, casativas, revocativas, preservativas, exceptivas, restitutivas, declarativas, atestativas de la mente, y derogatorias de derogatorias, y otra mas eficaces, eficacísimas y no acostumbradas, á todas las cuales, aunque para su suficiente derogacion se hubiese de tener de ellas y de todos sus tenores especial é individua mencion, y de palabra á palabra, empero no por cláusulas generales que impontan lo mismo, ó cualquiera otra expresión, é se hubiese de guardar otra exquisita forma, y en ellas se mande expresamente que de ninguna manera pueda derogarse á ellas, teniendo los tenores de todos ellos por suficientemente expresados en las presentes é insertados de palabra á palabra, y tambien los modos y forma que para esto se han de guardar por guardados en individuo, por esta vez tan solamente por el órden de estas, especial y expresamente derogamos á cualesquier cosas contrarias, habiendo ellas en otro tiempo de permanecer en su fuerza; ó si á algunos en comun, ó divididamente se ha concedido por la sobredi-

[2] Ecclesia Tlaxcalensis anno 1526 eresta est. Cfr. supra doc. 24.

cha Sede, el que no puedan ser entredichos, suspensos ó excomulgados por letras Apostólicas que no hagan plena y expresa mencion y de palabra á palabra de dicho indulto, ó por cualquiera otra gracia general ó especial de dicha Sede de cualquier tenor que sea, por la cual no expresada, ó totalmente no insertada en las presentes el efecto de aquesta gracia de cualquier modo pueda impedirse ó diferirse, y de la cual y de todo su tenor se haya de tener especial mencion de nuestras letras. Mas es nuestra voluntad, que despues que se haya erigido iglesia Catedral en alguna de dichas tierras, tú y tus sucesores seais obligados á dejar las dichas primicias y diezmos, ó dotar las mismas iglesias, y si dotares las propias iglesias tú y tus herederos y sucesores, libre y lícitamente podais percibir, pedir y llevar para siempre los sobredichos diezmos y primicias, habiendo las presentes de durar perpetuas en los venideros tiempos. A ninguno pues totalmente de los hombres sea licito quebrantar esta plana de nuestra absolucion, concesion, reservacion, asignacion, decreto, mandato, derogacion y voluntad, ó ir contra ella con atrevimiento temerario; mas si alguno presumiere intentar esto, haya sabido que él incurrirá en la indignacion de Dios Todopoderoso, y de sus Apóstoles San Pedro y San Pablo. Dado en Roma en San Pedro, el año de la Encarnacion del Señor de mil quinientos y veinte y nueve, á diez y seis de abril el año sexto de nuestro Pontificado.

39

Sacri Apostolatus ministerio

Hernáez II 38-40 die 2 septembris 1530

DIOECESIS MEXICANENSIS ERIGITUR

Pontifex frequenti meditatione intendit ut in universi orbis provinciis praesertim in illis noviter repertis religio christiana propagetur, loca maxime insignia illarum provinciarum ad dignitatem sedium episcopalium elevans. Ideoque ecclesiam parochialem civitatis Mexicanensis *in Indiis maris Tyrrheni Indici,* ubi *ultra viginti millia vicinorum vel incolarum quorum plures fideles* ha-

bitant, et ubi ecclesiae, monasteria et pia loca ex devotione regis constructa sunt, in Ecclesiam Cathedralem sub invocatione Beatae Mariae erigit, ut episcopus Mexicanensis in illa civitate ac dioecesi *verbum Dei praedicet et infideles ad Fidem convertat* et omnia opera instituat quae ad propagationem fidei, ad curam animarum et cultum divinum spectant. Eodem episcopo iam nunc omnia iura, insignia et privilegia confert, quibus alii episcopi Ecclesiae universalis gaudent. Imperatori vero iubet, vi iuris sui patronatus, limites dioecesis definire, dioecesim convenienter dotare ac infra annum personas idoneas ad Ecclesiam Mexicanensem praesentare.

Clemens VII

Clemens Episcopus, Servus servorum Dei: ad perpetuam re memoriam. Sacri Apostolatus ministerio, meritis licet insufficientibus superna dispositione praesidentes, ad universi orbis provincias et loca, ea praesertim, quae Omnipotentis Dei misericordia Christianae veritatis lucem nostris potissimum temporibus incoeperunt agnoscere, frequenti meditatione intendimus, ut in illis Orthodoxae Fidei cultus augeatur et Christiana Religio propagetur, ac eorum incolae et habitatores Venerabilium Praesulum doctrina et auctoritate suffulti, in eadem Fide semper proficiant, ipsaque loca maxime insignia, dignioribus titulis attollantur et majoribus honoribus decorentur; praesertim cum id Catholicorum Regum, et etiam Caesareae Majestatis pia vota exposcunt, et cognoscimus in Domino salubriter expedire. Sane cum Oppidum Mexicanense in Indiis maris Tyrrheni Indici nuncupati, olim auspiciis clarae memoriae Ferdinandi, Aragoniae Regis, et Elisabethae, Reginae Castellae et Legionis Regnorum, per dilectum Filium, nobilem virum, Petrum Arias, militem Segoviensem, eorum gentium armorum ad easdem Indias destinatorum, Exercitus Generalem Capitaneum noviter repertis et e manibus Infidelium, illas tunc occupantium, ereptis, ac ad ditionem et dominium eorum et pro tempore existentium Regum eorumdem Regnorum redactis, illisque in temporalibus subjectis, quae eisdem Regibus, dum vixerunt, et deinde Charissimo in Christo Filio nostro, Carolo, Romanorum Imperatori semper Augusto, dictorum Regnorum nedum haeredi et successori, verum etiam in desiderio Orthodoxam Fidem ubique exaltandi imitatori, ac sub eorum obedientia et dominio, ratione dictorum Regnorum ex tunc successive, eodem Petro Capitaneo Gubernatore, permanentibus,

consistens, admodum insigne existat, longumque et latissimum et distinctum territorium circum circa habeat: adeoque in eo ultra viginti millia vicinorum vel incolarum, quorum plures Fideles, tam noviter conversi, quam etiam alii forenses et de diversis mundi partibus ad illud habitandum confluentes, commorentur et resideant, ac in eo inter alias, Ecclesias Monasteria, pia loca ex devotione Regum Majestatis et Capitanei praedictorum, inibi constructa; una Parochialis Ecclesia sub invocatione Beatae Mariae Virginis cum structuris et aedificiis convenientibus, ad quam omnes ipsi Fideles pro Missis et Divinis Officiis audiendis ac Ecclesiasticis Sacramentis suscipiendis, tamquam ad eorum Parochialem Ecclesiam recurrunt, etiam consistit; ac idem Carolus Imperator summopore cupiat, eamdem Parochialem Ecclesiam in Cathedralem, ipsumque Oppidum in Civitatem Mexicanensem erigi et instrui: Nos habita super his cum Venerabilibus Fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus matura deliberatione [1], eodem Carolo Imperatore nobis super hoc humiliter supplicante, ad laudem et gloriam Omnipotentis Dei et ejusdem Beatae Mariae Coelestis, necnon ipsius Fidei exaltationem, Apostolica auctoritate, tenore praesentium, supplicationibus Caroli Imperatoris hujusmodi inclinati, de eorumdem Fratrum consilio pariter et assensu, Oppidum (in Civitatem) Mexicanensem, ac Parochialem Ecclesiam Beatae Mariae hujusmodi in Cathedralem Mexicanensem, sub invocatione ejusdem Beatae Mariae

[1] Cfr. ex Actis Consistorialibus: Romae die veneris 12. augusti 1530 fuit consistorium, in quo ad relationem revmi Dñi de Valle erecta in ecclesiam cathedralem ecclesia coepta, incipienda vel finienda in civitate Mexiconensi in India, et quod praesens episcopus vel alii deputandi possint distinguere numerum canonicatuum et dignitatum; et ex nunc tota illa regio fuit assignata pro diocesi, donec erunt erectae aliae ecclesiae. Erecta fuit ecclesia sub invocatione assumptionis Beatae Virginis; cui ecclesiae sic erectae provisum fuit de persona fratris Francisci ordinis minorum (Arm. XII 122 fol. 177).

Romae die 2. septembris 1530... Eadem die ad relationem revmi Dñi de Valle fuit additum relationi factae per dominationem suam revmam 12. augusti 1530 erectionis Mexiconensis, videlicet: fuit erectum oppidum Mexiconense in Indiis in civitatem, et quod episcopus Mexiconensis possit erigere alias collegiatas in eius civitate et diocesi, et maiorem ac principales, abbatiales, conventuales et alias dignitates ac canonicatus et praebendas et alia beneficia eorumque mensas, et cum aliis praerogativis, cum reservatione iuris patronatus Imperatoris ac regis vel reginae Castellae et Legionis, et praesentandi infra annum, hac prima vice excepta, quotiens pro tempore vacare contigerit, videlicet: ad cathedralem Mexiconensem tunc erectam Romano Pontifici, et ad monasteria ac alias dignitates et beneficia omnia episcopo Mexiconensi pro tempore existenti. Et quod frater Franciscus Cummaraga provisus possit suscipere munus consecrationis ab uno tantum episcopo in partibus illis, assistentibus duobus vel tribus in dignitate constitutis seu canonicis; cum facultate pro Imperatore vel eius consilio, designandi diocesim et fructus pro dotibus (Arm. XII 122 fol 178).

nuncupandam, pro uno Episcopo Mexicanensi, qui inibi et in illius Civitate ac Dioecesi verbum Dei praedicet, et Infideles ad eamdem Fidem convertat: ac tam illos sic conversos, quam alios praedictos Fideles, in eadem Fide expertius instruat, doceat et confirmet, ac Sacramenta Ecclesiastica eis ministret, et ministrari ac praedictam erectam Ecclesiam illiusque aedificia ad formam Cathedralis Ecclesiae redigi faciat: ac in Civitate et Dioecesi praedictis Collegiatas et Parochiales ac alias Ecclesias, Monasteria, Capellas, Hospitalia, Oratoria et alia loca pia, ac in illis respective in numero, et cum dotibus ac qualitatibus decentibus per eum assignandis, specificandis, Majores, Principales, Abbatiales, Conventuales et alias Dignitates, Personatus, administrationes et officia etiam curata et electiva: necnon Canonicatus et Praebendas, integras et dimidias Portiones, Capellanias, Vicarias et alia Beneficia Ecclesiastica cum cura et sine cura, ac Capitula, necnon Capitulares, Abbatiales, Conventuales et alias mensas erigat et instituat respective ac alia temporalia, spiritualia, jurisdictionalia et Pontificalia officia, omniaque et singula alia, quae alii Episcopi Regnorum eorumdem facere et exercere consueverunt, et quae pro Divini cultus augmento et Fidei hujusmodi exaltatione, ipsorumque Fidelium animarum salute expedire cognoverint, faciat et exerceat: ac omnibus et singulis ejus privilegiis, praerogativis, praeeminentiis et gratiis, quibus alii Episcopi praedicti de jure et consuetudine, ac alias utuntur, potiuntur et gaudent ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, utatur, potiatur et gaudeat ac uti potiri et gaudere libere et licite valeat: necnon in eadem Ecclesia Mexicanensi Capitulum Canonicorum et Personarum Episcopali et Capitulari mensis ac sigillo et aliis insigniis, jurisdictionibus, privilegiis et praeeminentiis Episcopalibus et Capitularibus, erigimus et instituimus: ac incolas et habitatores dictae Civitatis cum nomine decoramus; necnon eidem erectae Ecclesiae pro illius Civitate civitatem erectam, et pro Dioecesi Terras, Insulas, loca et oppida, quae idem Carolus Imperator vel ejus Consilium Indiarum nuncupatum, positis limitibus et confinibus necessariis, statui et assignari jusserit: ac pro Clero et Populo illorum incolas et habitatores hujusmodi respective, ac pro dote et etiam Pontificalis Dignitatis, et pro tempore existentis Episcopi illius decentiori sustentatione, decimas, primitias et alia jura Episcopalia spiritualia et temporalia de bonis, rebus et fructibus, de quibus Carolus Imperator vel Consilium hujusmodi specificaverint et ordinaverint. Itaque idem Episcopus Mexicanensis in Civitate et Dioecesi praedictis Episcopalem jurisdictionem, auctoritatem et potestatem exercere, ac decimas et primitias et jura hujusmodi percipere et levare, ad instar Episcoporum praedictorum, libere et licite valeat, applicamus et appropriamus: nec-

non jus Patronatus, et infra annum, propter loci distantiam, per se, vel alium seu alios, ad id etiam ante vacationes deputandos Procuratores, praesentandi Personas idoneas, tam hac prima vice, quam quoties illa pro tempore vacaverint, ad Ecclesiam videlicet Mexicanensem Nobis et pro tempore existenti Romano Pontifici per Nos et illum respective in ejusdem Ecclesiae Episcopum et Pastorem praeficiendum. Ad vero omnes et singulas alias Dignitates, Personatus, Administrationes, Officia, Canonicatus et Praebendas, Portiones, Capellanias, Vicarias, Monasteria, Prioratus et alia Beneficia hujusmodi, eidem tempore existenti, Episcopo Mexicanensi ac ejus Vicario seu Officiali per eum instituendas, ad easdem praesentationes Carolo Imperatori praedicto, ratione Regnorum Castellae et Legionis hujusmodi, ac pro tempore existenti illorum Regi vel Reginae, de similibus consilio et assensu reservamus, concedimus et assignamus. Non obstantibus Constitutionibus, Ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae erectionis, institutionis, decorationis, applicationis, appropriationis, reservationis, concessionis et assignationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum se noverit incursurum. Datum Romae, apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo trigesimo, IV Nonas Septembris, Pontificatus nostri anno septimo.

40a

Apostolatus officium

Reg. Lat. 1544 fol. 4v-6r — die 2 septembris 1530
Icazbalceta App. 11
BM II 251

IOANNES DE ZUMARRAGA EPISCOPUS MEXICANENSIS CONSTITUITUR

Apostolatus officium exequi cupiens Summus Pontifex Ioannem de Zumárraga Ordinis Fratrum Minorum vi iuris patronatus a Carolo imperatore

Romano praesentatus, Ecclesiae Cathedralis Mexicanensis in episcopum et pastorem praeficit, confidens ut gratia divina assistente Ecclesia Mexicanensis eius felici regimine in spiritualibus et temporalibus suscipiat incrementa. Idem communicatur archiepiscopo Hispalensi (*Sevilla*), cuius sedis metropolitanae noviter erecta sedes Mexicanensis suffraganea constituitur, et quem Summus Pontifex exhortatur ut Ioannem de Zumárraga episcopum electum sibi commissum habeat.

Idem Clemens Papa Carolo imperatori et Ioannae reginae communicat ac eos rogat et hortatur ut electum episcopum et Ecclesiam Mexicanensem sibi commendatos habeant. Populo civitatis et dioecesis Mexicanensis quoque Summus Pontifex nominationem episcopi communicat ac fideles rogat et hortatur et eum *tamquam Patrem et Pastorem animarum vestrarum* admittant et obedientiam et reverentiam ei exhibeant. Clerum civitatis et dioecesis Mexicanensis Summus Pontifex exhortatur ut electi episcopi *salubria monita et mandata* suscipiant et *humiliter et efficaciter adimplere* curent, *alioquin sententiam quam idem Franciscus electus rite tulerit in rebelles ratam habebimus.* Idem communicat et commendat *dilectis filiis Capituli Ecclesiae Mexicanensis.* Etiam vassallis Ecclesiae Mexicanensis nominatio episcopi Summus Pontifex communicat eosque exhortatur ut eum devote suscipiant eique fidelitatem et solita ac consueta servitia exhibeant.

Clemens VII

Dilecto filio Francisco [1] Cumarraga electo Mexicanensi, salutem etc. Apostolatus officium, meritis quamquam insufficientibus, Nobis ex alto commissum, quo Ecclesiarum omnium regimini divina dispositione praesidemus, exequi quo adjuvante Domino cupientes, soliciti corde redimur et solertes, ut, cum de Ecclesiarum ipsarum regiminibus agitur committendis, tales eis in pastores praeficere studeamus, qui gregem dominicum sue cure creditum sciant non solum doctrina verbi, sed etiam exemplo boni operis informare; commissasque sibi Ecclesias in statu prospero et tranquillo velint et valeant, auctore Do-

---

[1] Nominatur hic et in litteris sequentibus «Franciscus», dum nomen eius est «Iohannes». Cfr. infra doc. 55. Juan de Zumarraga natus est anno 1469 (al. 1475) in oppido *Durango*, Hispania. Ordini Fratrum Minorum nomen dedit, anno 1527 designatus est episcopus, anno 1528 in Novam Hispaniam profectus est. Anno 1532 iterum reversus est in Hispaniam, ut se defenderet contra adversarios suos; die 27 aprilis 1533 munus consecrationis suscepit et anno sequenti in suam dioecesim revenit. Mortuus est die 3 iunii anni 1548. Cfr. BM II 234; *Lopetegui-Zubillaga* 294-295, 342-343 et passim.

mino, salubriter regere et gubernare. Sane Ecclesia Mexicanensis quam olim provisorie in cathedralem ecclesiam ereximus et instituimus [2] hodie nec non Jus patronatus et praesentandi personam idoneam ad ipsam sic erectam Ecclesiam tam hac prima vice quam quoties illa pro tempore vacaret, carissimo in Christo filio Nostro Carolo Romanorum Imperatori semper Augusto, qui etiam Rex existit, et pro tempore existenti Regi vel Reginae Castellae et Regionis [sic] reservavimus et concessimus de fratrum nostrorum consilio pariter et assensu Apostolica auctoritate per alias Nostras litteras prout in illis plenius continetur, ab eius primeva erectione huiusmodi vacante, Nos ad ipsius Ecclesiae Mexicanensis consonam provisionem celerem et felicem ne longe vacationis exponatur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem quam de praeficiendo illi personam utilem et fructuosam cum eisdem fratribus habuimus diligentem; demum ad te, ordinis fratrum minorum professorem in presbyteratu et aetate legitima constitutum, cui apud Nos de religionis zelo litterarum scientia vitae munditia morum honestate spiritualium providentia et temporalium circumspectione aliisque multiplicum virtutum donis fide digna testimonia perhibentur, direximus oculos nostrae mentis quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua Nobis et eisdem fratribus, ob tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Ecclesiae Mexicanensi, de simili consilio nec non de consensu eiusdem Caroli Imperatoris providimus, teque illi praefecimus in Episcopum et Pastorem curam et regimen et administrationem ipsius Ecclesiae Mexicanensis tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo in illo, qui dat gratias et largitur praemia, confidentes quod, dirigente Domino, actus tuos, prefata Ecclesia Mexicanensis sub tuo felici regimine, tibi assistentia divina regetur, utiliter et prospere dirigetur ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Iugum igitur Domini tuis impositum humeris prompta devotione suscipiens, curam et administrationem praedictas sic exercere studeas solicite, fideliter et prudenter, quod Ecclesia ipsa Mexicanensis gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque praeter aeternae retributionis praemium nostram et Apostolicae Sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis. Datum Romae apud Sanctum Petrum Anno etc. millesimo quingentesimo trigesimo, quarto nonas Septembris, Anno Septimo.

[2] Die 12 augusti eiusdem anni. Cfr. supra doc. 39, nota.

40b

Ad cumulum tuae cedit salutis

Reg. Lat. 1544 fol. 6rv
Icazbalceta App. 12
BM II 252

die 2 septembris 1530

Venerabili fratri archiepiscopo Hispalensi, salutem etc. Ad cumulum tuae cedit salutis et famae si personas ecclesiasticas praesertim pontificali dignitate praediti divinae propitiationis intuitu opportuni praesidii et favoris gratia prosequamur. Hodie siquidem Ecclesiam Mexicanensem tunc ab eius primeva erectione etiam hodie ex parochiali Ecclesia in cathedralem Ecclesiam per Nos factam et ratam de persona dilecti filii Francisci prelati Mexicanensis Nobis et fratribus Nostris ob suorum exigentiam meritorum accepta providimus ipsumque illi praefecimus in Episcopum et Pastorem curam et administrationem eiusdem Ecclesiae sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committentes Apostolica auctoritate de fratrum eorumdem consilio, per alias nostras litteras prout in illis plenius continetur. Cum igitur ut idem Franciscus electus in commissa sibi cura dictae Ecclesiae facilius proficere valeat tuus favor sibi fore noscatur plurimum opportunus fraternitatem tuam rogamus et hortamur attente per Apostolica scripta mandantes quatenus eundem Franciscum electum et praefatam Ecclesiam Mexicanensem suffraganeam tuam sibi commissam habentes pro Nostra et Apostolicae Sedis reverentia propensius commendatos, in ampliandis et conservandis iuribus suis, sic eos tui favoris praesidio prosequeris quod idem Franciscus electus per tuum auxilium gratiae se possit in commisso sibi dictae Ecclesiae Mexicanensis regimine utilius exercere tuque divinam misericordiam et Nostram et eiusdem Sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis. Datum ut supra.

40c

Gratiae divinae premium

Reg. Lat. 1544 fol. 7rv die 2 septembris 1530

Carissimo in Christo filio Carolo Romanorum Imperatori semper Augusto, et carissimae etiam in Christo filiae Joannae, Castellae et Legionis Reginae illustri, salutem etc. Gratiae divinae premium et humanae laudis praeconium acquiritur si per seculares principes personis ecclesiasticis praesertim ecclesiarum cathedralium regimini praesidentibus opportuni favoris praesidio et honore debito impendatur. Hodie siquidem Ecclesia Mexicanensis de persona dilecti filii Francisci electi Mexicanensis Nobis et fratribus Nostris ob suorum exigentiam meritorum accepta providimus, ipsumque illi praeficimus in episcopum et Pastorem curam et administrationem ipsius Ecclesiae sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo Apostolica auctoritate de fratrum eorundem consilio, per alias nostras litteras, prout in illis plenius continetur. Cum ita fili carissimi sit virtutibus opus Dei ministros benigno favore prosequi, et eos verbis et operibus pro Regis aeterni gloria venerari, majestatem vestram regiam, cum tu fili Carole Imperator etiam Castellae et Legionis regnorum quorum regna Indiarum praedicta vobis et pro tempore existenti illorum Regi et Reginae in temporalibus subiecta existunt, rogamus et hortamur attente, quatenus eundem Franciscum electum et Ecclesiam Mexicanensem praedictam suae curae commissam habeas pro Nostra et Apostolicae Sedis reverentia propensius commendatos, sic eos vestri favoris gratia prosequamini quod idem Franciscus electus nostrae celsitudinis fultus praesidio in commisso sibi regimine dictae Ecclesiae Mexicanensis possit Deo propitio prosperari et vobis exinde a Deo perennis vitae praemium et a Nobis condigna proveniat actio gratiarum. Datum ut supra.

40d

Hodie Ecclesiae Mexicanen.

Reg. Lat. 1544 fol. 7v-8r — die 2 septembris 1530

Dilectis filiis populo civitatis et dioecesis Mexicanen., salutem etc. Hodie Ecclesie Mexicanen. tunc ab eius primeva erectione per Nos etiam hodie ex parochiali Ecclesia in cathedralem Ecclesiam facta vacanti, de persona dilecti filii Francisci electi Mexicanen., Nobis et fratribus Nostris ob suorum exigentiam meritorum accepta providimus, ipsumque illi praeficimus in Episcopum et Pastorem curam et administrationem ipsius Ecclesiae sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo Apostolica auctoritate de fratrum eorumdem consilio, per alias nostras litteras, prout in illis plenius continetur. Quocirca universitatem vestram rogamus et hortamur attente per Apostolica scripta mandantes quatenus eundem Franciscum electum tamquam Patrem et Pastorem animarum vestrarum grato admittentes honore, et exhibeatis eidem obedientiam et reverentiam debitas et devotas. Ita quod ipse in vobis devotionis filios et vos in eo per consequens Patrem invenisse benivolum gaudeatis. Datum Romae ut supra.

40e

Hodie Ecclesiae Mexicanen.

Reg. Lat. 1544 fol. 8rv — die 2 septembris 1530

Dilectis filiis Clero civitatis et diocesis Mexicanen., salutem etc. Hodie Ecclesiae Mexicanen. tunc ab eius primeva erectione per Nos etiam hodie ex parrochiali Ecclesia in Cathedralem Ecclesiam facta vacanti, de persona dilecti filii Francisci de Cumarraga electi Mexicanen., Nobis et Fratribus Nostris ob suorum exigentiam meritorum accepta providimus, ipsumque illi preficimus in Episcopum et Pastorem curam et administrationem ipsius Ecclesiae Mexicanen. sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo Apostolica auctoritate, de fratrum nostrorum consilio, per alias Nostras Litteras, prout in illis plenius continetur. Quo circa discretionem vestram per Apostolica scripta mandamus quatenus eundem Franciscum electum tamquam Patrem et Pastorem animarum vestrarum grato admittentes honore ac exhibentes sibi obedientiam et reverentiam debitas et devotas eius salubria monita et mandata suscipiatis, humiliter et efficaciter adimplere curetis, alioquin sententiam quam idem Franciscus electus rite tulerit in rebelles ratam habebimus et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum ut supra.

40f

Hodie Ecclesiae vestrae

Reg. Lat. 1544 fol. 8v-9r — die 2 septembris 1530
Icazbalceta App. 13
BM II 253

Dilectis filiis Capitulo Ecclesiae Mexicanen., salutem etc. Hodie Ecclesie vestre Mexicanen. tunc ab eius primeva erectione per Nos etiam hodie ex Parochiali Ecclesia in Cathedralem Ecclesiam facta vacanti, de persona dilecti filii Francisci electi Mexicanen. Nobis et fratribus Nostris ob suorum exigentiam meritorum accepta providimus, ipsumque illi praeficimus in Episcopum et Pastorem curam et administrationem ipsius Ecclesiae sibi in spiritualibus et temporalibus

plenarie committendo Apostolica auctoritate, de fratrum eorundem consilio, per alias Nostras litteras, prout in illis plenius continetur. Quo circa discretionem vestram per Apostolica scripta mandamus quatenus eidem Francisco electo tamquam Patri et Pastori animarum vestrarum humiliter intendentes ac exhibentes sibi obedientiam et reverentiam debitas et devotas eius salubria monita et mandata suscipiatis humiliter et efficaciter adimplere curetis, alioquin sententiam quam idem Franciscus electus rite tulerit in rebelles ratam habebimus et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam, inviolabiliter observari. Datum ut supra.

40g

Hodie Ecclesiae Mexicanen.

Reg. Lat. 1544 fol. 9rv — die 2 septembris 1530

Dilectis filiis universis vassallis Ecclesiae Mexicanen., salutem etc. Hodie Ecclesie Mexicanen. tunc ab eius primeva erectione per Nos etiam hodie ex Parochiali Ecclesia in Cathedralem Ecclesiam facta vacanti, de persona dilecti filii Francisci Mexicanen., Nobis et fratribus Nostris ob suorum exigentiam meritorum accepta providimus, ipsumque illi in Pastorem curam et administrationem ipsius Ecclesiae sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo Apostolica auctoritate, de fratrum eorundem consilio, per alias nostras litteras, prout in illis plenius continetur. Quo circa universitati vestrae per Apostolica scripta mandamus quatinus eundem Franciscum electum tamquam patrem et Pastorem animarum vestrarum devote suscipientes et debitam honorificentiam prosequentes ei fidelitatem solita nec non consueta servitia, et iure sibi reverentiam debitam exhibere integre studeatis, alioquin sententiam sive penam quam idem Franciscus electus rite tulerit in rebelles ratam habebimus et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam.

40h

Apostolicae Sedis consueta clementia

Reg. Lat. 1544 fol. 10r die 2 septembris 1530

Dilecto filio Francisco de Cumaraga ordinis fratrum minorum professori salutem etc. Apostolice Sedis consueta clementia ne dispositiones per eam de cathedralibus ecclesiis pro tempore facte valeant quomodolibet impugnari sed persone ad eas promovende illis puro corde et sincera conscientia presidere possint remedia, prout convenit adhibet opportuna. Cum itaque nos hodie de persona tua nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta ecclesia Mexicanen. ad presens ab eius primeva erectione per nos facta vacantem de fratrum eorundem consilio providere teque illi in episcopum et pastorem preficere intendamus nos ne si forsan aliquibus sententiis, censuris et penis ecclesiasticis ligatus existis provisio et prefectio predicte valeant propterea quomodolibet impugnari providere volentes teque a quibusvis etc. nunciamus etc. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis etc., ceterisque contrariis quibuscumque etc. Nulli ergo etc. Siquis etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo trigesimo, quarto nonas septembris anno septimo.

40i

Cum nos pridie

Reg. Lat. 1544 fol. 10v-11v die 3 septembris 1530

Dilecto filio Francisco electo Mexicanensi, salutem etc. Cum nos pridie Ecclesia Mexicanensis tunc ab eius primeva erectione ex Parochiali Ecclesia in Cathedralem Ecclesiam Mexicanensem per Nos etiam hodie facta vacans de persona tua Nobis et fratribus Nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta providimus, teque illi in Episcopum et Pastorem prefecimus curam et administrationem ipsius Ecclesiae Mexicanensis tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo Apostolica auctoritate, de fratrum eorundem consilio, per alias nostras litteras, prout in illis plenius continetur; Nos ad ea que ad tue commoditatis augmentum cedere conspicimus favorabiliter intendentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi qui ut accepimus ad ipsam Ecclesiam que in Indiis maris Oceani ubi copia episcoporum pro munere consecrationis tibi imponendo necessarium non habetur consistit te [...] ut a quocumque malueris solo catholico Antistite gratiam et communionem Apostolicae Sedis habente in eisdem Indiis residente accitis et in hoc sibi assistentibus duobus tantum vel tribus personis in dignitate ecclesiastica constitutis, seu canonicis quarumcumque Cathedralium Ecclesiarum absque reliquis episcopis in hoc accitis et assistentibus solitis praedictis quocumque die dominico vel festivo, seu feriato munus consecrationis huiusmodi suscipere valeas, ac eidem Antistiti ut recepto prius a te Nostro et Romanae Ecclesiae nomine fidelitatis debitae solito iuramento iuxta formam praesentibus annotatam munus predictum impendere libere tibi possit plenam et liberam facultatem tenore presentium concedimus. Volumus autem et dicta auctoritate statuimus et decernimus quod si non recepto a te per ipsum Antistitem huiusmodi iuramento munus predictum tibi impendere et tu illud suscipere presumpseritis, dictus Antistites a pontificalis officii exercitio et tam ipse quam tu ab administratione tam spiritualium quam temporalium Ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso. Propterea volumus quod formam huiusmodi ad te tunc prestiti iuramenti nobis de verbo ad verbum dignoscitur nullum in posterum preiudicium generetur. Forma autem iuramenti quod prestabis haec est: Ego Franciscus etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno etc. millesimo quingentesimo trigesimo, tertio Nonas Septembris, Anno septimo.

41

Licet alias felicis recordationis

Arm. XL 28 fol. 147r-148r die 30 octobris 1530
Hernáez II 706

STEPHANUS GABRIEL MERINO
PATRIARCHA INDIARUM NOMINATUR

Antonius de Roxas, archiepiscopus Granatensis, ad Ecclesiam Palentinam (*Palencia*) translatus erat. Ne digniori titulo careret, patriarcha in insulis Indiarum nominatus fuerat. Sed nominatio haec effectum non habuit, quia Ecclesia patriarchalis nec constructa nec dotata est. Ideoque nunc Stephanus Gabriel, episcopus Giennensis (*Jaén*) ac inde ab anno 1513 archiepiscopus Barensis (*Bari*), hoc ultimo titulo se dimittens, patriarcha Indiarum nominatur. Etiam antequam Ecclesia patriarchalis constructa fuerit, titulo patriarchae legitime uti potest, et ad solutionem annatae ratione Ecclesiae Giennensis aliorumque beneficiorum non tenetur.

Clemens VII

Venerabili fratri Stephano Gabrieli [1] Patriarche Indiarum, praelato nostro domestico. Venerabilis frater salutem etc. Licet alias felicis recordationis Leo papa X predecessor noster bone memorie Antonium archiepiscopum Granatensem [2] a vinculo, quo ecclesie Grana-

[1] Stephanus Gabriel de Merinis (Merino) natus est in civitate *Jaén*, Hispania, nominatus archiepiscopus de *Bari* die 9 maii 1513 et simul Giennensis (*Jaén*) die 12 iunii 1523 et patriarcha Indiarum Occidentalium. 1522 Nuntius Apostolicus in Gallia, die 19 februarii 1533 Cardinalis. Mortuus est anno 1535, 63 annos natus. *Moroni*, XLIV 240-241.

[2] De Antonio de Rojas cfr. supra doc. 31.

tensis tenebatur, absolverit, seu nos absolverimus, eumque ad ecclesiam Palentinam tunc certo modo vacantem transtulerit seu transtulerimus, illique de persona sua providerit seu providerimus et ne ipse Antonius ad ecclesiam cathedralem translatus digniori titulo careret ad supplicationem Regis Catholici in Insulis Indiarum Patriarcalem ecclesiam erexerit seu erexerimus, et illi ab illius primeva erectione vacanti de persona dicti A[ntonii] episcopi providerit seu nos providerimus. Tamen nec Antonius ipse litteras super erectione et provisione patriarchalis ecclesie expedivit, nec ipsa ecclesia hactenus constructa et dotata fuit. Cumque fraternitas tua, quae ecclesiae Giennensi praeest hodie seu nuper regimini et administrationi ecclesiae archiepiscopalis Barensis in manibus nostris sponte et libere cesserit, nosque cessionem ipsius duxerimus admittendam, ne ipsa fraternitas tua digniori titulo et dignitate careat, postquam ecclesia ipsa patriarchalis sic erecta; adhuc constructa et dotata non fuit donec construatur et dotetur, sicut prefatus Antonius sine litterarum expeditione Patriarcham Indiarum se denominavit et Patriarche nomen habuit; ita eidem fraternitati tuae de cuius persona eidem ecclesiae erectae per presentes providemus, concedendum duximus, prout etiam auctoritate apostolica concedimus, ut donec dicta ecclesia Patriarchalis sic erecta actualiter constructa et dotata non fuerit se Patriarcham Indiarum denominare et inscribere possit et valeat. Ita tamen quod ante illius constructionem et dotationem ad solutionem annatae ratione ecclesie Giennensis et aliorum quorumcumque beneficiorum et prestimoniorum per eam obtentorum nullatenus teneatur, nec ad illius solutionem cogi et compelli possit. Decernentes ecclesiam Giennensem predictam et beneficia ecclesiastica per te obtenta ac in quibus et ad quae ius tibi competit, quecumque quotcumque et qualiacumque sint; necnon pensiones annuas, quas percipis, reservationes fructuum ac regressus, accessus et ingressus seu ius regrediendi et accedendi vel alias tibi concessum et reservatum propterea non vacare nec cessere, sed regressibus et accessibus et aliis indultis tibi concessis libere uti et gaudere et beneficia ipsa et prestimonia retinere, sicque ab omnibus etiam S.R.E. cardinalibus iudicari et sententiari debere, sublata eis et eorum cuilibet aliter sententiandi et interpretandi facultate, irritum quoque et inane si secus a quoquam scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Concedentes etiam nihilominus eidem fraternitati tuae quatenus Patriarcham se denominare [...] ac omnibus privilegiis, immunitatibus, gratiis et antelationibus quibus alii Patriarche potiuntur et gaudent, uti, potiri et gaudere possit et valeat. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod postquam dicta Patriarchalis ecclesia

constructa sive dotata fuerit, tu bullas super illa infra biennium expedire et iura Camerae ac officialium solvere tenearis, alioquin ecclesia ipsa et alia beneficia quae obtinens vacare censeantur. Datum Romae etc., die 30 octobris 1530, anno 7mo [3].

---

[3] Circa quaestionem patriarchatus cfr. *L. Frías,* El patriarcado de las Indias occidentales. In: Estudios eclesiásticos 1 (1922) 197-318; 2 (1923) 24-47. — *Leturia,* Relaciones I 78.

42

Cum itaque dilectus

Bull. Praed. IV 439 die 2 decembris 1530
BM II 1146

INDULGENTIAE CONCEDUNTUR

Franciscus de Sancta Cruce, Ordinis Fratrum Praedicatorum, capellam sub invocatione Beatae Mariae de Rosario in ecclesia Dominicanorum in civitate *México* construxit. Summus Pontifex ipsi Francisco, fratri germano eius Alvaro de Sancta Cruce ac fidelibus, capellam devote visitantibus et eleemosynam donantibus, certis annis diebus, indulgentias concedit.

Clemens VII

Universis christifidelibus presentes litteras inspecturis, salutem et Apostolicam benedictionem. Cum itaque dilectus in Christo filius Franciscus de Sancta Cruce civis Burgen., pia devotione erga Virginem Mariam inductus, quandam capellam sub invocatione eiusdem Beatae Mariae de Rosario in ecclesia Sancti Dominici Mexicanen. Ordinis Fratrum Praedicatorum, construi et aedificari facere et ad ipsam

capellam, tam Franciscus praefatus, quam etiam frater germanus illius dilectus etiam filius Alvarus de Sancta Cruce gerunt singularem erga Dei genitricem devotionis affectum, cupientes, quod ipsa capella, congruis frequentetur honoribus etc. singulis in nativitate Domini nostri Iesu Christi et Annunciationis eiusdem gloriosae Virginis Mariae, ac omnium Sanctorum et S. Dominici ac S. Francisci festivitatibus a primis vesperis, usque ad occasum solis singulorum festorum eorumdem huiusmodi devote visitaverint et manus porrexerint adiutrices etc., decem annos et totidem quadragenas etc. praesentibus perpetuis, futuris temporibus etc. duraturis etc. Datum Romae apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominice millesimo quingentesimo trigesimo, quarto nonas decembris, Pontificatus nostri anno octavo.

43

Personam dilecti filii

Reg. Lat. 1528 fol. 215v-217r — die 9 ianuarii 1531

DE ABBATIA, CONVENTU ET COLLEGIO
CIVITATIS *HAVANA* (*HABANA*)

Clemens VII

Venerabilibus fratribus archiepiscopo Ispalen. et episcopo Castellamar. ac dilecto filio decano ecclesie Cuben. salutem etc. [1] Personam dilecti filii Michaelis [2] electi Cuben. nobis et Apostolice Sedis devotam sui exigentibus meritis paterna benivolentia prosequentes illa sibi

[1] Documentum hoc legi vix potest.
[2] Michael Ramirez, OP. De eo cfr. infra doc. 44.

libenter concedimus que suis commoditatibus fore conspicimus opportuna. Cum itaque sicut accepimus abbatia, conventus et colegium ecclesie de Havana Cuben. diocesis in insula Sancti Iacobi nuncupata consistentia, que de iure patronatus charissimi in Christo filii nostri Caroli Romanorum Imperatoris semper Augusti necnon temporali dominii dicte insule [...] ex privilegio Apostolico cui non est actenus in aliquo derogatum fore dinoscitur eique quod Petrus [...] per obitum ipsius Petri qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum [...] eidem Michaeli electo qui [...]stere Theologie professor et [...]elle prefatum Carolum Imperatorem predictum existit ut [...] littere de quorum [...] tenore [...] ipsumque Michaelem electum [...] abbatem predictum que [...] fructus, redditus et proventus vigintiquatuor ducatos auri de Camera secundum communem exstimationem valorem annuum ut ipse Michael electus [...] eidem Michaeli electo quam idem Carolus Imperator ad abbatiam predictam sic vacantem nobis per tuas litteras [...] Cuben. nuncupato tunc certo modo pastoris [?] [...] de fratrum nostrorum consilio Apostolica auctoritate providimus preficiendo illius episcopum et pastorem [...]. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo trigesimo, quinto idus ianuarii anno octavo.

44

Exponi nobis nuper fecisti

Arm. XL 32 fol. 89r — die 31 ianuarii 1531

EPISCOPO CUBENSI FACULTAS BENEFICIA ECCLESIASTICA ETIAM RELIGIOSIS CONFERRE CONCEDITUR

In insula *Cuba* non sunt sacerdotes saeculares numero sufficienti ut omnia beneficia ecclesiastica eis conferri possint. Ideoque Cardinalis Joannes Garcías de Loyasa OP, praeses Consilii Indiarum, nomine episcopi Cubensis, Summum Pontificem supplicavit, ut ista beneficia etiam sacerdotibus Ordinum religiosorum conferri possint. Clemens Papa VII precibus annuit.

Clemens VII

Dilecto filio Michaeli [1] electo Cubensi.

Dilecte fili, salutem etc. Exponi nobis nuper fecisti quod in insula in qua Ecclesia tua Cubensis consistit, nonnulle parrocchiales ecclesie et alia beneficia curata existunt, et in dies alia beneficia, concedente Domino, erigi sperantur, et cum ibi non sint tot presbiteri seculares, quibus beneficia ipsa secularia conferri possint, desideras pro salute animarum, donec ibi fuerint presbiteri seculares, illa religiosis, quoruncunque etiam Mendicantium Ordinum conferre posse. Quare dilectus filius noster Garsias [2], tituli Sancte Susanne presbiter cardinalis, qui consilii Indiarum charissimi in Christo filii nostri Caroli, Romanorum Imperatoris semper Augusti, illarum dominii temporalis presidens existit, tuo nomine nobis humiliter supplicavit ut pro christifidelium animarum salute in premissis oportune providere, de benignitate Apostolica dignaremur. Nos, itaque, huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi omnia beneficia secularia et regularia hactenus erecta et imposterum erigenda, si non fuerint presbiteri, seu clerici seculares ydonei, quibus illa per te conferri possint ea quoruncunque Ordinum etiam Mendicantium religiosis conferendi licentiam et facultatem concedimus auctoritate Apostolica tenore presentium; et cum dictis religiosis quibus illa parte conferri contigerit ut illa recipere et retinere possint et valeant auctoritate et tenore predictis dispensamus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ac statutis et consuetudinibus dictorum Ordinum iuramento, confirmatione Apostolica roboratis, necnon privilegiis illis forsan concessis, quibus quantum opus sit hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae ultima ianuarii 1531, anno 8°.

---

[1] Michael Ramírez, OP, die 7 novembris 1530 nominatus est episcopus Cubensis seu Sancti Iacobi de *Cuba*; praesentatus fuerat a Rege Hispaniae die 1 ianuarii 1527, quia episcopus Ioannes de Witte (Ubita) die 4 aprilis 1525 de munere abdicaverat (cfr. BM II n. 215). De activitate Michaelis in favorem Indorum cfr. BM II, passim.

[2] Ioannes Garcias de Loyasa natus est circa annum 1480 in civitate *Talavera de la Reina*, provincia *Toledo*, Ordini Fratrum Praedicatorum nomen dedit, anno 1518 electus est Minister Generalis eiusdem Ordinis, 1524 episcopus de *Osma*, anno 1530 cardinalis creatus, 1532 episcopus de *Sigüenza*, 1539 archiepiscopus de *Sevilla*, praesidens ipsius *Consejo de Indias y de la Cruzada;* mortuus est die 21 aprilis 1546 in *Madrid.*

45

Exponi nobis nuper fecisti

Arm. XL 32 fol. 96r die 2 februarii 1531

PROVISIO PRO RECONSTRUCTIONE ECCLESIAE COMBUSTAE

Ecclesia in insula *Cuba*, palleis instar tugurii constructa, saepius iam combusta fuit, et etiam nunc combusta manet. Episcopus electus Michael Ramírez ideoque supplicavit Summum Pontificem, ut duomila pondera, quae gubernator Didacus Velazquez reliquit ac in operibus piis converti mandavit, a possessoribus praesentibus exigere ac pro constructione ecclesiae impendere possit. Quod Clemens papa VII, qui *fabricis ecclesiarum praesertim cathedralium provideri* desiderat, annuit.

Clemens VII

Dilecto filio Michaeli electo Cubensi.

Dilecte fili, salutem etc. Exponi nobis nuper fecisti quod si duomilia pondera auri monete Indiarum summam duorum milium sexcentorum ducatorum auri constituentia que quondam Didacus Velazquez insule in qua Ecclesia tua Cubensis consistit gubernator reliquit penes Rodericum de Madrigal et alias personas in dicta insula residentes existentia que ipse Didacus in operibus piis converti mandavit in fabricam tue Ecclesie palleis instar tugurii constructe, que propterea sepius combusta fuit, prout adhuc combusta manet, et que nova indiget constructione, converterentur ea procul dubio, in satis pium opus converti dicerentur. Quare pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut dicta duomilia pondera in fabricam dicte Ecclesie converti mandare de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui fabricis Ecclesiarum presertim cathedralium provideri desideramus huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi duomilia pondera pre-

dicta penes Rodericum et alias personas quarum nomina et cognomina pro expressis haberi volumus existentia ab eis exigenti et eos ad illa tibi porrigendum censuris ecclesiasticis et aliis iuris remediis compellendi et postquam illos exegeris in dictam fabricam convertendi auctoritate Apostolica tenore presentium licentiam et facultatem concedimus ac fabricam ipsam in locum piorum operum huiusmodi surrogamus. Non obstantibus premissis ac constitutionibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscunque. Datum Romae die II februarii 1531, anno 8.

46

Exponi nobis nuper fecisti

Arm. XL 32 fol. 105r — die 4 februarii 1531

CIRCA VICTUS EPISCOPI CUBENSIS

Episcopus electus Cubensis Michael Ramírez supplicavit, ut canonicatum et praebendam, quibus ante electionem gaudebat, retinere posset, quia fructus Ecclesiae Cubensis adeo tenues sunt, ut episcopum sustinere non valeant. Quod Summus Pontifex benigne annuit.

Clemens VII

Dilecto filio Michaeli electo Cubensi.

Dilecte fili, salutem etc. Exponi nobis nuper fecisti quod fructus Ecclesiae Cubensis, cui nuper tunc vacanti de persona tua providimus, sint adeo tenues, quod ex illis et cuiusdam abbatie quam obtines te commode sustentare non vales et propterea desideras canonicatum et prebendam, ac dignitatem dicte tue Ecclesie, una cum Ecclesia ipsa retinere posse. Quare pro parte tua, nobis fuit humiliter supplicatum ut super his tibi oportune providere de benignitate Apostolica digna-

remur. Nos itaque huiusmodi supplicationibus inclinati tecum, ut canonicatum et prebendam ac dignitatem dicte Ecclesie ad collationem tuam pertinentes, si tibi per vicarium tuum ad hoc deputandum, super quo facultatem sibi concedimus, conferantur recipere, et una cum Ecclesia et abbatia predictis, quoad vixeris retinere libere et licite valeas auctoritate Apostolica tenore presentium dispensamus. Non obstantibus generalis Concilii, ac aliis constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, necnon statutis et consuetudinibus dicte Ecclesie, iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, quique Ordinis Predicatorum professor existis, ceterisque contrariis quibuscunque. Proviso quod canonicatus et prebenda, ac dignitas predicti debitis non fraudentur obsequiis et animarum cura in dignitate, si qua illi immineat nullatenus negligatur. Datum Romae, die IIII februarii 1531, anno 8°.

47

Exponi nobis nuper fecisti

Arm. XL 32 fol. 116r — die 4 februarii 1531

AMPLISSIMAE FACULTATES EPISCOPO CUBENSI CONCEDUNTUR

Michaeli Ramírez episcopo Cubensi Summus Pontifex, pro salute animarum, iurisdictionem spiritualem in omnes clericos et alias personas suae dioecesis tradit ac facultates absolvendi eos a censuris et poenis ac dispensandi ab irregularitate, necnon licentiam duos Religiosos sui Ordinis Praedicatorum secum retinendi concessit.

Clemens VII

Dilecto filio Michaeli electo Cubensi.

Dilecte fili, salutem etc. Exponi nobis nuper fecisti quod in insu-

la, in qua Ecclesia tua Cubensis consistit, sunt quam plures clerici et alie persone seculares et ecclesiastice tue civitatis et diocesis non existentes, in quos iurisdictionem tuam spiritualem exercere posse dubitas. Et propterea pro salute animarum earumdem iurisdictionem spiritualem exercere, ac eas et omnes et singulas personas tuarum civitatis et diocesis a quibusvis excommunicationis sententiis, censuris et penis, et aliis casibus etiam Sedi Apostolice reservatis, exceptis contentis in bulla Cene Domini, absolvendi et super quacunque irregularitate preterquam ratione homicidii voluntarii et bigamie dispensandi, ac ecclesiastica sacramenta ministrandi et crismatis sacramento confirmandi, ac duos religiosos tui Ordinis tecum retinendi licentiam tibi concedi desideras. Quare pro parte tua, nobis fuit humiliter supplicatum ut super his providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur saluti animarum christifidelium consuli prout nostro pastorali incumbit officio, desiderantes huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi in omnes et singulas personas in dicta insula existentes alteri episcopo non subiectas iurisdictionem spiritualem exercendi, ac illas et alias tuarum civitatis et diocesis a quibusvis criminibus, delictis et peccatis quantuncunque gravibus et dicte Sedis reservatis, exceptis contentis in dicta bulla Cene Domini, et aliis censuris et penis absolvendi, ac cum eis super irregularitate humana dispensandi. Necnon duos religiosos tui Ordinis Predicatorum, cuius professor existis, tecum retinendi donec tibi placuerit auctoritate Apostolica tenore presentium licentiam et facultatem concedimus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, necnon statutis et consuetudinibus dicti Ordinis, cuius professor, ut prefertur, existis, iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque et indultis dicto Ordini concessis, quibus quantum opus sit, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscunque. Datum Romae IIII februarii 1531, anno 8.

48

Licet per alias nostras

Arm. XL 32 fol 115r — die 8 februarii 1531

DE ORDINATIONE EPISCOPI CUBENSIS

Quia propter magnam distantiam insulae Cubensis a ceteris dioecesibus, duo vel tres episcopi assistentes episcopo consecranti facile haberi non possunt, Summus Pontifex providit, ut loco episcoporum assistentium, canonici vel aliae personae in dignitate ecclesiastica constitutae aut saltem presbyteri, Antistiti consecranti assistere possint.

Clemens VII

Dilecto filio Michaeli electo Cubensi.

Dilecte fili, salutem etc. Licet per alias nostras sub plumbo confectas litteras tibi, de cuius persona nuper Ecclesiae Cubensi tunc certo modo pastore carenti de fratrum nostrorum consilio providimus preficiendo te illi in episcopum et pastorem, a quacumque malles catholico Antistite gratiam et communionem Apostolice Sedis habente ascitis [sic] et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus aliis catholicis episcopis similes gratiam et communionem habentibus munus consecrationis recipiendi, et prefato Antistiti illud tibi impendendi facultatem concesserimus, prout in illis plenius continetur. Quia tu, sicut nobis exponi fecisti diocesis propinquior insule, in qua Cubensis Ecclesia consistit sexcentum miliaribus et ultra distat tot Antistites susceptione muneris huiusmodi nullatenus convenire possent. Quare nobis fecisti humiliter supplicari ut desuper indemnitati tue providere dignaremur. Nos igitur, ne susceptio dicti muneris propterea retardetur, oportune providere volentes huiusmodi supplicationibus inclinati litteras predictas quoad hoc, ut loco dictorum episcoporum assistentium si illi reperiri nequeant duo canonici seu in dignitate constituti, aut saltem duo presbiteri Cubenses, seu aliarum cathedralium ecclesiarum Antistiti munus huiusmodi tibi impensuro assistere possint Apostolica auctoritate tenore presentium licentiam et facultatem concedimus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ac omnibus illis que in dictis litteris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscunque. Datum Romae, die VIII februarii 1531, anno 8.

49

Meritis tuae devotionis

Arm. XL 32 fol. 117r die 8 februarii 1531

PATRIARCHAE INDIARUM FACULTAS RETINENDI TITULUM ARCHIEPISCOPI BARENSIS CONCEDITUR

Stephanus Gabriel Merinus sponte regimini Ecclesiae Barensis [*Bari*] renuntiavit et patriarcha Ecclesiae Indiarum Occidentalium nominatus est, sed Summum Pontificem supplicavit, ut titulum archiepiscopi Barensis, sub quo apud diversas nationes notus est, retinere posset. Quod Clemens VII ei benigne ad vitam concedit, simul cum omnibus privilegiis ei tamquam archiepiscopo Barensi olim concessis, ea tamen condicione, ut Cardinalis Hieronymus Grimaldis, administrator Ecclesiae Barensis, consentiat.

Clemens VII

Venerabili fratri Stephano Gabrieli Patriarche Indiarum.

Venerabilis frater, salutem etc. Meritis tue devotionis inducimur ut votis tuis, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Cum nuper fraternitas tua regimini et administrationi ecclesie Barensis, cui tunc preeras in manibus nostris sponte et libere cessisses nosque cessione huiusmodi adnuentes dilectum filium nostrum Hieronimum tituli Sancti Georgii ad Vellus Aureum dyaconum cardinalem de Grimaldis perpetuum administratorem dicte ecclesie, de fratrum nostrorum consilio consueverimus et deputavimus, ac de parte tua patriarchalis ecclesia Indiarum, tunc vacanti, providerimus prout in aliis nostris litteris plenius continetur, desideras tamen premio zelo et

amore, quo dictam ecclesiam Barensem tamquam primam sponsam tuam, que te archiepiscopali dignitate decoravit prosequeris, nomen seu cognomen archiepiscopi Barensis retinere cum pro tali apud diversas nationes notus fueris, et te archiepiscopum Barensem denominare possis, nobis humiliter supplicari fecisti, ut tibi desuper de opportuno remedio providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos itaque huiusmodi supplicationibus inclinati tibi, ut quoad vixeris te archiepiscopum Barensem inscribere et nominare ac titulo archiepiscopi necnon omnibus et singulis privilegiis, prerogativis, gratiis, concessionibus et indultis tibi hactenus tamquam archiepiscopo Barensi concessis et imposterum concedendis uti, frui et gaudere, ac si dictam Barensem ecclesiam minime resignasses, sive tamen dicti cardinalis in hoc expresse consentientis, seu alterius sui successoris preiudicio libere et licite possis et valeas, auctoritate Apostolica tenore presentium concedimus et indulgemus. Non obstantibus premissis, necnon constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscunque. Datum Rome die 8 februarii 1531 anno 8.

50

Cum nos pridem

Arm. XL 35 fol. 7r — die 5 iunii 1531
Arm. XXVIII Div. Cam. 92 fol. 61rv

ECCLESIAE LEGIONENSIS IN NICARAGUA PROVISIO

Episcopus electus Ecclesiae Legionensis in *Nicaragua*, Didacus Álvarez Osorio, iam ante expeditionem Litterae Apostolicae suae nominationis regimen et administrationem dioecesis sibi assumere ac redditus et proventus mensae episcopalis percipere potest, ne Ecclesia illa ob nimiam distantiam in remotissimis Indiarum maris Oceani partibus detrimenta patiatur. Clerus ac fideles ei tamquam futuro patri animarum suarum monita et mandata eius suscipere et adimplere iam nunc debent.

Clemens VII

Dilecto filio Didaco Alvarez Osorio [1] electo Legionensi provincie de Nicaragua.

Dilecte fili salutem etc. Cum nos pridem de persona tua nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta Ecclesie Legionensi provincie de Nicaragua ab eius primeva erectione de parrochiali in Cathedralem ecclesiam per nos facta vacanti de fratrum eorundem consilio providerimus preficiendo te illi in episcopum et pastorem, prout in litteris sub plumbo expediendis latius explicabitur, nos, ne interim dum littere super provisione et prefectione sub plumbo huiusmodi expediuntur, dicta ecclesia Legionensis, que in remotissimis Indiarum maris Occeani partibus consistit, detrimenta sustineat providere, ac tuis commodis paterne consulere volentes motu proprio tibi etiam ex nunc, ut vigore presentium possessionem, seu quasi regiminis et administrationis, ac bonorum dicte ecclesie apprehendere, ac fructus, redditus et proventus illius mense episcopalis percipere, exigere et levare, ac in tuos usus et utilitatem convertere libere et licite valeas, Apostolica auctoritate tenore presentium concedimus et indulgemus. Mandantes dilectis filiis capitulo et vassallis ipsius ecclesie, necnon clero et populo civitatis et diocesis Legionensis , ut tibi tamquam futuro patri animarum suarum, et pastori humiliter intendentes, tua salubria monita et mandata suscipere et efficaciter adimplere, ipsique vassalli consueta servicia et iura tibi ab eis debita integre exhiberi procurent alioquin sententiam sive penam, quam rite tuleris seu statueris in rebelles ratam habebimus et faciemus auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii papae VIII predecessoris nostri iniuncte incipiente, et aliis constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem quod infra biennium a data presentium computandum, litteras sub plumbo ut prefertur in totum expedire et iura Camere Apostolice ac fratrum eorundem ac Romane curie officialium collegiis propterea debita persolvere tenearis, alioquin provisio et prefectio ipsi nullius sint roboris vel momenti. Datum Rome etc., die 5 iunii 1531, anno 8.

---

[1] Didacus Álvarez de Osorio breve tempus solummodo dioecesi praeerat, quia nonnisi die 5 decembris 1536 munus consecrationis suscepit et iam anno sequenti mortuus est. — Ad provisionem istam cfr. quoque documenta Arm. XXVIII 92 fol. 61v et Arm. XXXIV 25 fol. 73rv.

51a

Apostolatus officium

Reg. Lat. 1547 fol. 39r-40r die 21 iunii 1531

PROVISIO ECCLESIAE CORENSIS

Ecclesiae Corensi *hodie in provincia Benezuela* erectae, quae est de iure patronatus imperatoris, Summus Pontifex Rodericum de Bastidas, decanum Ecclesiae Sancti Dominici, in episcopum et pastorem animarum praeficit. Electo episcopo absolutio a censuris et poenis ecclesiasticis quibus forsan ligatus existit impertitur, ne provisio iudicialiter deputari valeat; eique licentia conceditur, ut proventus beneficii ecclesiastici Ecclesiae Sancti Dominici retinere possit; facultas quoque ei conceditur, ut a quocumque maluerit catholico Antistite munus consecrationis suscipere possit, assistentibus sibi duobus vel tribus episcopis, iuramento fidelitatis consueto ritu praestito. Provisionem hanc Summus Pontifex imperatori et reginae nuntiat, favorem regium et tutamen pro electo episcopo expostulans. Archiepiscopo Hispalensi quoque, cui Ecclesia Corensis ut suffraganea subest, provisio communicatur.

Clemens VII

Dilecto filio Roderico [1] electo Coren. salutem etc. Apostolatus

[1] Rodericus de Bastidas, decanus Ecclesiae Sancti Dominici, nominatus episcopus Ecclesiae Corensis, dioecesi praeerat usque ad annum 1541, quando translatus est ad Ecclesiam de *Puerto Rico*. — Cfr. *N.E. Navarro,* El primer obispo de Venezuela. Don Rodrigo Bastidas. In: Boletín de la Academia Nacional de la Historia XIV (Caracas 1931) 270-281. — *J. Meier,* Don Rodrigo de Bastidas (1498-1569), Bischof von Venezuela und Puerto Rico, Schirmherr der Indios. In: Ecclesia Militans. Studien zur Konzilien- und Reformationsgeschichte Remigius Bäumer zum 70. Geburtstag gewidmet (Paderborn 1988) 519-537. — *Egaña* 22-24.

officium meritis licet imparibus nobis ex alto commissum quo ecclesiarum omnium regimini divina dispositione presidemus utiliter exequi

---

Testimonium iuramenti praestiti et visitationis ad limina peractae

Universis etc. universitati vestre et auctoritate vestrum notum facimus et attestamur per presentes, quod cum reverendus pater dominus Rodericus de Baztidas, Dei et Apostolice Sedis gratia episcopus Corensis, iuramentum quod sanctissimo Domino Nostro et sancte Romane Ecclesie dum sibi munus consecrationis impenderet prestare eidem formam iuramenti huiusmodi de verbo ad verbum, per suas patentes litteras eidem sanctissimo domino Nostro Papa mittere, ac de biennio in biennium, limina beatorum Apostolorum Petri et Pauli, per se aut eius nuncium visitare teneatur, hinc est quod prefatus reverendus pater dominus Rodericus episcopus, iuramentum predictum, anno a nativitate Domini millesimo quingentesimo trigesimo secundo, indictione quinta, die vero dominica trigesima mensis Iunii, in manibus illustris et reverendi patris domini Francisci de Mendoca, episcopi Zamorensis, sacre Cesaree maiestatis conciliarii in ecclesia collegiali Sancti Americii oppidi Metine del Campo, Salamantine diocesis, cum ea qua decuit reverentia latis corporaliter sacrosanctis Evangeliis prestitit, prout per ipsius reverendi patris domini Roderici episcopi patentes litteras sigillo suo munitas, manuque sua propria, ac domini Iohannis de Herozco, clericus Cordubensis, publici Apostolica auctoritate notarii, subscriptas recognitas, et penes infrascriptum notarium dimissis plena extitit facta fides, necnon die datum presentium limina beatorum Apostolorum predicta, per venerabilem virum dominum Lazarum Garsie, clericum Hyspalensem, ad hoc ab eo specialiter deputatum, ut constat per litteras sub ultima die mensis novembris anni 1533 confectas, suaque propria manu subscriptas, et eidem Lazaro directas, ac eius copia quod capitulum deputationem huiusmodi continentem cum eius originali in lingua hyspana scriptum, et per venerabilem virum dominum Alfonsum Gometii interpretatum, penes eundem [...] notarium dimissa cum simili reverentia visitavit. Ne et tamen etc., et insuper etc., in quarum etc. Datum Romae in Camera Apostolica, die undecimo Maii 1534, Pontificatus domini Clementis papae VII anno undecimo (Arm. XXVIIII Div. Cam. 96 fol. 43rv).

Testimonium visitationis ad limina rite peractae

Augustinus Spinola etc. Universis et singulis universitati vestre notum facimus et attestamur per presentes, quod cum reverendus in Christo pater dominus Rodericus de Bastidas, Dei et Apostolice Sedis gratia episcopus Corensis in partibus Indie, limina beatorum Apostolorum Petri et Pauli ratione dicte ecclesie Corensis singulo triennio visitare teneatur. Hinc est quod prefatus dominus Rodericus pro uno triennio incepto, die undecima mensis maii proxime preteriti et, ut sequitur, finiendo per dominum Lazarum Garsie clericum Ispalensem specialiter ad hoc per eundem reverendum dominum Rodericum deputatum per litteras manu, eiusdem lingua ispanica scriptas, eidem Lazaro directas sub die Xa septembris 1536 et fideliter interpretatas per dominum Alfonsum Gometii, ac recognitas, et eius copia quo ad capitulum concerneris visitare huiusmodi Camere Apostolice notarium dimissa limina predicta, ad honore et reverentia debitis die date presentium visitavit, nihil tamen Camere Apostolice gratia visitare huiusmodi obtulit vel servivit. Et insuper eundem reverendum dominum Rodericum a censuris et penis ecclesiasticis si quas forsan propterea incurrerit absolvimus et liberamus, in quorum fidem etc. Datum Romae in Camera Apostolica die XIII mensis augusti 1537, Pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini Nostri domini Pauli divina providentia papae tertii anno tertio (Ibid. 98 fol. 186r).

quoadiuvante Domino cupientes soliciti corde reddimur et solertes ut cum de Ecclesiarum ipsarum regiminibus agitur comittendis tales eis in pastores preficere studeamus, qui populum sue cure creditum sciant non solum doctrina verbi, sed etiam exemplo boni operis informare commissasque sibi Ecclesias velint ac valeant, auctore Domino, salubriter regere et feliciter gubernare. Dudum siquidem provisiones ecclesiarum omnium apud Sedem Apostolicam tunc vacantium et in antea vacaturarum ordinationi et dispositioni nostre reservavimus decernentes extunc irritum et inane etc. attentari. Postmodum vero Ecclesia Coren. quam nos hodie in provincia Benezuela nuncupata in partibus terrae firmis maris oceani consistente ex certis causis de fratrum nostrorum consilio apostolica auctoritate ereximus ac instituimus et ad quam quotiens illa ea primevá vice excepta, vacare contigerit ius patronatus presentandi personam idoneam carissimo in Christo filio nostro Carolo Romanorum Imperatori semper augusto qui etiam Castelle et Legionis rex existit et pro tempore existenti Castelle et Legionis regi de simili consilio dicta auctoritate reservavimus et concessimus apud sedem predictam vacante. Nos ad provisionem dictae ecclesie celerem et felicem de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit sive potest reservatione et decreto obsistentibus supradictis ne longe vacationis exponatur incommodis paternis et solicitis studiis intendentes post deliberationem quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam cum eisdem fratribus habuimus diligentem, demum ad ecclesiam Sancti Dominici Insule la Spagnola nuncupate in presbiteratus ordine constitutum et de nobili genere ex utroque parente procreatum, cui apud nos de litterarum scientia, vitae mundicia, honestate morum, spiritualium providentia et temporalium circumspectione, aliisque multiplicum virtutum donis fidedigna testimonia perhibentur dreximus oculos nostre mentis quibus omnibus debita meditatione pensatis de persona tua nobis et fratribus praedictis ob tuorum exigentiam meritorum accepta eidem ecclesie Coren. de simili ipsorum fratrum consilio dicta auctoritate providemus teque illi in episcopum preficimus et pastorem curam, regimen et administrationem ipsius ecclesie Coren. tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo de illo qui dat gratias et largitur premia confidentes quod dirigente Domino actus tuos prefata ecclesia Coren. sub tuo felici regimini regetur utiliter et prospere dirigetur ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Iugum igitur Domini tuis impositum humeris prompta devotione suscipiens curam et administrationem predictas sic exercere studeas solicite, fideliter et prudenter quod ecclesia ipsa Coren. gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam tuque preter eterne

retributionis premium nostram et dicte sedis benedictionem et gratiam exinde consequi merearis. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo trigesimo primo, undecimo kalendas iulii anno octavo.

51b

Apostolicae Sedis consueta clementia

Reg. Lat. 1547 fol. 40rv die 21 iunii 1531

Dilecto filio Roderico de Bastidas decano Ecclesiae Sancti Dominici insula la Spagniola nuncupata salutem etc. Apostolice Sedis consueta clementia ne dispositiones per eam de cathedralibus ecclesiis pro tempore facte valeant quomodolibet impugnari sed persone ad eas promovende illis puro corde et sincera conscientia presidere valeant remedia prout convenit adhibet opportuna. Cum itaque nos hodie Ecclesiae Corensi quam nos hodie in provincia Venezuela nuncupata in partibus terre firmis maris oceani consistente de fratrum nostrorum consilio apostolica auctoritate ereximus a primeva eius erectione huiusmodi vacanti de persona tua nobis et fratribus ipsis ob tuorum exigentiam meritorum accepta de simili fratrum eorumdem consilio dicta auctoritate providere, teque illi in episcopum et pastorem preficere intendimus nos, ne provisio et prefectio predicte, si forsan aliquibus sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis ligatus existis, valeant propterea judicialiter deputari, providere volentes teque a quibusvis etc. nuntiamus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo etc. Si quis etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo trigesimo primo, undecimo kalendas iulii anno octavo.

51c

Personam tuam

Reg. Lat. 1547 fol. 41r-42r die 21 iunii 1531

Dilecto filio Roderico electo Coren. salutem etc. Personam tuam nobis et Apostolice Sedis devotam tuis exigentibus meritis paterna benivolentia prosequentes illa tibi favorabiliter concedimus que tuis commoditatibus fore conspicimus opportune. Cum itaque nos hodie ecclesie Coren. quam nos hodie in provincia Benezuela nuncupata partibus terre firmis maris Oceani consistente de fratrum nostrorum consilio Apostolica auctoritate ereximus a primeva eius erectione vacanti de persona tua nobis et eisdem fratribus ob tuorum exigentiam meritorum accepta de simili ipsorum fratrum consilio dicta auctoritate providimus preficiendo te illi in episcopum et pastorem, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur; et sicut accepimus tu tempore provisionis et prefectionis predictarum decanatum ecclesiae Sancti Dominici insula La Spagnola nuncupata obtineres prout obtines nos tibi et statum tuum iuxta pontificalis dignitatis exigentiam decentius tenore valeas de alias subventionis auxilio providere teque premissorum meritorum tuorum intuitu gratioso favore prosequi volentes teque, a quibusvis excommunicationis censentes motu proprio non ad tuam vel alterius pro te nobis super hoc oblate petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate tecum ut etiam postquam vim provisionis et prefectionis predictarum pacificam possessionem seu quasi regimini administrationis dicte ecclesie Coren. et illius bonorum seu maioris partis eorum assecutus fueris, ac munus consecrationis susceperis una cum dicta ecclesia Coren. decanatum predictum qui inhibi dignum post [...] maior existit et cum fructu, redditu et proventu viginti quatuor ducati auri de Camera secundum communem existimationem valorem annuum, ut etiam accepimus, non excedunt sine premisso sine alio quovis modo etiam si ad illud consuevi [...] eiusque [...] etiam [...] dicta ecclesia Coren. commode substineri possis retinere li-

bere et licite valeas, ita quod postquam dicta ecclesia pro tui decenti subst [...] de congrua dote per carissimum in Christo filium nostrum Carolum Romanorum Imperatorem semper augustum qui etiam Castelle et Legionis rex existit [...] extunc eo ipso vacare censeatur per [...] prefato Carolo Imperatori grate provideri possit generalis concilii et quibusvis aliis Apostolicis constitutionibus et dicte ecclesie Sancti Dominici iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus ceterisque contrariis nequaquam obstantibus dicta auctoritate Apostolica tenore presentium de specialis dono gratie dispensamus. Decernentes decanatum predictum propterea nisi [...] ecclesia Coren. huiusmodi commode substineri possis, ut prefertur, non vacare irritum quoque et inane si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentati proviso quod [...] dictum decanatum debere propterea non fraudentur obsequiis et animarum cura in eo si qua illi [...] nullatenus neglegatur, sed eius congrue supportentur onera consueta. Nulli ergo etc. Siquis etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo trigesimo primo, undecimo kalendas iulii anno octavo.

51d

Cum nos pridem

Reg. Lat. 1547 fol. 42r-43r — die 21 iunii 1531

Dilecto filio Roderico electo Coren. salutem etc. Cum nos pridem ecclesie Coren. quam nos nuper in provincia Benezuela nuncupata in partibus terre firmis maris oceani consistente pro uno episcopo Coren. nuncupato qui archiepiscopo Ispalen. pro tempore existente iure metropolitico subesset de fratrum nostrorum consilio Apostolica auctoritate ereximus tunc a primeva erectione huiusmodi vacanti de persona tua nobis et eisdem fratribus ob tuorum exigentiam meritorum accepta de simili consilio duxerimus providendum preficiendo te

illi in episcopum et pastorem prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Nos ad ea que ad tue commoditatis augmentum cedere valeant favorabiliter intendentes tuis in hac parte supplicationibus inclinati tibi ut a quocumque malueris catholico antistite gratiam et communionem dicte Sedis habente accitis in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus catholicis episcopis similes gratiam et communionem habentibus munus consecrationis recipere valeas, ac eidem antistiti ut recepto prius per eum ad te et fideles nostro et Romane ecclesie nomine a te fidelitatis debite solito iuramento iuxta formam presentibus annotatam munus predictam auctoritate nostra impendere libere et licite possit plenam et liberam concedimus earumdem presentium tenore facultatem. Volumus autem et predicta auctoritate statuimus et decernimus quod si non recepto a te per ipsum episcopum dicto iuramento munus ipsum impendere et tu illud suscipere presumpseritis tam ipse quam tu ab administratione ipsarum ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso. Propterea volumus quod forma huiusmodi a te tunc prestiti iuramenti nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo munitas per propium nuncium quantocius destinare procures quodque per hoc prefato archiepiscopo Ispalen. nullum in posterum preiuditium generetur. Forma autem iuramenti quod prestabis hec est: Ego Rodericus electus Coren. etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo trigesimo primo, nono kalendas iulii anno octavo.

51e

Gratiae divinae praemium

Reg. Lat. 1547 fol. 43r-44r die 21 iunii 1531

Carissimo in Christo filio Carolo Romanorum Imperatori semper augusto et carissime in Christo filie Ioanne Castelle et Legionis regine illustri salutem etc. Gratie divine premium et humane laudis preconium acquiritur si per seculares principes ecclesiarum prelatis preser-

tim pontificali dignitate preditis opportuni favoris presidium et honor debitus impendatur. Hodie siquidem ecclesie Coren. quam nos etiam hodie in provincia Venezuela nuncupata in partibus terre firmis maris oceani consistente de fratrum nostrorum consilio apostolica auctoritate ereximus a primeva erectione huiusmodi tunc vacanti de persona dilecti filii electi Coren. nobis et eisdem fratribus ob suorum exigentiam meritorum accepta de simili ipsorum fratrum consilio dicta auctoritate providimus ipsumque illi in episcopum prefecimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum itaque filii carissimi sit virtutis opus Dei ministros benigno favore prosequi ac eis verbis et operibus pro regis eterni gloria venerari serenitatem vestram cum tu fili Carole etiam Castelle et Legionis rex existit rogamus et ortamur attente quatinus eundem Rodericum electum et ecclesiam predictam sue cure commissam habentes pro nostra et apostolice sedis reverentia propensius commendatos in ampliandis et conservandis iuribus suis sic eos benigni favoris auxilio prosequamini quod ipse Rodericus electus vestre celsitudinis fultus presidio in commisso sibi cure pastoralis officio possit, Deo propitio, prosperari ac vobis exinde a Deo perennis vite premium et a nobis condigna proveniat actio gratiarum. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo trigesimo primo, undecimo kalendas iulii anno octavo.

51f

Ad cumulum tuae cedit salutis

Reg. Lat. 1547 fol. 44r-45r — die 21 iunii 1531

Venerabili fratri archiepiscopo Ispalen. salutem etc. Ad cumulum tue cedit salutis et fame si personas ecclesiasticas presertim pontificali dignitate preditas divine propitiationis intuitu opportuni presidii et favoris gratia prosequaris. Hodie siquidem ecclesie Coren. quam nos

etiam hodie in provincia Benezuela nuncupata in partibus terrae firmis maris oceani consistente pro uno episcopo Coren. nuncupato qui archiepiscopo Ispalen. pro tempore existenti iure metropolitico subesse de fratrum nostrorum consilio Apostolica auctoritate ereximus a primeva eius erectione tunc vacanti de persona dilecti filii Roderici electi Coren. nobis et eisdem fratribus ob suorum exigentiam meritorum accepta de simili ipsorum fratrum consilio auctoritate predicta providimus ipsumque illi in episcopum prefecimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum igitur ut idem Rodericus electus in commissa sibi predicte ecclesie cura facilius proficere valeat tuus favor sibi fore noscatur plurimum opportunus fraternitatem tuam rogamus, monemus et ortamur attente per apostolica scripta mandantes quatinus eundem Rodericum electum et prefatam ecclesiam sibi commissam sufraganeam tuam habens pro nostra et Apostolice Sedis reverentia propensius commendatos in ampliandis et conservandis eisdem ecclesie iuribus sic eos tui favoris prosequi prosequaris quod ipse Rodericus electus per tue auxilium gratie se possit in commisso sibi eiusdem ecclesie regimine utilius exercere, tuque divinam misericordiam et nostram ac eiusdem sedis benivolentiam valeas exinde uberius promereri. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo trigesimo primo, undecimo kalendas iulii anno octavo.

52

Super specula

Reg. Lat. 1561 fol. 45v-47r — die 6 septembris 1531

TRUXILLENSIS DIOECESIS IN *CAPO DE HONDURAS* ERIGITUR

Ut fideles ad fidem conversi semper magis in spiritualibus proficiant, Summus Pontifex oppida digniora in sedes episcopales erigit. Ideoque in provincia *Capo de Honduras in qua aliqui fideles morantur* precibus Caroli im-

peratoris, oppidum sive pagum *Truxillo* civitatis titulo insignit et in eo Ecclesiam Cathedralem sub invocatione Salvatoris Dei erigit, ut episcopus incolas infideles et gentes ad orthodoxae fidei cultum convertat et conversos in fide instruat, confirmet et sacramenta eis administret. Episcopo mandat ut omnia beneficia ecclesiastica instituat, eique iurisdictionem et privilegia *quibus aliae cathedrales ecclesiae utuntur* confert. Novam dioecesim suffraganeam Ecclesiae metropolitanae Hispalensis (*Sevilla*) constituit et iuspatronatus imperatori cedit.

Clemens VII

Ad perpetuam rei memoriam. Super specula militantis ecclesie meritis licet imparibus divina dispositione locati ad universas orbis provincias et loca presertim per catholicos principes ab infidelibus et barbaris nationibus acquisita aciem paterna consideratione passim reflectimus et ut in locis ipsis dignioribus titulis decoratis plantetur radicitus christiana religio et eorum incole ac habitatores in tenebris consistentes venerabilium presulum doctrina et exemplo ad veritatis lumen accedentes semper in fide proferant et quod in temporalibus sunt adepti non careant in spiritualibus incremento opem et operam libenter impendimus efficaces. Sane cum inter alias provincias in terra firma maris Oceani in felicibus auspiciis carissimi in Christo filii nostri Caroli Imperatoris Romanorum semper augusti qui etiam Castelle, Legionis rex existit concedente Domino noviter repertis et aquisitis ac eiusdem temporali ditioni subiectis sit una Cabo de Honduras nuncupata, cuius incole et habitatores divine lucis expertes absque aliqua fidei ortodoxe instructione vivunt et in qua aliqua ecclesia nondum erecta existit et propterea ipse incole et habitatores religionis et humanitatis capaces fidei predicte adhereant, discussis errorum tenebris ad lucem veritatis perveniant et Salvatorem Dominum nostrum Ihesum Christum totius humani generis Redemptorem cognoscant necesse sit inhibi in spiritualibus seminaria plantare et dominici ovilis ad quod oves herrantes reducantur et in quo reducte perserverantur, septa construere, nos habita super hiis cum venerabilibus fratribus nostris Sancte Romane Ecclesie cardinalibus deliberatione matura prefato Carolo Imperatore hoc summe cupiente et nobis desuper supplicante ad laudem et gloriam illius cuius est terra et plenitudo eius et universi qui habitant in ea totiusque celestis Curie iubilationem et ipsius fidei exaltationem et incolarum et habitatorum predictorum animarum salutem de ipsorum fratrum consilio auctoritate apostolica, tenore pre-

sentium oppidum sive pagum de Truxillo [1] nuncupatum in dicta provincia de Cavo de Honduras nuncupata in qua aliqui fideles morantur consistens seu consistentes civitatis titulo insignimus et illud in civitate que Truxillo nuncupatur et in ea unam cathedralem ecclesiam sub invocatione illius Salvatoris Dei [...] eidem Carolo Imperatori videbitur pro uno episcopo Truxillen. nuncupando, qui in ecclesia et civitate predictis eidem ecclesie assignande undique verbum Dei predicet ac eorum incolas infideles et gentes barbaras ad ipsum ortodoxe fidei cultum convertat ac conversos in eadem fide instruat et confirmet, eisque baptismi gratiam impendat; ac tam illis sic conversis, quam omnibus aliis christifidelibus in civitate et diocesi predictis pro tempore degentibus ac ad illa declinantibus sacramenta ecclesiastica et alia spiritualia ministret ac ministrari et ecclesiam ipsam construi faciat et in ea necnon civitate et diocesi predicta dignitates, canonicatus et prebendas aliaque beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura erigat et instituat, ac alias spiritualia conferat et seminet, prout divini cultus augmento et ipsorum incolarum animarum salute expedire cognoverit cum sede et aliis insigniis ac iurisdictionibus episcopalibus et privilegiis, immunitatibus et gratiis quibus alie cathedrales ecclesie ac eorum presules in Castelle et Legionis regnis, quibus dicte provincie [...] de iure vel consuetudine utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum auctoritate et tenore predictis erigimus et instituimus, ac eidem ecclesie oppidum sic in civitate erectum necnon districtum ac [...] partem ipsius provincie Capo de Honduras per ipsum Carolum Imperatorem impositis limitibus assignandum seu assignandos que seu quas specificatis illius limitibus huiusmodi et dicte [...] producere dicti episcopi [...] eidem ecclesie assignari [...] idem Carolus Imperator infra [...] facere debite providere, earumque incolas et habitatores pro tempore existentes pro clero et populo ita episcopus Truxillen. pro tempore existens, qui archiepiscopo Ispalen. etiam pro tempore existenti iure metropolitico subsit, in illis iurisdictionem episcopalem con [...] et exercere ac alia facere que alii episcopi in suis ecclesiis, civitate et diocesi de iure exercere possint et debent et ex omnibus inhibi pro tempore provenientibus preter quam auro et argento et aliis metallis et gemmis ac lapillis pretiosis que pro tempore existentibus regibus quoad hoc libere esse de-

[1] Dioecesis in *Castro de Truxillos,* ad litus maris, in provincia de *Honduras* erecta est, quae propterea primitus «Trugillensis» et postea «de Honduras» nominabatur, donec ad civitatem de *Comayagua* translata est, de qua nomen accepit. Cfr. Römische Quartalschrift VI (1892) 227.

cernimus decimas et primicias de iure debitas et alia episcopalia iura prout ceteri in Ispania episcopi de iure vel consuetudine erigunt et percipiunt exigere ac percipere libere et licite valeat concedimus et assignamus et insuper ius patronatus ad presentandi infra annum propter loci distantiam nobis ac pro tempore existenti Romano Pontifici personas idoneas ad dictam ecclesiam Truxillen. quatenus illius vacatio ea prima vice dumtaxat excepta occurrerit per nos et pro tempore existentes Romanos Pontifices prefatos in eiusdem ecclesie episcopum et pastorem ad presentationem huiusmodi preficiendum eidem Carolo Imperatori et pro tempore existenti Castelle et Legionis regi in perpetuum de simili consilio auctoritate et tenore predictis reservamus et concedimus. Nulli ergo etc. siquis etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo trigesimo primo, octavo idus septembris, anno octavo.

53a

Apostolatus officium

Reg. Lat. 1547 fol. 45v-46r — die 6 septembris 1531

PROVISIO ECCLESIAE TRUXILLENSIS

Ecclesiae Truxillensi, *hodie in provincia Cabo de Honduras nuncupata in terra firma maris oceani* erectae, quae est de iure patronatus imperatoris, Summus Pontifex Alfonsum de Talavera *priorem domus de Prado ordinis sancti Hieronimi Toletan. diocesis* praeficit, eumque a censuris et poenis ecclesiasticis quibus forsan ligatus est absolvit, ut litterae apostolicae de provisione effectum suum sortiantur, ac facultatem ei concedit, ut a quocumque maluerit catholico Antistite munus consecrationis suscipere valeat, assistentibus sibi duobus vel tribus episcopis, iuramento fidelitatis consueto ritu praestito. Provisio haec imperatori et reginae, archiepiscopo Hispalensi et populo civitatis et dioecesis Truxillensis nuntiatur.

Clemens VII

Dilecto filio Alfonso [1] electo Truxillen. salutem etc. Apostolatus officium meritis licet imparibus nobis ex alto commissum quo ecclesiarum omnium regimini divina dispositione presidemus utiliter exequi quo adiuvante Domino cupientes soliciti corde reddimur et solertes ut cum de ecclesiarum ipsarum regiminibus agitur committendis tales eis in pastores preficere studeamus qui populum sue cure creditum sciant non solum doctrina verbi, sed etiam exemplo boni operis informare commissasque sibi ecclesias velint et valeant, auctore Domino, salubriter regere et feliciter gubernare. Dudum siquidem provisiones ecclesiarum omnium apud sedem apostolicam tunc vacantium et in antea vacaturarum ordinationi et dispositioni nostre reservavimus decernentes extunc irritum et inane [...] etc. attentari. Postmodum vero ecclesia Truxillen. quam nos hodie in provincia Cabo de Honduras nuncupata in terra firma maris oceani consistente ex certis causis de fratrum nostrorum consilio apostolica auctoritate ereximus et instituimus, et ad quam quotiens illa ea primeva vice excepta vacare contigerit ius patronatus et presentandi personam idoneam carissimo in Christo filio nostro Carolo Romanorum Imperatori semper augusto, qui etiam Castelle et Legionis rex existit et pro tempore existenti Castelle et Legionis regi de simili consilio dicta auctoritate reservavimus et concessimus a primeva eius erectione huiusmodi apud sedem predictam vacantem nos ad provisionem dictae ecclesiae celerem et felicem de qua nullus preter nos hac vice se intromitere potuit sive potest reservatione et derecto obsistentibus supradictis nos tibi ne ecclesia ipsa longe vacationis exponatur incommodis, paternis et sollicitis studiis

---

[1] Alphonsus Guzmán y Talavera. Testimonium de visitatione ad limina: Universis et singulis has nostras presentes litteras inspecturis, lecturis pariter et audituris. Guido Ascanius Sfortiae etc., salutem etc. Universitati vestre et cuilibet vestrum, tenore presentium notum facimus et attestamur, quod cum reverendus in Christo pater dominus Alphonsus de Guzma, Dei et Apostolice Sedis gratia episcopus Trugillensis, singulis bienniis Sedem Apostolicam seu limina beatorum Petri et Pauli apostolorum de urbe visitare teneatur. Hinc est quod prefatus reverendus dominus Alphonsus episcopus Sedem Apostolicam seu eadem limina pro presenti biennio die duodecima aprilis presentis 1540 incepto et, ut sequitur, finiendo per dominum Didacum de Salazar, procuratorem suum, ad hoc ab eo specialiter constitutum, hodie die datum cum honore et reverentia debitis et consuetis visitavit nihil tamen huiusmodi visitationis gratia Camere Apostolice obtulit vel servivit. In quorum etc. Datum Romae in Camera Apostolica, die duodecima aprilis 1540, pontificatus etc. Pauli papae tertii anno sexto. (Arm. XXVIIII 121 fol. 70v).

intendentes post deliberationem quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam cum eisdem fratribus habuimus diligentem demum ad te priorem domus de Prado ordinis sancti Hieronimi Toletan. diocesis ipsius ordinis et Theologie artium professor ac in presbiteratus ordine constitutum et de nobili genere ex utroque parente procreatum cui ad nos de vita mundicia, honestate morum, spiritualium providentia et temporalium circumspectione, aliisque multiplicum virtutum donis fidedigna testimonia perhibentur direximus oculos nostre mentis quibus omnibus debita meditatione pensatis de persona tua nobis et eisdem fratribus ob tuorum exigentiam meritorum accepta eidem ecclesie Truxillen. de simili fratrum consilio auctoritate predicta providimus teque illi in episcopum prefecimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo in illo qui dat gratias et largitur premia, confidentes quod dirigente Domino actus tuos prefata ecclesia sub tuo felici regimine regetur utiliter et prospere dirigetur ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Iugum igitur Domini tuis impositum humeris prompta devotione suscipiens curam et administrationem predictas sic exercere studeas solicite, fideliter et prudenter quod ecclesia ipsa gubernatori provido et fructuoso administratori gaudet se commissam, tuque preter eterne retributionis premium nostram et dicte sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo trigesimo primo, octavo idus septembris anno octavo.

53b

Apostolicae Sedis consueta clementia

Reg. Lat. 1547 fol. 46v-47r — die 6 septembris 1531

Dilecto filio Alfonso de Talavera priori domus de Prado ordinis Sancti Hieronimi Toletan. diocesis magistro in Theologia salutem etc.

Apostolice Sedis consueta clementia ne dispositiones per eam de cathedralibus ecclesiis pro tempore facte valeant quomodolibet impugnari sed persone ad eas promovende illis puro corde et sincera conscientia presidere valeant remedia prout convenit adhibet opportuna. Cum itaque nos hodie ecclesie Truxillen. quam nos etiam hodie in provincia Cavo de Honduras nuncupata in terra firma maris oceani consistente de fratrum nostrorum consilio apostolica auctoritate ereximus a primeva eius erectione huiusmodi vacanti de persona tua nobis et fratribus ipsis ob tuorum exigentiam meritorum accepta de simili fratrum eorumdem consilio dicta auctoritate providere teque illi in episcopum et pastorem preficere intendamus nos ne provisio et prefectio predicte si forsan aliquibus sententiis, censuris et penis ecclesiasticis ligatus existis, valeant propterea invalide impugnari providere volentes te a quibusvis excommunicationis etc. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus predictis ceterisque contrariis quibuscumque etc. Nulli ergo etc. Si quis etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo trigesimo primo, octavo idus septembris anno octavo.

53c

Cum nos pridem

Reg. Lat. 1547 fol. 47v-48r. die 8 septembris 1531

Dilecto filio Alfonso electo Truxillen. salutem etc. Cum nos pridem ecclesie Truxillen. quam nos nuper in provincia Cabo de Honduras nuncupata in terra firma maris oceani consistente pro uno episcopo Truxillen. nuncupato qui archiepiscopo Ispalen. pro tempore existenti iure metropolitico subesset de fratrum nostrorum consilio apostolica auctoritate ereximus tunc a primeva erectione vacanti de persona tua nobis et eisdem fratribus ob tuorum exigentiam meritorum accepta de simili ipsorum fratrum consilio dicta auctoritate duxerimus providendum preficiendo te in episcopum et pastorem prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Nos ad ea que ad tue com-

moditatis augmentum cedere valeant favorabiliter intendentes tuis in hac parte supplicationibus inclinati tibi ut a quocumque malueris catholico antistite gratiam et communionem dicte sedis habente accitis et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus catholicis episcopis similes gratiam et communionem habentibus munus consecrationis recipere valeas ac eidem antistiti ut prius recepto ad eum a te nostro et Romane Ecclesie nomine fidelitatis debite solito iuramento iuxta formam presentibus annotatam munus predictam auctoritate nostra impendere libere et licite tibi possit plenam et liberam concedimus earumdem presentium tenore facultatem. Volumus autem et predicta auctoritate statuimus et concedimus quod si non recepto a te per ipsum dicto iuramento idem ipsum munus ipsum tibi impendere et tu illum suscipere presumpseritis dictus antistes a pontificalis officii exercitio et ad te tunc tam ipse quam tu ab administratione ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso. Propterea volumus quod forma huiusmodi tunc prestiti nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo munitas per proprium nuntium quantocius destinare procures quodque per hoc prefato archiepiscopo Ispalen. nullum inposterum preiuditiun generetur. Forma autem iuramenti quod prestabis hec est: Ego Alfonsus electus etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo trigesimo primo, sexto idus septembris anno octavo.

53d

Gratiae divinae praemium

Reg. Lat. 1547 fol. 48r-49r — die 6 septembris 1531

Carissimo in Christo filio Carolo Romanorum Imperatori semper augusto et carissime in Christo filie Iohanne Castelle et Legionis regine illustri salutem etc. Gratie divine premium et humane laudis preconium aquiritur si per seculares principes ecclesiarum prelatis presertim pontificali dignitate preditis opportuni favoris presidium et honor de-

bitus impendatur. Hodie siquidem ecclesie Truxillen. quam nos etiam hodie in provincia Cabo de Onduras nuncupata in terra maris firmi oceani [sic] consistente de fratrum nostrorum consilio apostolica auctoritate ereximus a primeva eius erectione huiusmodi tunc vacanti de persona dilecti filii Alfonsi electi Truxillen. nobis et eisdem fratribus ob suorum exigentiam meritorum accepta de simili ipsorum fratrum consilio dicta auctoritate providimus ipsumque illi in episcopum prefecimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum itaque filii carissimi sit virtutis opus Dei ministros benigni favoris [auxilio] prosequi atque eos verbis et operibus pro regis eterni gloria venerari serenitatem vestram cum tu rex Carole etiam Castelle et Legionis rex existas rogamus et ortamur attente quatinus eundem Alfonsum electum et ecclesiam predictam sue cure eadem sciant comissam habens pro nostra et apostolice sedis reverentia propensius commendatos in ampliandis et conservandis iuribus suis sic eos benigni favoris auxilio prosequamini quod ipse Alfonsus electus vestre celsitudinis fultus presidio in comisso sibi cure pastoralis officio possit, Deo propitio, prosperari ac vobis exinde a Deo perennis vite premium et a nobis condigna proveniat actio gratiarum. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo trigesimo primo, octavo idus septembris anno octavo.

53e

Ad cumulum tuae cedit salutis

Reg. Lat. 1547 fol. 49r-50r die 6 septembris 1531

Venerabili fratri archiepiscopo Ispalen. salutem etc. Ad cumulum tue cedit salutis et fame si personas ecclesiasticas presertim pontificali dignitate preditas divine propitiationis intuitu opportuni presidii et favoris gratie prosequaris. Hodie siquidem ecclesie Truxillen. quam nos etiam hodie in provincia Cabo de Honduras nuncupata in terra firma

maris oceani consistente pro uno episcopo Truxillen. nuncupato qui archiepiscopo Ispalen. pro tempore existenti iure metropolitico subesse de fratrum nostrorum consilio apostolica auctoritate ereximus a primeva eius erectione huiusmodi tunc vacanti de persona dilecti filii Alfonsi electi Truxillen. nobis et eisdem fratribus ob suorum exigentiam meritorum accepta de simili ipsorum fratrum consilio auctoritate predicta providimus ipsumque illi in episcopun prefecimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum igitur ut idem Alfonsus electus in commissa sibi predicte ecclesie cura facilius proficere valeat tuus favor sibi fore noscatur plurimum opportunus fraternitatem tuam rogamus et ortamur attente per apostolica scripta tibi mandantes quatinus eundem Alfonsum electum et prefatam ecclesiam sibi commissam sufraganeam tuam habens pro nostra et dicte sedis apostolice reverentia propensius commendatos in ampliandis et conservandis eiusdem ecclesie iuribus sic eos tui favoris presidio prosequaris quod ipse Alfonsus electus per tue auxilium gratie se possit in commisso sibi eiusdem ecclesie regimine utilius exercere, tuque divinam et nostram misericordiam et eiusdem sedis benivolentiam valeas exinde uberius promereri. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo trigesimo primo, octavo idus septembris anno octavo.

53f

Hodie Ecclesiae Truxillen.

Reg. Lat. 1547 fol. 50rv — die 6 septembris 1531

Dilectis filiis populo civitatis et diocesis Truxillen. salutem etc. Hodie ecclesie Truxillen. quam nos etiam hodie in provincia Cavo de Honduras nuncupata in terra firma maris oceani consistente ex certis causis de fratrum nostrorum consilio apostolica auctoritate ereximus tunc a primeva erectione huiusmodi apud sedem apostolicam vacanti

de persona dilecti filii Alfonsi electi Truxillen. nobis et fratribus nostris ob suorum exigentiam meritorum accepta de simili consilio dicta auctoritate providimus ipsumque illi in episcopum prefecimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Quocirca universitatem monemus et ortamur attente vobis per apostolica scripta mandantes quatinus eundem Alfonsum electum tanquam patrem et pastorem animarum vestrarum devote suscipientes et debita honorificentia prosequentes eius monitis et mandatis salubribus humiliter intendatis, ita quod ipse Alfonsus electus in vobis devotionis filios et vos in eo per consequens patrem benivolum invenisse gaudeatis. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo trigesimo primo, octavo idus septembris anno octavo.

54

Cum sicuti nobis

Arm. XL 34 fol. 65r — die 15 octobris 1531

LICENTIA RELIQUIAS SANCTORUM EX GERMANIA EXTRAHENDI

Patriarchae Indiarum Occidentalium Stephano Gabrieli Merino qui etiam ex concessione apostolica episcopus Giennensis (*Jaén*) existit, licentia datur reliquias Sanctorum ex Colonia aliisque Germaniae locis, praevio permissu Ordinariorum loci, extrahere et ad Ecclesiam suam portare.

Clemens VII

Venerabili fratri Stephano Gabrieli [1] Patriarche Indiarum. Vene-

[1] De Stephano Gabriele Merino cfr. supra doc. 41.

rabilis frater, salutem etc. Cum sicuti nobis exponi fecisti cupias ex Colonia et aliis Germanie partibus aliquas sanctorum martirum et virginum reliquias extrahere, et illas ad tuam ecclesiam Giennensem, cui etiam ex concessione et dispensatione Apostolica preesse dignosceris mittere seu defferre. Nos cupientes pio tuo desiderio satisfacere tuis in hac parte supplicationibus inclinati tibi, quod ex civitate Colonie et quibuscumque civitatibus, oppidis et locis Germanie, quascumque sanctorum reliquias de licentia ordinarii civitatis et locorum predictorum recipere, et illas ad tuam ecclesiam et diocesim Giennensem decenter mittere seu portare in dicta tua ecclesia et diocesi recommendare, et debita cum veneratione et honore tenendas libere et licite possis et valeas tenore presentium, licentiam et facultatem concedimus et impartimur, constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, necnon statutis et consuetudinibus illarum ecclesiarum, civitatum et locorum, in quibus existunt, privilegiis quoque et indultis, etiam iuramento, confirmatione Apostolica roboratis, ceterisque contrariis non obstantibus quibuscumque. Datum Romae, die 15 octobris 1531, anno 8°.

55

Dudum siquidem

Arm. XXXVIIII 52 fol. 460v-461v — die 19 aprilis 1532

ERROR NOMINIS NON IRRITAM FACIT NOMINATIONEM

In Bulla nominationis ad sedem Mexicanensem, secundum praesentationem Caroli imperatoris factae, episcopus electus «Franciscus» vocabatur, dum eius nomen est Ioannes. Contra eos qui fidem nominationis propterea in dubium vocant, Summus Pontifex declarat, precibus ipsius episcopi obsecundans, provisionem validam fuisse et esse et omnia quae episcopus inde fecerit plenam roboris firmitatem habere, ac si in litteris nominationis Ioannes et non Franciscus vocatus fuisset.

Clemens VII

Dilecto filio Ioanni de Sumarraga, electo Mexicanensi. Dilecte fili, salutem etc. Dudum siquidem Ecclesia Mexicanensis, quae ad presentationem charissimi in Christo filii nostri Caroli, Romanorum Imperatoris semper Augusti, et Hispaniarum Regis, ex concessione Apostolica spectat ab illius primaeva erectione per nos facta vacante, Nos eidem Ecclesie sic vacanti de persona tua, quam ad id idem Carolus Imperator et Rex nobis per suas litteras presentaverat, de fratrum nostrorum consilio providimus, teque illi prefecimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem eiusdem Ecclesiae tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in litteris Apostolicis, in quibus quod tu Franciscus de Sumarraga nominabaris, et quod de consensu eiusdem Caroli Imperatoris eidem Ecclesie preficiebaris expressum, ac quod per eundem Carolum nobis, ut prefertur, per dictas suas litteras presentatus fueras tacitum fuit, plenius continetur. Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte tua petitio continebat ob errorem nominum, et taciturnitatem praesentationis huiusmodi, licet de tua persona et intentione nostra ac eiusdem Caroli Imperatoris constiterit et constet, a nonnullis tamen nimis curiosis de viribus litterarum earundem hesitetur. Nos tibi, ne propterea illarum frustreris effectu providere, teque praemissorum meritorum tuorum intuitu gratioso favore prosequi volentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati volumus et Apostolica tibi auctoritate concedimus, quod litterae predictae ac per eas facta provisio et prefectio predictae, ac processus habiti, seu habendi, per easdem et inde secuta quaecunque valeant, plenamque roboris firmitatem obtineant, et tibi suffragentur ad hoc, ut tu Ecclesiae predictae a primeva erectione vacanti praeesse, et in vim prefectionis huiusmodi, ac litterarum super munere consecrationis suscipiendo vigore munus consecrationis huiusmodi, alias earundem litterarum forma servata, suscipere libere et licite valeas in omnibus et per omnia perinde ac si in illis sub nomine Ioannis Sumarraga, non autem Francisci Summarega nominatus fuisses et quod ad praesentationem eiusdem Caroli Imperatoris et Regis de persona tua provisio et prefectio praedicte fiebant, expressum extitisset. Non obstantibus premissis ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, nec non omnibus, quae in singulis litteris praedictis voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscunque. Datum Romae etc., die XIX aprilis 1532, anno IX.

---

[1] De nominatione Ioannis de Zumarraga cfr. supra doc. 40.

56

Pastoralis officii

Bull. Praed. IV 512-513 die 11 iulii 1532
Hernáez I 519-520 (ex parte)

DIVISIO PROVINCIAE RELIGIOSAE

Propagatio et conservatio fidei pastorale officium Summi Pontificis est. Magister generalis Ordinis Fratrum Praedicatorum Summum Pontificem supplicavit ut provincia religiosa sui Ordinis quae anno 1530 in Insula *Hispaniola* aliisque insulis ac in terra firma Novae Hispaniae erecta et auctoritate apostolica confirmata fuerat, propter insularum et terrae firmae distantiam, in duas provincias religiosas constituatur. Ideoque duae provinciae eriguntur, una sub invocatione Sanctae Crucis in *Hispaniola* aliisque insulis, altera sub invocatione Sancti Iacobi in Nova Hispania. Definitur modus eligendi Priorem provincialem provinciae Sancti Iacobi, et tempus muneris sui (4 anni) ac Priorum Conventualium (3 anni). Duae provinciae alternatim delegatos ad Capitulum Generalem Ordinis mittere debent. Episcopo Marrochitano ac Priori et officiali Ecclesiae Hispalensis (*Sevilla*) mandatur, ut presentes litteras solemniter publicent. Inobedientibus Summus Pontifex poenas ecclesiasticas minatur, nonobstantibus quibusdam privilegiis ac decretis Bonifatii VIII.

Clemens VII

Ad perpetuam rei memoriam. Pastoralis officii Nobis, meritis licet imparibus, divina dispositione commissi, debitum salubriter exequi, coadiuvante Domino, cupientes quae religionem et illius propagationem et manutentionem, necnon eius professorum commoditatem decent, libenter statuimus et ad id eiusdem officii partes interponimus, prout rationabiles causae suadent et id conspicimus in Domino salubriter expedire. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti fi-

lii Magistri Generalis [1] Ordinis Fratrum Praedicatorum petitio continebat quod, cum provincia Sanctae Crucis iuxta morem eiusdem ordinis in Hispaniola et aliis Oceani maris insulis et terra firma seu Nova Hispania nuncupatis a duobus annis citra erecta et apostolica auctoritate confirmata propter insularum earumdem a dicta Nova Hispania notabilem distantiam et fratrum dicti ordinis in ea augmentum per unum priorem provincialem commode visitari nequeat, eandem provinciam in duas provincias dividere et unam sub Sanctae Crucis, aliam vero sub Sancti Iacobi invocationibus per duos priores provinciales regendas et gubernandas erigere et instituere intendit, modo ad id nostra et Sedis Apostolice auctoritas accedat. Quare pro parte dicti magistri nobis fuit humiliter supplicatum, ut auctoritatem nostram circa dicta interponere ac alias in premissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur attendentes plures ministros facilius plurium subditorum curam habere posse ipsosque subditos securius sub diversis pastoribus degere, huiusmodi supplicationibus inclinati dictam provinciam Sanctae Crucis in duas ipsius ordinis provincias, quarum una Sanctae Crucis, ut prius, alia vero in Nova Hispania Sancti Iacobi provincia nuncupetur et quae ab intermedio mari separantur dividimus et separamus, ac quod prior provincialis ipsius provinciae Sancti Iacobi per singulos vocales domus Sancti Dominici de Mexico et unum ex singulis aliis domibus ordinis et provinciae Sancti Iacobi huiusmodi ab aliis illarum fratribus deputandum fratres, donec in ipsa provincia Sancti Iacobi septem domus dicti ordinis, ordinarios priores habentes, quas eo ipso quod inibi septem fratres assignati resederint, esse et intelligi debere, decernimus, fuerint: et deinde iuxta constitutionum ipsius ordinis tenorem eligi et per definitorium capituli cassari aut confirmari, ad officium ipsum acceptandum censuris ecclesiasticis compelli possit; et si contingat definitorium in partes aequales dividi tunc eligatur ab eisdem definitoribus unus alius religiosus de dicta provincia et ea pars definitorii, cui talis electus adhaeserit, provincialem casset, aut confirmet, prout videbitur expedire, quodque domos vel nova loca in dictis partibus, donec ibidem septem domus, ut prefertur, constitute fuerint, acceptare, ac omnia et singula alia, que alii priores provinciales dicti ordinis in eorum provinciis facere et exercere possunt, necnon omnibus et singulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, praeeminentiis, gratiis, favoribus et indultis, quibus ipsi priores de iure, consuetudine, privilegio ac aliis quomodolibet utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri

[1] Iohannes de Fenario.

et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri et gaudere libere et licite valeat, ipsiusque provincialis non ultra quatuor, et aliorum priorum conventualium eiusdem provincie officia, non ultra tres annos durare possint, nec ad idem officium respective immediate reeligi valeant, auctoritate et tenore premissis statuimus et ordinamus; nec non S. Crucis et S. Iacobi provinciarum earumdem prioribus et fratribus, ut ad capitulum generale ipsius ordinis alternatis vicibus transmittere et destinare, et ad observationem ordinationum inibi pro tempore editarum, postquam eis plene intimatae fuerint duntaxat, teneantur, nec ad id aliter cogi seu compelli, aut propterea aliquas censuras seu penas incurrere possint, indulgemus. Mandantes venerabili fratri episcopo Marrochitano, et dilectis filiis priori ecclesie Ispalen. ac officiali Ispalen., ut ipsi, vel duo, aut unus eorum per se vel alium seu alios, presentes literas et in eis contenta quaecunque, ubi et quando opus fuerit, ac quatenus pro tempore existentis provincialis prioris dictae provinciae Sancti Iacobi fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in premissis efficacis defensionis presidio assistentes, faciant auctoritate nostra, literas predictas inviolabiliter observari, non permittentes eos, quos litere ipse concernunt, contra illarum tenorem indebite molestari. Contradictores, molestatores quoslibet et rebelles per censuras ecclesiasticas et alia opportuna iuris remedia, appellatione postposita, compescendo, necnon legitimis super his habendis servatis processibus censuras ipsas, quoties opus fuerit, aggravando, invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis. Non obstantibus felicis recordationis Bonifatii papae VIII, predecessoris nostri, ne quivis mendicantium ordinis fratres nova loca ad habitandum acquirere, seu acquisita mutare presumant absque Sedis Apostolice licentia speciali, et de una, ac concilii generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate presentium non trahatur, ac quibusvis aliis apostolicis necnon in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, necnon ordinis et provincie Sanctae Crucis eorundem iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, ordini et provincie Sancti Iacobi prefatis, eorumque superioribus et personis etiam motu proprio et ex certa scientia, ac de apostolice potestatis plenitudine, etiam in forma brevis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam iteratis vicibus concessis, approbatis et innovatis, quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum mentio habenda foret, eorum tenores presentibus pro sufficien-

ter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter vel divisim a dicta sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die XI iulii MDXXXII, Pontificatus nostri anno nono.

57

Exponi nobis nuper fecisti

Arm. XXXVIIII 52B fol. 918v-919v — die 19 octobris 1532
Arm. XL 40 fol. 41r

200 MISSIONARII IN INSULAS NOVITER DETECTAS MITTUNTUR

Carolus imperator alias nonnullas insulas temporali suae ditioni subiecit ut incolis ibi habitantibus fides christiana annuncietur, ac Summum Pontificem rogavit, ut missionarios mitteret ad incolas in religione christiana instruendos. Clemens VII ei concedit facultatem mittendi in illas insulas 120 Franciscanos, 70 Dominicanos et 10 Hieronymitanos, qui voluntarie se offerunt, ac iisdem privilegia, gratias et indulta concedit.

Clemens VII

Carissimo in Christo filio nostro Carolo Romanorum Imperatori semper Augusto.

Carissime in Christo fili noster, salutem etc. Exponi nobis nuper fecisti quod tu, qui alias nonnullas insulas terre nove et inibi gentem indomitam, ac cui Salvatoris Domini nostri Iesu Christi nomen et or-

thodoxa fides incognita erant, benedicente Domino, tuae temporali ditioni subiecisti, ut saluti animarum inibi habitantium consulere, eosque in ipsa fide instrui facere possis ad easdem insulas aliquos religionum approbatarum professores, qui inibi verbum Dei praedicent et publicent, ipsosque incolas in via mandatorum Domini dirigant et instruant destinari desideres. Quare nobis humiliter supplicari fecisti, ut votis tuis in hac parte annuere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur pium tuum desiderium plurimum in Domino commendantes tibi centum et viginti Minorum et septuaginta Praedicatorum, ac decem Sancti Hieronymi Ordinum professores, quos tu, seu dilecti filii consilium tuum in eisdem insulis tenentes ad id aptos et idoneos cognoveritis et voluntarie se illuc conferre velle repereritis, ad dictas insulas destinandi et ipsis professoribus, etiam nulla superiorum suorum licentia petita, nec obtenta, ad eas accredendi et illuc se conferendi, ibique verbum divinum praedicandi et publicandi, ac quoad vixerint sub regulari tamen habitu, ac honeste et religiose vivendo, inibi ad effectum huiusmodi residendi plenam et liberam auctoritate Apostolica per presentes concedimus facultatem. Volentes ut ipsi professores interim, omnibus et singulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, praerogativis, gratiis et indultis, quibus alii eorundem Ordinum fratres in eorum domibus, et regularibus locis residentes, de iure vel consuetudine, aut alias quomodolibet utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum uti, potiri et gaudere libere et licite valeant. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis a dictorum Ordinum iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et litteris Apostolicis dictis Ordinibus, eorumque superioribus, prelatis et personis sub quibuscunque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam motu proprio, et ex certa scientia, etiam in forma brevis, etiam iteratis vicibus concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus illorum veriores tenores presentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscunque. Datum Romae etc., die XIX octobris 1532, anno IX.

58

Dudum per nos

Bull. Praed. IV 520
BM II 1166

die 17 maii 1533

NE FRATRES ORDINIS PRAEDICATORUM SUPERIORIBUS INSCIIS, INDIAS OCCIDENTALES PETANT

Summus Pontifex deplorans quod nonnulli fratres Ordinis Praedicatorum ad Sanctam Sedem recursum habuerunt declarantes professionem eorum invalidam fuisse; et quod alii sub praetextu predicationis apostolicae indulgentias et exemptionem a Sancta Sede obtinuerunt, ut oboedientiae superiorum se subtraherent, litteras subrepticio modo sic obtentas invalidas esse declarat.

Nuper Summus Pontifex insuper accepit, aliquos fratres eiusdem Ordinis *sub praetextu zeli praedicandi, seu docendi sanctum Evangelium,* sine licentia superiorum aut etiam eis invitis et contradicentibus, provocantes ad quasdam Litteras Apostolicas, ad Indias Occidentales profectos esse *in obedientiae regularis dissolutionem.* Ideoque superioribus Ordinis mandat ut illis quamprimum possint ad proprias provincias religiosas redire iubeant, alioquin eos in poenas ecclesiasticas incidisse declarent. Inoboedientes etiam carcerare et vi ad provincias reducere possunt.

Clemens VII

Dilectis filiis Provinciali Ordinis Predicatorum de observantia nuncupatorum et Conventualibus Prioribus provincie Hispanie secundum morem dicti Ordinis, eorumque pro tempore Vicariis et eorum cuilibet. Dilecti filii salutem et apostolicam benedictionem. Dudum per nos accepto, quod nonnulli fratres Ordinis Predicatorum de observantia nuncupatorum ad seculum redire, inibique et contra volun-

tatem suorum superiorum libere remanere posse desiderantes, animo et intentione eorum desiderium adimplendi et a iugo superioritatis huiusmodi etiam superioribus eorum invitis, et contradicentibus se subtrahendi et eximendi, ad Sedem Apostolicam habuerunt recursum, et eorum aliqui, asserentes, se ante annum probationis, nulliter et invalide professionem emisisse, et infra dictum tempus reclamasse, ac habitum deposuisse; alii vero se retento huiusmodi habitu sub velamine predicationis Apostolice ad predicandum indulgentias in favorem Cruciate contra infideles Apostolica auctoritate concessas assumptos, et electos fuisse, super singulis premissis et forsan aliis tunc expressis, diversas tam Apostolicas, quam a Summo Penitentiario nostro sub honestis tamen, et coloratis verborum narrationibus, exemptionum litteras, quibus mediantibus ab huiusmodi superioritate et obedientia, exquisitis mediis se tueri, et in ipso seculo remanere valerent, per se, vel alium, seu alios, impetraverant et procuraverant, quin potius per importunitatem aut alias extorserant, nos motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblate petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, et ex certa scientia, universis et singulis, tam provincialibus quam conventualibus, Hispanie, Betice, Aragonie ac Portugallie nuncupatarum provinciarum, Prioribus, secundum morem Ordinis fratrum Predicatorum eorumque pro tempore Vicariis per alias nostras in forma brevis litteras, sub data die XIII septembris, Pontificatus nostri Anno VIII confectas, inter alia dedimus in mandatis, quatenus ipsi et eorum quilibet pro parte ipsorum fratrum seu aliarum personarum, ut prefertur, impetratas et in eis contenta, quecunque diligenter examinarent et de illorum veritate inquirerent, et illis minus veris, aut sufficientibus compertis, illas, que falso impetrate fuerint, nullo modo, si vero bene, recteque impetrate fuissent, in foro conscientie duntaxat et non in foro contentioso, neque contra religionis consuetudinem valere, sed eas tanquam subreptitias et obreptitias, ac intentionis defectui subjacere cum omnibus inde secutis nullas et invalidas fuisse et esse, illasque iisdem impetrantibus minime suffragari debere declararent et etiam causis ipsis veris et comprobatis existentibus illarum impetratores cum eisdem litteris suis ab eorum gremio eiicere licite valerent, et si littere ipse motu simili, intuitu vel contemplatione Imperatoris, Regum, Principum, cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque fortioribus, efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis a nobis emanassent, concessimus et indulsimus, prout in ipsis litteris, quarum tenores presentibus haberi volumus pro expressis, plenius continetur. Cum autem, sicut nuper accepimus, aliqui dicti Ordinis fratres istius provincie forte minus capaces gratie, quam a Domino sic vocati receperant, sub pretextu zeli

predicandi, seu docendi sanctum Evangelium, etiam vobis inconsultis et irrequisitis, ac forsan, quod deterius est, invitis, et contradicentibus, pretextu quarundam aliarum nostrarum sub data XIX octobris, Pontificatus nostri Anno IX emanatarum litterarum, nulla in provinciali capitulo habita desuper consultatione seu deliberatione, ab eorum propriis domibus aut provincia recedere et simulate predicationis huiusmodi zelo, aut forsan aliis de causis ad Indos aut alia loca ire ac transire, ibique stare seu habitare aut permanere velle se preparaverint, et in dies preparare studeant, in obedientie regularis dissolutionem ac religionis denigrationem, non modicam, nos, volentes scandalis, que hinc oriri possent, opportune providere, motu simili, non ad alicuius nobis super hoc oblate petitionis instantiam, sed ex certa nostra scientia ac deliberatione, vobis per presentes committimus et mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus vestrum, per vos vel alios, seu alium universos et singulos istius provincie fratres dicti Ordinis, qui ab ipsorum propriis domibus sub dictis pretextibus, vel aliis, sine suorum superiorum licentia recedere tentaverint, sub penis contra inobedientes per constitutiones dicti Ordinis statutis ex parte nostra moneatis et requiratis, ut ab ipsorum domibus et provincia Hispanie nullatenus recedant, et si inde recessissent, quamprimum commode poterint, redeant. Alioquin si requisitionibus et monitionibus vestris huiusmodi parere recusaverint in penas predictas incidisse declaretis. Nos enim vobis et vestrum cuilibet contra inobedientes predictos, usque ad executionem procedendi, eosque carcerandi, et ad eorum proprias provincias et domos respective etiam invitos reducendi, ceteraque in premissis et circa ea, que religionis honori, ac ipsorum fratrum conscientie, quieti et tranquillitati videritis in Domino salubriter expedire, faciendi gerendi et exequendi, omnimodam per presentes facultatem pari motu concedimus. Non obstantibus premissis, ac quibusvis Apostolicis constitutionibus et ordinationibus, privilegiis quoque, indultis et litteris Apostolicis, illis presertim, quibus inter alia caveri dicitur expresse, quod presides et auditores consulatus Indiarum, vel alii quicunque dicti, vel alterius Ordinis fratres ad predicandum etiam apud Indos et alios quoscunque, et forsan eorum superioribus invitis et contradicentibus, nominare et deputare possint. Quibus omnibus et ad instantiam vel contemplatione Archiepiscoporum, Patriarcharum vel Episcoporum aut aliorum prelatorum, etiam S.R.E. Cardinalium, Regum, Principum, seu aliorum dominorum, necnon quarumcumque aliarum tam ecclesiasticarum, quam secularium personarum, cuiusvis status, gradus, ordinis, aut conditionis existentium, etiam cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque fortioribus, efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis

decretis et revocationibus huiusmodi preservatis, etiam motu proprio concessis et in posterum concedendis, etiamsi in illis caveatur expresse, quod illis nullatenus, aut non alias, quam de expresso illorum, quorum interest, consensu derogari possit, illorum omnium tenores et formas presentibus pro sufficienter expressis habentes, illis in suo robore alias permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse, harum serie et motu simili, derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod presentium litterarum transumptis manu alicuius notarii publici subscriptis eadem ubique fides prorsus adhibeatur, que presentibus adhiberetur, si essent exhibite vel ostense. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XVII maii MDXXXIII, Pontificatus nostri Anno decimo.

59a

Apostolatus officium

Reg. Lat. 1600 fol. 14v-15v — die 9 ianuarii 1534

PROVISIO ECCLESIAE SANCTAE MARTHAE

Ecclesiae Sanctae Marthae, *hodie in provincia Sancte Marte nuncupata in insulis Indiarum noviter repertis* erectae quae est de iure patronatus imperatoris, Summus Pontifex Alfonsum de Tobes, presbyterum Segoviensis dioecesis praeficit. Provisio haec archiepiscopo Hispalensi, cui Ecclesia Sanctae Marthae ut suffraganea subest, communicatur, quem Summus Pontifex monet, ut novo episcopo favorem fraternum praestet. Etiam imperator et regina de electione episcopi certiores fiunt, pro quo Pontifex favorem regium et tutamen expetit. Populo civitatis et dioecesis Sanctae Marthae quoque provisio nuntiatur, quem Pontifex hortatur, ut electum episcopum tamquam patrem et pastorem animarum suscipiat. Ipso Alfonso vero absolutio a censuris et poenis ecclesiasticis quibus forsan ligatus est impertitur, ut litterae apostolicae de provisione suum sortiantur effectum, eique facultas conceditur, ut a quocumque maluerit catholico Antistite munus consecrationis suscipere possit, assistentibus sibi duobus vel tribus episcopis, iuramento fidelitatis consueto ritu praestito.

Clemens VII

Dilecto Alfonso de Tobes [1] electo Sancte Marte salutem etc. Apostolatus officium meritis licet imparibus nobis ex alto commissum quo ecclesiarum omnium regimini divina dispositione presidemus utiliter exequi quo adiuvante Domino cupientes soliciti corde redimur ac solertes ut cum de ecclesiarum ipsarum regiminibus agitur commitendis tales eis in pastores preficere studeamus qui populum sue cure creditum sciant non solum doctrina verbi sed etiam exemplo boni operis informare commissasque sibi ecclesias in statu pacifico et tranquillo velint et valeant, auctore Domino, salubriter regere et feliciter gubernare. Dudum siquidem provisiones ecclesiarum omnium apud sedem apostolicam tunc vacantium et in antea vacaturarum ordinationi et dispositioni nostre reservavimus decernentes extunc irritum et inane etc. attentari. Postmodum vero ecclesia Sancte Marte quam nos hodie in provinciis Sancte Marte nuncupata in insulis Indiarum noviter repertis consistente sub invocatione eiusdem Sancte Marte ex certis causis de fratrum nostrorum consilio apostolica auctoritate ereximus et instituimus et ad quam ius patronatus et presentandi infra annum propter loci distantiam personam idoneam quotiens illius vacatio ea prima vice excepta pro tempore occurrerit carissimo in Christo filio nostro Carolo Romanorum Imperatori semper Augusto qui etiam Castelle et Legionis et Aragonum rex existit et pro tempore existenti Castelle et Legionis regi de simili consilio dicta auctoritate reservavimus ab eius primeva huiusmodi erectione apud sedem predictam vacante nos ad provisionem eiusdem ecclesie celerem et felicem de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit sive potest reservatione et decreto omnibus supradictis ne ecclesia ipsa longe vacationis exponatur incommodis paternis et solicitis studiis intendentes post deliberationem quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus ipsis habuimus diligentem, demum ad te presbiterum Seguntin. diocesis licentiatum in Theologia cui apud nos de vita mundicia, honestate morum, spiritualium providentia et temporalium circumspectione, aliisque multiplicum virtutum donis fidedigna testimonia perhibentur dreximus oculos nostre mentis quibus

---

[1] Alphonsus de Tobes, OFM, mense iunii anni 1533 in civitate Sanctae Marthae advenit, sed iam mense decembris eiusdem anni mortuus est. Successor eius nominatus est Thomas Brochero, qui autem renuntiavit. Sedes vacavit usque ad annum 1536. *Egaña* 15.

omnibus debita meditatione pensatis de persona tua nobis et fratribus ob tuorum exigentiam meritorum acepta prefate ecclesie de ipsorum fratrum consilio dicta auctoritate providimus teque illi in episcopum preficimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo in illo qui dat gratias et largitur premia confidentes quod dirigente Domino actus tuos prefata ecclesia sub tuo felici regimini regetur utiliter et prospere dirigetur ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Iugum igitur Domini tuis impositis humeris prompta devotione suscipiens curam et administrationem predictas sic exercere studeas solicite, fideliter et prudenter quod ecclesia ipsa gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque preter eterne retributionis premium nostram et dicte sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo trigesimo tertio, quinto idus januarii anno undecimo.

59b

Ad cumulum tuae cedit salutis

Reg. Lat. 1600 fol. 16rv — die 9 ianuarii 1534

Venerabili fratri archiepiscopo Ispalen. salutem etc. Ad cumulum tue cedit salutis et fame si personas ecclesiasticas presertim pontificali dignitate preditas divine propitiationis intuitu opportuni presidii et favoris gratia prosequaris. Hodie siquidem ecclesie Sancte Marte quam nos etiam hodie in provincia Sancte Marte nuncupate in insulis Indiarum noviter repertis consistente pro uno episcopo qui archiepiscopo Ispalen. pro tempore existenti metropolitico iure subesset ex certis causis de fratrum nostrorum consilio ereximus et instituimus tunc a primeva erectione huiusmodi vacanti de persona dilecti filii Alfonsi electi Sancte Marte nobis et eisdem fratribus ob suorum exigentiam meritorum acepta de simili consilio auctoritate apostolica providimus

ipsumque illi in episcopum prefecimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum igitur ut idem Alfonsus electus in commissa sibi predicte ecclesie cura facilius proficere valeat tuus favor ei fore noscatur plurimum opportunus fraternitatem tuam rogamus et ortamur attente tibi per apostolica scripta mandantes quatinus eundem Afonsum electum et prefatam ecclesiam sibi commissam suffraganeam tuam habens pro nostra et apostolice sedis reverentia propensius commendatos in ampliandis et conservandis iuribus suis sic eos tui favoris presidio prosequaris quod ipse Alfonsus electus per tue auxilium gratie se possit in commisso sibi eiusdem ecclesie regimine utilius exercere, tuque divinam misericordiam et nostram et eiusdem sedis benedictionem et gratiam valeas exinde uberius promereri. Datum ut supra.

59c

Gratiae divinae praemium

Reg. Lat. 1600 fol. 16v-17v die 9 ianuarii 1534

Carissimo in Christo filio Carolo Romanorum Imperatori semper augusto et carissime in Christo filie Ioanne Castelle et Legionis regine illustri salutem etc. Gratie divine premium et humane laudis preconium acquiritur si per seculares principes ecclesiarum prelatis presertim catedralibus ecclesiis regimini preditis opportuni favoris presidium et honor debitus impendatur. Hodie siquidem ecclesie Sancte Marte quam nos etiam hodie in provincia Sancte Marte nuncupate in insulis Indiarum noviter repertis consistente ex certis causis de fratrum nostrorum consilio apostolica auctoritate ereximus et instituimus tunc a primeva eius erectione huiusmodi vacante de persona dilecti filii Alfonsi electi Sancte Marte nobis et eiusdem fratribus ob suorum exigentiam meritorum accepta de simili consilio auctoritate predicta providimus ipsumque illi in episcopum preficimus et pastorem curam et

administrationem ipsius ecclesie in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum itaque filii carissimi sit virtutis opus Dei ministros benigno favore prosequi ac eos verbis et operibus pro regis eterni gloria venerari serenitatem vestram cum tu filii Carole etiam Castelle et Legionis rex existas rogamus et ortamur attente quatinus eundem Alfonsum electum et ecclesiam Sancte Marte predictam sue cure commissam habens pro nostra et Apostolice sedis reverentia propensius commendatos in ampliandis et conservandis iuribus suis sic eos benigni favoris auxilio prosequamini quod ipse Alfonsus electus vestri favoris fultus presidio in commisso sibi dicte Ecclesie regimine possit, Deo propitio, prosperari ac vobis exinde a Deo perennis vite premium et a nobis condigna proveniat actio gratiarum. Datum ut supra.

59d

Hodie Ecclesiae Sanctae Marthae

Reg. Lat. 1600 fol. 17v-18r — die 9 ianuarii 1534

Dilectis filiis populo civitatis et diocesis Sancte Marte salutem etc. Hodie ecclesie Sancte Marte quam nos etiam hodie in provincia Sancte Marte nuncupate in insulis Indiarum noviter repertis consistente ex certis causis de fratrum nostrorum consilio apostolica auctoritate ereximus et instituimus ac cui oppidum sive pagum Sancte Marte nuncupatum etiam per nos in civitatem erectum pro civitate ac certam partem eiusdem provincie pro eius diocesis illiusque incolas et habitatores pro clero et populo concessimus et assignavimus de persona dilecti filii Alfonsi electi Sancte Marte nobis et eisdem fratribus ob suorum exigentiam meritorum accepta de simili consilio providimus ipsumque illi in episcopum preficimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Quocirca etc. universitati monemus et hortamur attente vobis per

apostolica scripta mandamus quatinus eundem Alfonsum electum tamquam patrem et pastorem animarum vestrarum devote suscipientes et debita honorificentia prosequentes eius monitis et mandatis salubribus humiliter intendatis, ita quod ipse Alfonsus in vobis devotionis filios et vos in eo per consequens patrem benivolum invenisse gaudeatis. Datum ut supra.

59e

Apostolicae Sedis consueta clementia

Reg. Lat. 1600 fol. 18r-19r die 9 ianuarii 1534

Dilecto filio Alfonso de Tobes presbitero Segovien. diocesis licenciato in Theologia salutem etc. Apostolice Sedis consueta clementia ne dispositiones per eam de cathedralibus ecclesiis pro tempore facte valeant quomodolibet impugnari sed persone ad eas promovende illis puro corde et sincera conscientia presidere remedia prout convenit adibet opportuna. Cum itaque nos hodie ecclesie Sancte Marte quam etiam hodie in provincia Sancte Marte nuncupate in insulis Indiarum noviter repertis consistente ex certis causis de fratrum nostrorum consilio apostolica auctoritate ereximus et instituimus a primeva eius erectione huiusmodi ad presens vacanti de persona tua nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de simili consilio providere teque illi in episcopum et pastorem preficere intendamus nos ne si forsan aliquibus sententiis, censuris et penis ecclesiasticis ligatus sis provisio et prefectio predicte possint propterea quomodolibet impugnari providere volentes a quibusvis ad hoc dumtaxat ut provisio et prefectio predicte ac singule littere apostolice desuper conficiende suum sortiantur effectum auctoritate predicta tenore presentium absolvimus et absolutum fore nuntiamus non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo nostre absolutionis, nuntiationis etc. Siquis etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo trigesimo tertio, quinto idus januarii anno undecimo.

59f

Cum nos pridem

Reg. Lat. 1600 fol.19r-20r die 11 ianuarii 1534

Dilecto filio Alfonso electo Sancte Marte salutem etc. Cum nos pridem Ecclesie Sancte Marte tunc a primeva eius erectione per nos huiusmodi vacanti de persona tua nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorundem consilio apostolica auctoritate decernimus providendum preficiendo te illi in episcopum et pastorem prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Nos ad ea que ad tue commoditatis augmentum cedere valeant favorabiliter intendentes tuis in hac parte supplicationibus inclinati tibi ut a quocumque malueris catholico antistite gratiam et communionem apostolice sedis habente accitis et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus catholicis episcopis similes gratiam et communionem habentibus munus consecrationis recipere valeas ac eidem antistiti ut recepto prius per eum a te, nostro [et] Romane Ecclesie nomine fidelitatis debite solito iuramento iuxta formam presentibus annotatam, munus predictum auctoritate nostra impendere tibi possit plenam et liberam earundem tenore presentium concedimus facultatem. Volumus autem et auctoritate predicta statuimus et decernimus quod si non recepto a te per ipsum antistitem predicto iuramento, idem antistes munus ipsum tibi impendere et tu illud suscipere presumpseritis dictus antistites a pontificalis officii exercitio et tam ipse quam tu ab administratione tam spiritualium quam temporalium Ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso. Preterea volumus quod formam iuramenti ad te tunc prestiti iuramenti nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo munitas per proprium nuntium quantocius destinare procures, quodque per hoc venerabili fratri nostro archiepiscopo Ispalen., cui Ecclesia ipsa metropolitico iure subesse dinoscitur, nullum in posterum preiudicium generari. Forma autem iuramenti quod prestabis hec est: Ego Alfonsus etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo trigesimo tertio, tertio idus januarii anno undecimo.

60

Illius fulciti praesidio

Reg. Lat. 1600 fol. 49r-52r die 11 februarii 1534

ECCLESIA CASTELLAE AUREAE ERIGITUR

Inter alias provincias Indiarum Occidentalium de recenter repertas est illa quae Castellae Aureae nuncupatur, coelo salubri et solo fertili gaudet et cuius incolae divinae legis expertes sed rationis et humanitatis capaces sunt, et facile ad fidem christianam converti possunt. Iam plures christiani ibi habitant. Precibus imperatoris annuens Summus Pontifex locum Castellae Aureae in civitatem et sedem episcopalem erigit ac iuspatronatus super hanc Ecclesiam imperatori concedit.

Clemens VII

Ad perpetuam rei memoriam. Illius fulciti presidio cuius sunt terre cardines et cui cogitationes hominum preparantur, ac cuius providentia ordinationem suscipiunt universa, partes officii nobis desuper commissi ad ea libenter interponimus, per quae singulis in tenebris constitutis, ut ad verum lumen quod est Christus pervenire possint, lucis radii resplendeant. Unde in singulis locis, prout illorum necessitas et aliae rationabiles causae id exigunt, novas episcopales sedes ecclesiasque pro excellenti Sedis Apostolice preheminentia plantamus: ut per novas plantationes nova populorum adhesio militanti ecclesie accrescat, religionisque christiane et catholice fidei professio ubique consurgat, dilatetur et floreat: ac loca etiam humilia illustrentur et eorumdem locorum incolae et habitatores novarum sedium et honorabilium presulum assistentia circumfulti, auctore Domino, felicitatis eterne premia facilius valeant adhipisci. Sane cum charissimus in

Christo filius noster Carolus Romanorum Imperator semper Augustus qui etiam Castelle ac Legionis et Aragonum Rex existit comparasset inter alias provincias in insulis Indiarum per clare memorie Ferdinandi Castelle ac Legionis et Aragonum Regem eius in Castelle et Legionis ac Aragonum regnis predecessorem de recenter Deo auctore repertis provinciam Castelle Aureae nuncupatam caelo salubri et solo fertili gaudere et illius incolas divine legis expertes rationis et humanitatis capaces esse facileque ortodoxe fidei adherere et plures christianos in illa habitare sed in ea nullam adhuc ecclesiam erectam existere ac propterea summopere desiderat ut incole prefati discussis tenebris ad lumen veritatis perveniant et Christum potius humani generis redemptorem adnoscere possent spiritualium inhibi seminaria plantari et dominici ovilis ad quod errantes oves reducentur et reducte preserventur septa construi. Nos habita super hiis cum fratribus nostris deliberatione matura de illorum consilio prefato Carolo Imperatore super hoc nobis humiliter supplicante ad Omnipotentis Dei laudem et gloriam necnon gloriosissime eius genitricis virginis Marie totiusque curie celestis honorem et fidei predicte exaltationem terram etiam Castelle Aureae nuncupatam dicte provincie in civitatem que Castelle Aureae nuncupatur et in ea cathedralem ecclesiam sub invocatione Sancti Petri martiris pro uno episcopo qui ipsius ecclesie structuras et edificia construi faciat et in illa eiusque civitate et diocesi verbum Dei predicet ac earum incolas infideles ad fidei predicte cultum convertat, ac conversos in eadem fide instruat et informet eisque baptismi gratiam impendat et tam illis sic conversis quam omnibus aliis fidelibus in civitate et diocesi predictis pro tempore degentibus et ad illas declinantibus sacramenta ecclesiastica et alia spiritualia ministret et ministrari faciat et procuret, necnon in ecclesia ac civitate et diocesi predictis episcopalem iurisdictionem, auctoritatem et potestatem libere exercere valeat, ac dignitates, canonicatus et prebendas aliaque beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura erigat et instituat ac alia spiritualia conferat et seminet prout divini cultus augmento et ipsorum incolarum animarum saluti expedire cognoverit quique archiepiscopo Ispalen. pro tempore existenti iure metropolitico subsit ac ex omnibus inhibi pro tempore provenientibus, preter quam ex auro et argento et aliis metallis, gemmis et lapidibus pretiosis que pro tempore existentibus Castelle et Legionis regibus, quoad hec libera esse decernimus, decimas et primicias de iure debitas ceteraque episcopalia iura prout alii in Ispania episcopi de iure vel consuetudine exigunt et percipiunt exigere et percipere libere et licite valeat cum sede et mensa ac aliis insigniis et iuribus episcopalibus necnon privilegiis, immunitatibus et gratiis quibus aliae cathedrales ecclesie ac illarum presules in Ispania de

iure vel consuetudine utuntur, potiuntur et gaudent ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum utatur, potiatur et gaudeat auctoritate apostolica et tenore predictis perpetuo erigimus et instituimus, ac eidem ecclesie locum Castelle Aureae per nos in civitatem erectum huiusmodi pro civitate ac partem dicte provincie Castelle Aureae quam ipse Carolus Imperator et Rex positis limitibus statuerit seu statui mandaverit pro diocesi illorumque incolas et habitatores pro clero et populo auctoritate et tenore predictis concedimus et assignamus ac illius mense episcopali predicte pro eius dote reditus annuos ducentorum ducatorum auri per ipsum Carolum Imperatorem ex reditibus annuis ad eum in dicta provincia spectantibus assignandos, donec fructus ipsius mense ad valorem ducentorum ducatorum similium ascendant annuatim eiusdem auctoritate et tenore applicamus et appropriamus. Et insuper ius patronatus et presentandi infra annum propter loci distantiam personas idoneas ad erectam ecclesiam predictam, quoties illius vacatio ea prima vice excepta occurrerit Romano Pontifici pro tempore existenti, per eum in eiusdem ecclesie episcopum et pastorem ad presentationem huiusmodi preficiendum; necnon ad singula dignitates, canonicatus et prebendas ac beneficia erigenda huiusmodi, tam ab eorum primeva erectione postquam erecta fuit quam ex tunc deinceps pro tempore vacabunt, episcopo Castelle Aureae pro tempore existenti similiter per eum ad presentationem huiusmodi in ipsis dignitatibus, canonicatibus et prebendis ac beneficiis instituendis, prefato Carolo et pro tempore existenti Castelle et Legionis Regi de simili consilio auctoritate et tenore predictis perpetuo concedimus et assignamus. Nulli ergo etc. nostre erectionis, institutionis, decreti, aplicationis, approbationis, concessionis infringere etc. Siquis etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo trigesimo tertio, tertio idus februarii anno undecimo.

61a

Apostolatus officium

Reg. Lat. 1600 fol. 52r-54r die 11 februarii 1534

PROVISIO ECCLESIAE CASTELLAE AUREAE (*PANAMÁ*)

Summus Pontifex Ecclesiae Castellae Aureae in provincia eiusdem nominis in insulis Indiarum eodem die sub invocatione sancti Petri martyris erectae, Thomam de Berlanga presbyterum Ordinis Fratrum Praedicatorum et Priorem provincialem eiusdem Ordinis, episcopum et pastorem praeficit curam et administrationem ipsius Ecclesiae in spiritualibus et temporalibus ei committens.

Eandem provisionem Summus Pontifex populo civitatis et dioecesis, archiepiscopo Hispalensi (*Sevilla*) cui Ecclesia Castellae Aureae iure metropolitico subest, et Carolo imperatori ac Ioannae reginae communicat. Electo episcopo vero absolutio a censuris et poenis ecclesiasticis quibus forsan ligatus est impertitur, ut litterae apostolicae de provisione suum sortiantur effectum, eique facultas conceditur, ut a quocumque maluerit catholico Antistite munus consecrationis suscipere possit, assistentibus sibi duobus aut tribus episcopis, iuramento fidelitatis consueto ritu praestito.

Clemens VII

Dilecto filio Thome de Berlanga [1] electo Castelle Auree salutem etc. Apostolatus officium meritis licet imparibus nobis ex alto commissum quo ecclesiarum omnium regimini divina dispositione presidemus utiliter exequi quo adiuvante Domino cupientes soliciti corde redimur et solertes ut cum de ecclesiarum ipsarum regiminibus agitur commitendis tales eis in pastores preficere studeamus qui populo sue cure creditum sciant non solum doctrina verbi sed etiam exemplo boni operis informare commissasque sibi ecclesias velint et valeant, auctore Domino, salubriter regere et feliciter gubernare. Dudum siquidem provisiones ecclesiarum omnium apud sedem apostolicam tunc vacantium et in antea vacaturarum ordinationi et dispositioni nostre reservavimus decernentes extunc irritum et inane etc. attentari. Postmodum vero ecclesia Castelle Auree quam nos hodie in provincia Castelle Auree nuncupata in insulis Indiarum consistente sub invocatio-

[1] Thomas de Berlanga natus est in oppido *Berlanga* in Hispania, anno 1508 Ordini Fratrum Praedicatorum nomen dedit, cum primis missionariis eiusdem Ordinis in Hispaniolam se contulit. Anno 1530 electus est Provincialis noviter erectae provinciae Sanctae Crucis in eadem insula Hispaniola. Anno 1537 munere episcopi Castellae Aureae se abdicavit et in Hispaniam reversus est. Mortuus est in *Berlanga* die 8 augusti anni 1551. BM II 343.

ne Sancti Petri martiris ex certis causis de fratrum nostrorum consilio apostolica auctoritate ereximus et instituimus ac ad quam ius patronatus et presentandi infra annum propter loci distantiam personam idoneam quotiens illius vacatio ea prima vice excepta pro tempore ocurrerit carissimo in Christo filio nostro Carolo Romanorum Imperatori semper Augusto qui etiam Castelle ac Legionis et Aragonum rex existit et pro tempore existenti Castelle et Legionis regi de simili consilio dicta auctoritate reservavimus ab eius primeva huiusmodi erectione apud sedem predictam vacante nos ad provisionem eius ecclesie celerem et felicem de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit sive potest reservatione et decreto obsistentibus supradictis ne ecclesia ipsa longe vacationis exponatur incommodis paternis et solicitis studiis intendentes post deliberationem quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam cum eisdem fratribus habuimus diligentem, demum ad te presbiterum ordinis fratrum predicatorum et theologie professorem et fratrum ipsius ordinis provinciae Indiarum secundum morem eiusdem ordinis priorem provincialem cui apud nos de vita mundicia, honestate morum, spiritualium providentia et temporalium circumspectione, aliisque multiplicum virtutum donis fidedigna testimonia perhibentur direximus oculos nostre mentis quibus omnibus debita meditatione pensatis de persona tua nobis et eisdem fratribus ob tuorum exigentiam meritorum accepta prefate ecclesie de ipsorum fratrum consilio dicta auctoritate providemus teque illi in episcopum preficimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo in illo qui dat gratias et largitur premia confidentes quod dirigente Domino actus tuos prefata ecclesia sub tuo felici regimine regetur utiliter et prospere dirigetur ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Iugum igitur Domini tui impositis humeris prompta devotione suscipiens curam et administrationem predictas sic exercere studeas solicite, fideliter et prudenter quod ecclesia ipsa gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam tuque preter eterne retributionis premium nostram et dicte sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo trigesimo tertio, tertio idus februarii anno undecimo.

61b

Hodie Ecclesiae Castellae Aureae

Reg. Lat. 1600 fol. 54rv die 11 februarii 1534

Dilectis filiis populo civitatis et diocesis Castelle Auree salutem etc. Hodie ecclesie Castelle Auree quam nos etiam hodie in provincia Castelle Auree nuncupate in insulis Indiarum consistente ex certis causis de fratrum nostrorum consilio apostolica auctoritate ereximus et instituimus ac cui loco etiam Castelle Auree nuncupato in dicta provincia etiam per nos in civitatem predictam pro civitate ac certam partem eiusdem provincie pro eius diocesi illorumque incolas et habitatores pro clero et populo concessimus et assignavimus de persona dilecti filii Thome electi Castelle Auree nobis et eisdem fratribus ob suorum exigentiam meritorum acepta de simili consilio providimus ipsumque illi in episcopum preficimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Quocirca universitati vestre rogamus et ortamur attente vobis per apostolica scripta mandamus quatinus eundem Thomam electum tamquam patrem et pastorem animarum vestrarum devote suscipientes et debita honorificentia prosequentes eius monitis et mandatis salubribus humiliter intendatis, ita quod ipse Thomas in vobis devotionis filios et vos in eo per consequens patrem benivolum invenisse gaudeatis. Datum ut supra.

61c

Ad cumulum tuae cedit salutis

Reg. Lat. 1600 fol. 54v-55v die 11 februarii 1534

Venerabili fratri archiepiscopo Ispalen. salutem etc. Ad cumulum tue cedit salutis et fame si personas ecclesiasticas presertim pontificali dignitate preditas divina propitiatione intuitu opportuni presidii et favoris gratia prosequaris. Hodie siquidem ecclesie Castelle Auree quam nos etiam hodie in provincia Castelle Auree nuncupate in insulis Indiarum consistente pro uno episcopo qui archiepiscopo Ispalen. pro tempore existenti metropolitico iure subesset ex certis causis de fratrum nostrorum consilio ereximus et instituimus tunc a primeva eius erectione huiusmodi vacante de persona dilecti filii Thome electi Castelle Auree nobis et eisdem fratribus ob suorum exigentiam meritorum acepta de simili consilio auctoritate apostolica providemus ipsumque illi in episcopum preficimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum igitur ut idem Thomas electus in commissa sibi predicte ecclesie cura facilius preficere valeat tuus favor ei fore noscatur plurimum opportunus fraternitatem tuam rogamus et ortamur attente tibi per apostolica scripta mandantes quatinus eundem Thomam electum et prefatam ecclesiam sibi commissam suffraganeam tuam habens pro nostra et apostolice sedis reverentia propensius commendatos in ampliandis et conservandis iuribus suis sic eos tui favoris presidio prosequaris quod ipse Thomas electus per tue auxilium gratie se possit incommisso sibi eiusdem ecclesie regimine utilius exercere tuque divinam misericordiam et nostram ac eiusdem sedis benedictionem et gratiam valeas exinde uberius promereri. Datum ut supra.

61d

Gratiae divinae praemium

Reg. Lat. 1600 fol. 55v-56r — die 11 februarii 1534

Carissimo in Christo filio Carolo Romanorum imperatori semper augusto et carissime in Christo filie Ioanne Castelle et Legionis regine

illustri salutem etc. Gratie divine premium et humane laudis preconium acquiritur si per seculares principes ecclesiarum prelatis presertim cathedralium ecclesiarum regimini presidentibus opportuni favoris presidium et honor debitus impendatur. Hodie siquidem ecclesie Castelle Auree quam nos etiam hodie in provincia Castelle Auree nuncupate in insulis Indiarum consistente ex certis causis de fratrum nostrorum consilio apostolica auctoritate ereximus ac instituimus tunc a primeva eius erectione huiusmodi vacante de persona dilecti filii Thome electi Castelle Auree nobis et eisdem fratribus ob suorum exigentiam meritorum acepta de simili consilio auctoritate predicta providimus ipsumque illi in episcopum preficimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum itaque filii carissimi sit virtutis opus Dei ministros benigno favore prosequi ac eos verbis et operibus pro regis eterni gloria venerari serenitatem vestram cum tu fili Carole etiam Castelle et Legionis rex existas rogamus et ortamur attente quatinus eundem Thomam electum et ecclesiam Castelle Auree predictam sue cure commissam habens pro nostra et Apostolice sedis reverentia propensius commendatos in ampliandis et conservandis iuribus suis sic eos benigni favoris auxilio prosequamini quod ipse Thomas electus vestri favoris fultus presidio in commisso sibi dicte ecclesie regimine possit, Deo propitio, prosperari ac vobis exinde a Deo perennis vite premium et a nobis condigna proveniat actio gratiarum. Datum ut supra.

61e

Apostolicae Sedis consueta clementia

Reg. Lat. 1600 fol. 56v-57r — die 11 februarii 1534

Dilecto filio Thome de Berlanga ordinis fratrum predicatorum in Theologia professori salutem etc. Apostolice Sedis consueta clementia ne dispositiones per eam de cathedralibus ecclesiis pro tempore facte

valeant quomodolibet impugnari sed persone ad eas promovende illis puro corde et sincera conscientia presidere remedia prout convenit adibet opportuna. Cum itaque nos hodie Castelle Auree quam etiam hodie in provincia Castelle Auree nuncupata in insulis Indiarum consistente ex certis causis de fratrum nostrorum consilio apostolica auctoritate ereximus et instituimus a primeva eius erectione huiusmodi ad presens vacanti de persona tua nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de simili consilio providere teque illi in episcopum et pastorem preficere intendamus nos ne si forsan aliquibus sententiis censuris et penis ecclesiasticis ligatus sis provisio et prefectio predicte possint propterea quomodolibet impugnari providere volentes teque a quibusvis ad hoc dumtaxat ut provisio et prefectio predicte et singule littere apostolice desuper conficiende suum sortiantur effectum auctoritate predicta tenore presentium absolvimus et absolutum fore nuntiamus non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo nostre absolutionis et nuntiationis etc. Siquis etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo trigesimo tertio, tertio idus februarii anno undecimo.

61f

Cum nos pridem

Reg. Lat. 1600 fol. 57r-58r die 12 februarii 1534

Dilecto filio Thome electo Castelle Auree salutem etc. Cum nos pridem Ecclesie Castelle Auree tunc a primeva eius erectione per nos facta vacanti de persona tua nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorundem consilio apostolica auctoritate decernimus providere preficiendo te illi in episcopum et pastorem prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur nos ad ea que ad tue commoditatis augmentum cedere valeant favorabiliter intendentes tuis in hac parte supplicationibus inclinati tibi ut a quocumque malueris catholico antistite gratiam et communionem apostolice sedis habente accitis et in hoc sibi assistentibus duobus

vel tribus catholicis episcopis similes gratiam et communionem habentibus munus consecrationis recipere valeas ac eidem antistiti ut recepto prius per eum a te, nostro et Romane Ecclesie nomine fidelitatis debite solito iuramento iuxta formam presentibus annotatam, munus predictum auctoritate nostra impendere libere et licite possit plenam et liberam earumdem tenore presentium concedimus facultatem. Volumus autem et auctoritate predicta statuimus et decernimus quod si non recepto a te per ipsum antistitem predicto iuramento idem antistes munus ipsum tibi impendere et tu illum suscipere presumpseritis dictus antistes a pontificalis officii exercitio et tam ipse quam tu ab administratione tam spiritualium quam temporalium Ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso. Preterea volumus quod formam huiusmodi ad te tunc prestiti iuramenti nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo munitas per proprium nuntium quantocius destinare procures quodque per hoc venerabili fratri nostro archiepiscopo Ispalen., cui Ecclesia ipsa metropolitico iure subesse dinoscitur, nullum in posterum preiudicium generari. Forma autem iuramenti quod prestabis hec est: Ego Thomas etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo trigesimo tertio, pridie idus februarii anno undecimo.

62

Tuae devotionis

Arm. XL 47 fol. 84r — die 8 martii 1534

DE ORDINATIONE EPISCOPI SANCTAE MARTHAE

Summus Pontifex Alfonso de Tobes, electo episcopo Sanctae Marthae in Columbia facultatem concedit suscipiendi munus ordinationis episcopalis a quocumque maluerit catholico Antistite duobus aliis episcopis aut abbatibus vel personis ecclesiasticis sibi assistentibus.

Clemens VII

Dilecto filio Alfonso de Tobes electo Sancte Marthe.

Dilecte fili, salutem etc. Tue devotionis precibus benignum impartientes assensum illa tibi gratiose concedenda ducimus que ad tue commoditatis augmentum cedere dinoscuntur. Quapropter tibi, de cuius persona nuper Ecclesie Sancte Marthe tunc a primeva eius erectione per nos facta vacante Apostolica auctoritate providimus preficiendo te illi in episcopum et pastorem, ut a quocunque malueris catholico Antistite gratiam et communionem Apostolice Sedis habente accitis et sibi in hoc assistentibus duobus aliis episcopis seu abbatibus, si commode haberi poterunt aut duabus aliis personis in dignitate ecclesiastica constitutis munus consecrationis alias iuxta tenorem litterarum tibi super munere huiusmodi impendendo sub plumbo concessarum suscipere libere et licite valeas. Ac eidem Antistiti, ut illud tibi, ut prefertur, impendere licite possit, quibusvis constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis, nequaquam obstantibus auctoritate predicta tenore presentium concedimus et pariter indulgemus. Datum Rome die 8 martii 1534, anno XI°.

63

Illius fulciti praesidio

Reg. Lat. 1600 fol. 103v-106r — die 24 aprilis 1534

ERECTIO ECCLESIAE CARTHAGINENSIS

Summus Pontifex oppidum *Cartagena* in provincia eiusdem nominis, cuius incolae divinae legis expertae existunt et in qua plures christiani habitant, in civitatem elevat et dioecesim erigit sub invocatione Sanctae Catherinae, pro uno episcopo qui ecclesiam construi faciat, verbum Dei praedicet, incolas infideles ad orthodoxae fidei cultum convertat, conversis sacramenta administret et beneficia ecclesiastica erigat. Episcopus archiepiscopo Hispalen-

si iure metropolitico subsit. Imperatori limites dioecesi assignandi committuntur, redditus mensae episcopalis definiuntur.

Clemens VII

Ad perpetuam rei memoriam. Illius fulciti presidio cuius sunt terre cardines et cui cogitationes hominum preparantur, ac cuius providentia ordinationem suscipiunt universa, partes officii nobis desuper commissi ad ea libenter interponimus per que singulis in tenebris constitutis ut ad verum lumen, quod est Christus, pervenire possint lucis radii resplendeant. Unde in singulis locis prout illorum necessitas et alie rationabiles cause id exigunt, novas episcopales sedes ecclesiasticas pro excellenti Sedis Apostolice preheminentia plantamus, ut per novas plantationes nova populorum adesio militanti ecclesie accrescat, religionisque cristiane et catholice fidei professio ubique consurgat, dilatetur et floreat, ac loca etiam humilia illustrentur et eorumdem locorum incole et habitatores, novarum sedium et honorabilium presulum assistentia circumfulti auctore Domino felicitatis eternae premia facilius valeant adipisci. Sane cum inter ceteras provincias in insulis Indiarum auspiciis carissimi in Christo filii nostri Caroli Romanorum Imperatoris semper Augusti qui etiam Castelle et Legionis et Aragonum rex existit a quindecim annis circa noviter repertis sit una Cartagena nuncupata cuius incole divine legis expertes existunt et in qua licet in ea plures christiani habitent nulla tamen ecclesia adhuc erecta existit ac idem Carolus Imperator et Rex pio affectu desideret in dicta provincia Carthagena, eius temporali ditione subiecta illius gloriosissimi nominis cultum cuius est orbis terrarum et plenitudo eius ac universi qui habitant in eo ampliari et eius incolas prefatas ad lucem veritatis pervenire animarumque salutem propagari ac propterea locum principalem ipsius provinciae Carthagene similiter Carthagena nuncupatum in civitatem et in ea cathedralem ecclesiam erigi. Nos habita super hiis cum fratribus nostris deliberatione matura de illorum consilio prefato Carolo Imperatore super hoc nobis humiliter supplicante ad omnipotentis Dei laudem et gloriam ac gloriosissime eius genitricis virginis Marie totiusque curie celestis honorem et ipsius fidei catholice exaltationem locum Carthagena predictum in civitatemque Carthagian. nuncupetur ac in ea cathedralem ecclesiam sub invocatione Sanctae Catherinae pro uno episcopo qui ipse ecclesie structuras et edificia construi faciat et in illa eiusque civitate et diocesi verbum

Dei predicet ac earum incolas infideles ad eiusdem ortodoxe fidei cultum convertat ac conversos in eadem fide instruat et confirmet eisque baptismi gratiam impendat ac tam illis sic conversis quam aliis omnibus fidelibus in eisdem civitate et diocesi pro tempore degentibus et ad illas declinantibus sacramenta ecclesiastica et alia spiritualia ministret ac ministrari faciat et procuret necnon in eadem ecclesia ac civitate ac diocesi predictis episcopalem iurisdictionem, auctoritatem et potestatem libere exercere valeat et dignitates, canonicatus et prebendas aliaque beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura erigat et instituat ac alia spiritualia conferat et seminet prout divini cultus augmento et ipsarum incolarum animarum saluti expedire cognoverit et qui archiepiscopo Ispalen. pro tempore existenti metropolitico iure subsit ac ex omnibus inhibi pro tempore provenientibus preter quam ex auro et argento ac aliis metallis, gemmis et lapidibus pretiosis que pro tempore existentibus Castelle et Legionis regibus quoad hoc libera esse decernimus, decimas et primicias de iure debitas ceteraque episcopalia iura prout alii in Ispania episcopi de iure vel consuetudine exigunt et percipiunt exigere, percipere libere et licite valeat cum Sede ac mensa et aliis insigniis ac iurisdictionibus episcopalibus necnon privilegiis, immunitatibus et gratiis quibus alie cathedrales ecclesie ac illarum presules in Ispania de iure vel consuetudine utuntur, potiuntur et gaudent ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, auctoritate Apostolica tenore presentium perpetuo erigimus et instituimus ac eidem ecclesie locum in civitate erectum pro civitate necnon partem provincie Carthagene huiusmodi quam ipse Carolus Imperator et Rex positis limitibus statuerit et statui mandaverit pro diocesi illorumque incolas et habitatores pro clero et populo concedimus et assignamus necnon illius mense episcopali predicte pro eius dote redditus annuos ducentorum ducatorum auri per ipsum Carolum Imperatorem et Regem ex redditibus annuis ad eum in dicta provincia Carthagena spectantibus assignandos donec fructus ipsius mense ad valorem ducentorum ducatorum auri similium ascendant annuatim perpetuo applicamus et apropriamus et insuper ius patronatus ad presentandi infra annum propter loci distantiam personas idoneas ac ad erectam ecclesiam predictam quotiens illius vacatio ea prima vice excepta pro tempore occurrerit Romano Pontifici pro tempore existenti per eum in eiusdem ecclesie episcopum et pastorem ad presentationem huiusmodi preficiendum necnon ad dignitates canonicatus et prebendas ac beneficia erigenda predicta tam ab eorum primeva erectione huiusmodi postquam erecta fuerit, quam ex tunc deinceps pro tempore vacantia episcopo Carthagen. pro tempore existenti similiter per eum ad presentationem huiusmodi in ipsis dignitatibus, canonicatibus et pre-

bendis ac beneficiis instituendis prefato Carolo et pro tempore existenti Castelle et Legionis Regi de simili consilio, auctoritate et tenore supradictis in perpetuum reservamus, concedimus et assignamus. Nulli ergo etc. nostrae erectionis, institutionis, decreti, applicationis, appropriationis, reservationis, concessionis et assignationis etc. Si quis etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo trigesimo quarto, octavo kalendas maii anno undecimo.

64a

Apostolatus officium

Reg. Lat. 1600 fol. 106r-107v — die 24 aprilis 1534


PROVISIO ECCLESIAE CARTHAGINENSIS

Summus Pontifex Thomam de Toro, Ordinis Fratrum Praedicatorum professorem, Ecclesiae Carthaginensi, *hodie in provincia Cartajan. insulis Indiarum* erectae, praeficit. Provisio haec populo civitatis et dioecesis Carthaginensis et archiepiscopo Hispalensi nuntiatur. Episcopo electo absolutio a censuris et poenis ecclesiasticis impertitur, ut litterae apostolicae de provisione effectum suum sortiantur, eique facultas conceditur, ut a quocumque maluerit catholico Antistite munus consecrationis suscipere valeat, assistentibus sibi duobus vel tribus episcopis, iuramento fidelitatis consueto ritu praestito. Imperator et Regina de provisione certiores fiunt.

Clemens VII

Dilecto filio Thome de Toro [1] electo Cartajan. salutem. etc. Apostolatus officium meritis licet imparibus nobis ex alto commissum

[1] Thomas de Toro anno 1530 cum primis Dominicanis in provinciam *Perú* se contulit. Mortuus est iam medio anno 1536. *Egaña* 25-26.



quo ecclesiarum omnium regimini divina dispositione presidemus utiliter exequi quo adiuvante Domino cupientes soliciti corde redimur et solertes ut cum de ecclesiarum ipsarum regiminibus agitur committendis tales eis in pastores preficere studeamus qui populum sue cure sciant non solum doctrina verbi sed etiam exemplo boni operis informare commissasque sibi ecclesias velint et valeant, auctore Domino, salubriter regere et feliciter gubernare. Dudum siquidem provisiones ecclesiarum omnium apud sedem apostolicam tunc vacantium et in antea vacaturarum ordinationi et dispositioni nostre reservavimus decernentes extunc irritum et inane si secus super his per quoscumque quavis auctoritate etc. attentari. Postmodum vero ecclesia Carthagian. quam nos hodie in provincia Cartajan. insulis Indiarum consistente sub invocatione Sancte Catharine ex certis causis de fratrum nostrorum consilio apostolica auctoritate ereximus et instituimus et ad quam ius patronatus et presentandi infra annum propter loci distantiam personam idoneam quotiens illius vacatio ea prima vice excepta pro tempore ocurrerit carissimo in Christo filio nostro Carolo Romanorum Imperatori semper Augusto qui etiam Castelle et Legionis et Aragonum rex existit et pro tempore existenti Castelle et Legionis regi de simili consilio dicta auctoritate reservavimus ab eius primeva huiusmodi erectione apud sedem predictam vacante nos ad provisionem eiusdem ecclesie celerem et felicem de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit sive potest reservatione et decreto obsistentibus supradictis ne ecclesia ipsa longe vacationis exponatur incommodis paternis et solicitis studiis intendentes post deliberationem quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te ordinis fratrum predicatorum professorem in presbiteratus ordine constitutum cui apud nos de litterarum scientia, vite mundicia, honestate morum, spiritualium providentia et temporalium circumspectione, aliisque multiplicum virtutum donis fidedigna testimonia perhibentur direximus oculos nostre mentis quibus omnibus debita meditatione pensatis de persona tua nobis et eisdem fratribus ob tuorum exigentiam meritorum accepta prefate ecclesie de ipsorum fratrum consilio dicta auctoritate providemus teque illi in episcopum preficimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo in illo qui dat gratias et largitur premia confidentes quod dirigente Domino actus tuos prefata ecclesia sub tuo felici regimine regetur utiliter et prospere dirigetur ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Iugum igitur Domini tuis impositis humeris prompta devotione suscipiens curam et administrationem predictas sic exercere studeas solicite, fideli-

ter et prudenter quod ecclesia ipsa gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam tuque preter eterne retributionis premium nostram et dicte sedis benedictionem, et gratiam exinde uberius consequi merearis. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo trigesimo quarto, octavo kalendas maii anno undecimo.

64b

Hodie Ecclesiae Carthajan.

Reg. Lat. 1600 fol. 107v-108r — die 24 aprilis 1534

Dilectis filiis populo civitatis et diocesis Cartajan. salutem etc. Hodie ecclesie Carthajan. quam nos etiam hodie in provincia Carthagen. nuncupata in insulis Indiarum consistente ex certis causis de fratrum nostrorum consilio apostolica auctoritate ereximus et instituimus, ac cuius locum principalem ipsius provincie similiter Cartajan. nuncupatum etiam per nos in civitatem erectum pro civitate ac certam partem eiusdem provincie pro eius diocesi illiusque incolas et habitatores pro clero et populo concessimus et assignavimus de persona dilecti filii Thome electi Cartagen. nobis et eisdem fratribus ob suorum exigentiam meritorum accepta de simili consilio providimus ipsumque illi in episcopum preficimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Quocirca etc. mandamus quatinus eundem Thomam electum tamquam patrem et pastorem animarum vestrarum devote suscipientes et debita honorificentia prosequentes eius monitis et mandatis salubribus humiliter intendatis, ita quod ipse Thomas electus in vobis devotionis filios et vos in eo per consequens patrem benivolum invenisse gaudeatis. Datum ut supra.

64c

Ad cumulum tuae cedit salutis

Reg. Lat. 1600 fol. 108r-109r die 24 aprilis 1534

Venerabili fratri archiepiscopo Ispalen. salutem etc. Ad cumulum tue cedit salutis et fame si personas ecclesiasticas presertim pontificali dignitate preditas divina propitiatione intuitu opportuni presidii et favoris gratia prosequaris. Hodie siquidem ecclesie Carthajan. quam nos etiam hodie in provincia Carthajan. nuncupata in Insulis Indiarum consistente pro uno episcopo qui archiepiscopo Ispalen. pro tempore existenti metropolitico iure subesset ex certis causis de fratrum nostrorum consilio ereximus et instituimus tunc a primeva eius erectione vacante de persona dilecti filii electi Cartajan. nobis et eisdem fratribus ob suorum exigentiam meritorum accepta de simili consilio auctoritate predicta providemus ipsumque illi in episcopum preficimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum igitur ut idem Thomas electus in commissa sibi predicte ecclesie cura facilius preficere valeat tuus favor ei fore noscatur plurimum opportunus fraternitatem tuam rogamus et ortamur attente tibi per Apostolica scripta mandantes quatinus eundem Thomam electum et prefatam ecclesiam sibi commissam suffraganeam tuam habeas pro nostra et apostolice sedis reverentia propensius commendatos in ampliandis et conservandis iuribus suis sic eos tui benigni favoris presidio prosequaris quod ipse Thomas electus per tue auxilium gratie se possit in commisso sibi eiusdem ecclesie regimine utilius exercere tuque divinam misericordiam et nostram ac eiusdem sedis benedictionem et gratiam valeas exinde uberius promereri. Datum ut supra.

64d

Apostolicae Sedis consueta clementia

Reg. Lat. 1600 fol. 109v-110r die 24 aprilis 1534

Dilecto filio Thome de Toro ordinis fratrum predicatorum professori salutem etc. Apostolice Sedis consueta clementia ne dispositiones per eam de cathedralibus ecclesiis pro tempore facte valeant quomodolibet impugnari sed persone ad eas promovende illis puro corde et sincera conscientia presidere possint remedia prout convenit adibet opportuna. Cum itaque nos hodie ecclesie Carthajen. quam etiam nos hodie in provincia Carthajen. nuncupata in insulis Indiarum consistente ex certis causis de fratrum nostrorum consilio Apostolica auctoritate ereximus et instituimus a primeva erectione huiusmodi ad presens vacanti de persona tua nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de simili consilio dicta auctoritate providere teque illi in episcopum et pastorem preficere intendamus nos ne si forsan aliquibus sententiis, censuris et penis ecclesiasticis ligatus sis provisio et prefectio predicte possint propterea quomodolibet impugnari providere volentes teque a quibusvis excommunicationis etc. ad hoc duntaxat ut provisio et prefectio predicte ac singule littere apostolice desuper conficiende suum sortiantur effectum auctoritate predicta tenore presentium absolvimus et absolutum fore nuntiamus non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo nostre absolutionis et nuntiationis etc. Siquis etc. Datum Romae apud sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo trigesimo quarto, octavo kalendas maii anno undecimo.

64e

Cum nos pridem

Reg. Lat. 1600 fol. 110v-111r die 24 aprilis 1534

Dilecto filio Thome electo Cartajan. salutem etc. Cum nos pridem ecclesie Carthajan. tunc a primeva erectione per nos facta vacanti de persona tua nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorumdem consilio apostolica auctoritate duxerimus providendum preficiendo te illi in episcopum et pastorem prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Nos ad ea que ad tue commoditatis augmentum cedere valeant favorabiliter intendentes tuis in hac parte supplicationibus inclinati tibi ut a quocumque malueris catholico antistite gratiam et communionem apostolice sedis habente accitis et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus catholicis episcopis similes gratiam et communionem habentibus munus consecrationis recipere valeas ac eidem antistiti ut recepto prius per eum a te, nostro et Romane Ecclesie nomine fidelitatis debite solito iuramento iuxta formam presentibus annotatam munus predictum auctoritate nostra impendere libere tibi possit plenam et liberam earundem tenore presentium concedimus facultatem. Volumus autem et auctoritate predicta statuimus et decernimus quod si non recepto a te per ipsum antistitem predicto iuramento idem antistes munus ipsum tibi impendere et tu illud suscipere presumpseritis dictus antistes a pontificalis officii exercitio et tam ipse quam tu ab administratione tam spiritualium quam temporalium Ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso. Preterea volumus quod formam huiusmodi ad te tunc prestiti iuramenti nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo munitas per proprium nuntium quantocius destinare procures quodque per hoc venerabili fratri nostro archiepiscopo Ispalen., cui Ecclesia ipsa metropolitico iure subesse dinoscitur, nullum in posterum preiudicium generari. Forma autem iuramenti quod prestabis hec est: Ego Thomas electus Cartajan. etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo trigesimo quarto, sexto kalendas maii anno undecimo.

64f

Gratiae divinae praemium

Reg. Lat. 1600 fol. 109rv die 24 aprilis 1534

Carissimo in Christo filio Carolo Romanorum imperatori semper augusto et carissime in Christo filie Ioanne Castelle et Legionis regine illustri salutem etc. Gratie divine premium et humane laudis preconium acquiritur si per seculares principes ecclesiarum prelatis presertim cathedralium ecclesiarum regimini presidentibus opportuni favoris presidium et honor debitus impendatur. Hodie siquidem ecclesie Carthajan. quam nos hodie in provincia Carthagena nuncupate in insulis Indiarum consistente ex certis causis de fratrum nostrorum consilio apostolica auctoritate ereximus et instituimus tunc a primeva eius erectione huiusmodi vacante de persona dilecti filii Thome electi Cartajan. nobis et eisdem fratribus ob suorum exigentiam meritorum accepta de simili consilio auctoritate predicta providimus ipsumque illi in episcopum preficimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum itaque filii carissimi sit virtutis opus Dei ministros benigno favore prosequi ac eos verbis et operibus pro regis eterni gloria venerari serenitatem vestram cum tu filii Carole etiam Castelle et Legionis et Aragonum rex existas rogamus et ortamur attente quatinus eundem Thomam electum et ecclesiam predictam sue cure commissam habens pro nostra et Apostolice sedis reverentia propensius commendatos in ampliandis et conservandis iuribus suis sic eos benigni favoris auxilio prosequamini quod ipse Thomas electus vestri favoris fultus presidio in commisso sibi dicte ecclesie regimine possit, Deo propitio, prosperari ac vobis exinde a Deo perennis vite premium et a nobis condigna proveniat actio gratiarum. Datum ut supra.

65

Aequum reputamus

Reg. Lat. 1615 fol. 35r-37r — die 3 novembris 1534
Hernáez II 102-104

ERECTIO DIOECESIS LEGIONEN. IN *NICARAGUA* CONFIRMATUR

Clemens VII die 26 februarii anni 1531 civitatem Legionen. sub invocatione Gloriosae Dei Genitricis semper Virginis Mariae in provincia *Nicaragua* erexerat, sed superveniente eius obitu Litterae confectae non erant. Incolae illius provinciae rationis et humanitatis capaces ideoque evangelizandi sunt. Hac de causa novae dioeceses plantandae, episcopi nominandi, cathedrales ecclesiae erigendae, dignitates, canonicatus et praebendae aliaque beneficia ecclesiastica instituenda sunt, ut incolis orthodoxa fides praedicetur ac sacramenta administrentur. Clemens VII novam dioecesim congruenter dotaverat, iuspatronatus imperatori concesserat, atque suffraganeam sedis Metropolitanae *Sevilla* constituerat. Paulus III omnes istas Praedecessoris sui dispositiones confirmat.

Paulus III

Ad perpetuam rei memoriam. Aequum reputamus et rationi consonum ut ea quae Romani Pontificis gratia processerunt licet eius superveniente obitu litterae confectae non fuerint suum sortiantur effectum. Dudum siquidem cum inter alias provincias in Insulis Indiarum nuncupatis concedente Domino felicibus auspiciis carissimi in Christo filii nostri Caroli Romanorum Imperatoris semper Augusti qui etiam Castellae et Legionis Rex existit noviter repertis et acquisitis et eius temporali ditioni subiectis esset una Nicharagua nuncupata cuius incolae et habitatores Divinae Legis expertes absque aliqua Fideì Orto-

doxae instructione vivebant et in qua aliqua ecclesia nondum erecta erat ac propterea ut ipsi incolae et habitatores rationis et humanitatis capaces fidei predictae adererent et discussis errorum tenebris ad lucem veritatis pervenirent et Salvatorem nostrum Dominum Iesum Christum totius humani generis Redemptorem cognoscerent necesse essent ibi spiritualia seminare et plantare et Dominici ovilis ad quod oves errantes reducerentur et in quo reductae praeservarentur septa conservare felicis recordationis Clemens Papa VII praedecessor noster qui ad ea per quae singulis in tenebris constitutis ut ad veram lucem pervenire possent lucis radii resplenderent partes Apostolici officii sibi desuper commissi libenter interponebat ac propterea in singulis locis prout illorum necessitas et aliae rationabiles causae id exigebant novas Episcopales Sedes Ecclesiasque pro excellenti Sedis Apostolicae praeheminentia plantabat ut per eas plantationes nova populorum adhaesio militanti Ecclesiae accresceret religionisque Christianae ac Catholicae Fidei professio ubique consurgeret, dilataretur ac floreat et loca etiam humilia etiam illustrarentur et eorumdem incolae et habitatores novam Sedem et honorabilium praesulum assistentia circumfulti auctore Domino, felicitatis aeternae praehemia facilius valerent adhipisci sub dato videlicet quarto kalendas martii Pontificatus sui anno octavo habita super iis per ipsum praedecessorem cum tunc Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus de quorum numero tunc eramus deliberatione matura et de illorum consilio praefato Carolo Imperatore id summopere cupiente et eidem praedecessori humiliter supplicante ad laudem et gratiam illius cuius est terra etiam plenitudo eius et universi qui habitant in ea totiusque coelestis Curiae iubilationem et ipsius Fidei exaltationem ac incolarum et habitatorum praedictorum animarum salutem oppidum Legionen. nuncupatum in dicta provincia Nicaragua in qua aliqui fideles morabantur consistens civitatis titulo insignivit et illud in civitatem quae Legionen. nuncuparetur; et in ea unam Cathedralem Ecclesiam sub invocatione Gloriosae Dei Genitricis semper Virginis Mariae pro uno episcopo Legionen. nuncupando qui illi praeesset et illius structuras et aedificia construi procuraret et faceret necnon in ea et civitate praedicta et eidem Ecclesiae assignanda diocesi verbum Dei praedicare et earum incolas et infideles necnon gentes barbaras ad Ortodoxae fidei cultum converteret et conversas in eadem institueret et confirmaret eisque Baptismi gratiam impenderet et tam illis sic conversis quam omnibus aliis fidelibus in civitate et diocesi huiusmodi pro tempore degentibus et ad eas declinantibus Sacramenta Ecclesiastica et alia Spiritualia ministrare et instruere faceret et procuraret; necnon in Ecclesia et civitate et diocesi praedictis Episcopalem iurisdictionem, auctoritatem et potestatem et alia quae alii

episcopi in suis civitatibus et diocesibus exercere, gerere et facere poterant et debebant exercere, gerere et facere: necnon ex omnibus inhibi proventibus praeter quam ex auro et argento et aliis geminibus et lapidibus pretiosis quae prefato praedecessori et pro tempore existentibus Castellae et Legionis Regibus quoad hoc libera esse decrevit decimas, primitias de iure debitas, caeteraque Episcopalia iura prout alii in Hispania episcopi de iure vel consuetudine exigebant et percipiebant exigere, percipere et levare libere et licite valeret et dignitates, canonicatus et praebendas aliaque beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura erigere et instituere et alia spiritualia conferre atque seminare prout pro Divini cultus augmento et ipsorum incolarum animarum salute expedire dignosceret et qui Archiepiscopo Ispalensi pro tempore existenti iure Metropolitico subesset cum Sede et mensa et aliis insigniis et iuribus episcopalibus necnon privilegiis, immunitatibus et gratiis quibus aliae Cathedrales Ecclesiae et earum presules in eadem Hispania de iure vel consuetudine utebantur, potiebantur et gaudebant uti, potiri et gaudere possent quomodolibet in futurum auctoritate Apostolica perpetuo erexit et instituit ac eidem erectae Ecclesiae oppidum Legionen. sic in civitatem erectum pro civitate necnon districtum et territorium aut partes ipsius provinciae per ipsum Carolum Imperatorem et Regem positis limitibus assignatas seu assignandas pro diocesi eorumque incolas et habitatores pro clero et populo concessit et assignavit et nihilominus ius patronatus ad presentandum infra annum propter loci distantiam personas idoneas ad dictam Ecclesiam quoties illius vacatio ea prima vice excepta pro tempore occurreret Romano Pontifici pro tempore existenti per eum in eiusdem Ecclesiae episcopum ad presentationem huiusmodi praeficiendum necnon ad dignitates, canonicatus et praebendas et beneficia erigenda praedicta ab eorum primaeva erectione postquam erecta forent quam ex tunc deinceps pro tempore vacantia episcopo Legionensi pro tempore existenti similiter per eum ad presentationem huiusmodi in ipsis dignitatibus, canonicatibus et praebendis et beneficiis instituendis praefato Carolo et pro tempore existenti Castellae et Legionis Regi de simili consilio dicta auctoritate reservavit, concessit et assignavit. Ne autem de erectione, institutione, concessione, assignatione ac reservatione huiusmodi pro eo quod super illis dicti praedecessoris eius superveniente obitu litterae confectae non fuerint valeat quomodolibet caesitari ipseque Carolus Imperator necnon pro tempore existens Castellae et Legionis Rex et episcopus Legionensis illarum frustrentur effectu volumus et similiter Apostolica auctoritate decernimus quod erectio, institutio, concessio, assignatio et reservatio praedictae perinde a dicta die IV kalendas martii suum sortiantur effectum ac si super

illis ipsius praedecessoris litterae sub eiusdem diei data confectae fuissent prout superius enarratur quodque praesentes litterae ad probandum plene easdem erectionem, institutionem, concessionem, assignationem et reservationem ubique sufficiant nec ad id probandum ulterius adminiculum requiratur. Nulli ergo nostre absolutionis etc. Si quis etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo trigesimo quarto, tertio nonas novembris anno primo.

66a

Aequum reputamus

Reg. Lat. 1615 fol. 37r-38v die 3 novembris 1534

PROVISIO ECCLESIAE LEGIONENSIS (*NICARAGUA*)

Summus Pontifex Clemens VII die 26 februarii anni 1531 proponente Carolo imperatore in provincia *Nicaragua* oppidum Legionense in civitatem et partem provinciae in dioecesim erexerat et ius patronatus et praesentandi personas idoneas imperatori concesserat. Nominationem primi episcopi autem sibi reservaverat. Iam nominaverat Didacum Álvarez de Osorio, sed superveniente Summi Pontificis morte, litterae de erectione et provisione confectae non sunt. Paulus III decisiones praedecessoris sui confirmat ac statuit, ut litterae apostolicae effectum suum sortiantur, ac si die 26 februarii 1531 confectae fuissent.

Easdem decisiones Summus Pontifex simili modo clero et populo civitatis et dioecesis Legionensis, archiepiscopo Hispalensi (*Sevilla*) et imperatori communicat. Electo episcopo vero absolutionem a censuris et poenis ecclesiasticis, in quas forsan incurrerit, impertitur, ut litterae apostolicae de provisione suum sortiantur effectum, eique facultatem concedit, ut a quocumque maluerit catholico Antistite munus consecrationis suscipere possit, assistentibus sibi duobus vel tribus episcopis, iuramento consueto ritu praestito.

Paulus III

Dilecto filio, dilecto filio Didaco Alvarez de Osorio [1] electo Legionen. salutem etc. Equum reputamus et rationi consonum ut ea, quae de Romani Pontificis gratia processerunt, licet eius superveniente obitu, literae apostolicae super illis confecte non fuerint, suum sortiantur effectum. Dudum siquidem felicis recordationis Clemens papa VII predecessor noster provisiones Ecclesiarum omnium apud Sedem Apostolicam tunc vacantium et in antea vacaturarum [...] et dispositionis suis reservavit [...] postmodum vero Ecclesie Legionen. quam tunc dictus predecessor procurante carissimo in Christo filio nostro tunc suo Carolo Romanorum Imperatori semper augusto qui etiam tunc Castelle rex existebat in provincia Nicaragua nuncupata in insulis Indiarum consistente et temporali ditioni ipsius Caroli Imperatoris et Regis subiecta et oppidum Legionen. nuncupatum in dicta provincia situm pro uno episcopo qui illi preesset ex certis causis de fratrum suorum de quorum numero tunc eramus consilio apostolica auctoritate erexerat ac cui oppidum predictum etiam per eum in civitatem tunc erectum pro civitate necnon districtum et territorium aut partem ipsius provincie per dictum Carolum Imperatorem et Regem positis limitibus assignandis pro eius diocesi earumque incolas et habitatores pro clero et populo concesserat et assignaverat et ad quam ius patronatus et presentandi infra annum propter loci distantiam personam idoneam quoties illius vacatio ea prima vice excepta pro tempore occurrerit prefato Carolo Imperatori et pro tempore existenti Castelle et Legionis Regi de simili consilio dicta auctoritate reservavit prout in aliis inde confectis litteris cum dictus predecessor ante quam eius littere desuper conficiende, sicut Domino placuit, rebus fuisset humanis exemptus plenius continetur ab eius primeva erectione huiusmodi quod [...] predecessori vacanti [?] idem predecessor ad provisionem dicte Ecclesie celerem et felicem de qua nullus preter ipsum predecessorem ea vice se intromittere potuerat sive poterat reservatione et decreto obstantibus [...] ne Ecclesia ipsa longe vacationis exponatur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendens post deliberationem quam de preficiendo eidem Ecclesie personam utilem ac etiam fruc-

---

[1] Didacus Álvarez de Osorio breve tempus Ecclesiae suae praefuit, quia nonnisi die 5 decembris 1536 consecrationem episcopalem suscepit, et iam anno sequenti mortuus est. Cfr. *Gonzalo Uribe Villegas,* Los Arzobispos y Obispos Colombianos; *Lopetegui-Zubillaga* 314.

tuosam cum eisdem fratribus habuimus diligentem demum ad te presbiterum Ispalen. diocesis cui apud eundem predecessorem de litterarum scientia, vite mundicia, honestate morum, spiritualium providentia et temporalium circumspectione, aliisque multiplicum virtutum donis fidedigna testimonia perhibentur direxit oculos sue mentis, quibus omnibus debita meditatione pensatis sub data videlicet quarto kalendas martii pontificatus sui anno octavo de persona tua sibi et fratribus predictis ob tuorum exigentiam meritorum accepta prefate Ecclesie de ipsorum fratrum consilio dicta auctoritate providimus teque illi in episcopum prefecimus et pastorem curam et administrationem ipsius Ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo in illo qui dat gratias et largitur premia confidentes quod dirigente Domino actus tuos prefata Ecclesia sub tuo felici regimine regetur utiliter et prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa ne autem de provisione ac prefectione huiusmodi pro eo quod super illis dicto predecessore eius superveniente obitu litterae confecte non sunt [...] quomodolibet esitari tuque illi [...] effectum volentes ut [...] apostolica auctoritate decernimus quod provisio et prefectio predicte per [...] die quarto kalendas martii suum sortiantur effectum ac si super illis ipsius predecessoris littere sub eiusdem diei date confecte fuissent prout superius [...] littere ad [...] plena easdem provisionem et prefectionem ubique [...] nec ad id [...] discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus [...] tibi [...] omni regimine et administratione dicte Ecclesie prompta devotione suscipiens curam et administrationem predictas sic exercere studeas sollicite, fideliter et prudenter quod Ecclesia ipsa gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque preter eterne retributionis premium nostram et dicte sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo trigesimo quarto, tertio nonas novembris anno primo.

66b

Dudum felicis recordationis

Reg. Lat. 1615 fol. 39rv — die 3 novembris 1534

Dilectis filiis clero civitatis et diocesis Legionen. salutem etc. Dudum felicis recordationis Clemens Papa VII predecessor noster ecclesie Legionen. quam tunc idem predecessor procurante carissimo in Christo filio nostro tunc suo Carolo Romanorum Imperatori semper Augusto in provincia Nicaragua nuncupata in insulis Indiarum consistente et temporali ditioni ipsius Caroli imperatoris et regis subiecta et oppidum Legionen. nuncupatum in dicta provincia situm pro uno episcopo qui illi preesset ex certis causis de fratrum suorum de quorum numero tunc eramus consilio apostolica auctoritate erexerat et instituerat ac cui oppidum predictum etiam per eum in civitatem tunc erectum pro civitate nec non districtum et territorium aut partem ipsius provincie per eundem Carolum Imperatorem et regem positis limitibus assignanda pro eius diocesi illorumque incolas et habitatores pro clero et populo concesserat et assignaverat tunc a primeva erectione huiusmodi vacanti de persona dilecti filii Didaci electi Legionen. sibi et eisdem fratribus ob suorum exigentiam meritorum accepta de simili consilio dicta auctoritate providimus ipsumque illi in episcopum prefecimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo prout in nostris inde confectis litteris cuius dictus predecessor antequam eius littere desuper conficiende, sicut Domino placuit, rebus fuisset humanis exemptum plenius continetur. Quocirca etc. mandamus quatinus eidem Didaco electo tamquam patri et pastori animarum vestrarum humiliter intendentes ac exhibentes sibi obedientiam et reverentiam debitas et devotas eius salubria monita et mandata suscipiatis humiliter et efficaciter adimplere curetis alioquin sententiam quam idem Didacus electus rite tulerit in rebelles ratam habebimus et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum ut supra.

66c

Dudum felicis recordationis

Reg. Lat. 1615 fol. 39v — die 3 novembris 1534

Dilectis filiis populo civitatis et diocesis Legionen. salutem etc. Dudum felicis recordationis Clemens papa VII predecessor noster ecclesie Legionen. quam tunc idem predecessor procurante carissimo in Christo filio nostro tunc suo Carolo Romanorum Imperatori semper augusto in provincia Nicaragua etc. ut supra ad [...] usque continetur. Quocirca universitati etc. monemus et ortamur attente vobis per apostolica scripta mandamus quatinus eundem Didacum electum tamquam patrem et pastorem animarum vestrarum devote suscipientes et debita honorificentia pertractantes eius monitis et mandatis salubribus humiliter intendatis ita quod ipse Didacus electus in vobis devotionis filios et vos in eo per consequens patrem benivolum invenisse gaudeatis. Datum ut supra.

66d

Ad cumulum tuae cedit salutis

Reg. Lat. 1615 fol. 39v-40v die 3 novembris 1534

Venerabili fratri nostro archiepiscopo Ispalen. salutem etc. Ad cumulum tue cedit salutis et fame si personas ecclesiasticas presertim pontificali dignitate preditas divine propitiationis intuitu opportuni presidii et favoris gratia prosequaris. Dudum felicis recordationis Clemens Papa VII predecessor noster ecclesie Legionen. quam tunc idem predecessor procurante carissimo in Christo filio nostro tunc suo Carolo Romanorum Imperatori semper augusto in provincia Nicaragua nuncupata in insulis Indiarum consistente et temporali ditioni ipsius Caroli imperatoris subiecta et oppido Legionen. nuncupato in dicta provincia sito pro uno episcopo qui illi preesset et archiepiscopi Ispalen. pro tempore existentis subesset ex certis causis de fratrum suorum de quorum numero tunc eramus consilio apostolica auctoritate ereximus et instituimus ac cui oppidum predictum etiam per eum in civitatem tunc erectum pro civitate nec non districtum et territorium aut partem ipsius provincie per eundem Carolum et regem positis li-

mitibus assignandi pro eius diocesi illorumque incolas et habitatores pro clero et populo concessimus et assignavimus tunc a primeva eius erectione huiusmodi vacanti de persona dilecti filii Didaci electi Legionen. sibi et eisdem fratribus ob suorum exigentiam meritorum accepta de simili consilio dicta auctoritate providimus ipsumque illi in episcopum preficimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo prout in nostris inde confectis litteris cuius dictus predecessor antequam eius littere desuper conficiende sicut Domino placuit rebus fuisset humanis exemptum plenius continetur. Cum igitur idem Didacus electus in commissa sibi predicte ecclesie cura facilius preficere valeat tuus favor ei fore noscatur plurimum opportunus fraternitatem tuam rogamus et ortamur attente tibi per apostolica scripta mandantes quatinus eundem Didacum electum ad prefatam ecclesiam sibi commissam suffraganem tuam habens pro nostra et apostolice sedis reverentia propensius commendatos in ampliandis et conservandis iuribus suis sic eos tui benigno favore presidio prosequaris quod ipse Didacus electus per tue auxilium gratie se possit in commissas sibi eiusdem ecclesie regimine utilius exercere tuque divinam misericordiam et nostram ac eiusdem sedis benedictionem et gratiam valeas exinde uberius promereri. Datum ut supra.

66e

Gratiae divinae praemium

Reg. Lat. 1615 fol. 40v-41v — die 3 novembris 1534

Charissimo in Christo filio Carolo Romanorum Imperatori semper augusto et charissime in Christo filie Iohanne Castelle et Legionis Regine illustri salutem etc. Gratie divine premium et humane laudis preconium acquiritur si per seculares principes ecclesiarum prelatis presertim cathedralium ecclesiarum regimini presidentibus opportuni favoris presidium et honor debitus impendatur. Dudum siquidem feli-

cis recordationis Clemens papa VII predecessor noster ecclesie Legionen. quod tunc idem predecessor te in Christo filio Carolo Imperatore qui etiam tunc Castelle et Legionis Rex existas [...] in provincia Nicaragua nuncupata in insulis Indiarum consistente et temporali ditioni tua Caroli imperatori subiecta et oppido Legionen. nuncupato in dicta provincia sito pro uno episcopo qui illi preesset ex certis causis de fratrum suorum de quorum numero tunc eramus consilio apostolica auctoritate ereximus et instituimus ac cui oppidum predictum etiam per eum in civitatem tunc erectum pro civitate nec non districtum et territorium ac partem ipsius provincie per te Carolum positis limitibus assignandi pro eius diocesi illarumque incolas et habitatores pro clero et populo concessimus et assignavimus tunc a primeva eius erectione huiusmodi vacanti de persona dilecti filii Didaci electi Legionen. sibi et eisdem fratribus ob suorum exigentiam meritorum accepta de simili consilio dicta auctoritate providimus ipsumque illi in episcopum preficimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo prout in nostris inde confectis litteris cuius dictus predecessor ante quam eius littere desuper conficiende, sicut Domino placuit, rebus fuisset humanis exemptum plenius continetur. Cum itaque filii charissimi sit virtutis opus dei ministros benigno favore prosequi ac eos verbis et operibus pro regis eterni gloria venerari serenitatem vestram rogamus et ortamur attente quatinus eundem Didacum electum et ecclesiam predictam sue cure commissam habens pro nostra et apostolice sedis reverentia propensius commendatos in ampliandis et conservandis iuribus suis sic eos benigni favoris auxilio prosequaris quod ipse Didacus electus vestri favoris fultus presidio in commisso sibi dicte ecclesie regimine possit Deo propitio prosperari ac vobis exinde a Deo perennis vite premium et a nobis condigna proveniat actio gratiarum. Datum ut supra.

66f

Rationi congruit

Reg. Lat. 1615 fol. 41v-42v — die 3 novembris 1534

Dilecto filio Didaco electo Legionen. salutem etc. Rationi congruit etc. effectum. Dudum siquidem felicis recordationis Clemens Papa VII predecessor noster sub data videlicet quarto kalendas martii pontificatus sui anno octavo ecclesie Legionen. quam tunc idem predecessor procurante carissimo in Christo filio nostro tunc suo Carolo Romanorum Imperatori semper augusto de provincia Nicaragua nuncupata in insulis Indiarum consistente et temporali ditioni ipso Carolo imperatori subiecta et oppido Legionen. nuncupato in dicta provincia sito pro uno episcopo qui illi preesset ex certis causis de fratrum suorum de quorum numero tunc eramus consilio apostolica auctoritate erexerat et instituerat ac in oppidum predictum etiam per eum in civitatem tunc erectum pro civitate nec non districtum et territorium aut partem ipsius provincie per eundem Carolum Imperatorem et regem positis limitibus assignandi pro eius diocesi illorumque incolas et habitatores pro clero et populo concessimus et assignavimus tunc a primeva erectione huiusmodi vacanti de persona tua sibi et eisdem fratribus ob tuorum exigentiam [meritorum] accepta de simili consilio dicta auctoritate providimus teque illi in episcopum et pastorem preficere intendamus prout postmodum providimus et prefecimus prout in nostris inde confectis litteris cuius dictus predecessor ante quam eius littere desuper conficiende, sicut Domino placuit, rebus fuisset humanis exemptum plenius continetur. Idem predecessor attendens quod apostolice sedis consueta clementia ne dispositiones per eam de cathedralibus ecclesiis pro tempore facte possint quomodolibet impugnari sed persone ad eas promovende illas puro corde et sincera conscientia presidere valerent remedia prout [...] adhibetur opportuna ne provisio et prefectio predicte si forsan aliquibus sententiis et censuris ecclesiasticis ligatus [...] posset propterea quomodolibet impugnari providere volentes teque a quibusvis etc. ad effectum [...] provisio et prefectio predicte et singule littere desuper conficiende suum sortiantur effectum [...] die quarto kalendas martii auctoritate prefata absolvit et absolutum fore nuntiavit. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis eisque concessis [...] Ne autem de absolutione huiusmodi pro eo quod super illis ipsius predecessoris eius superveniente obitu littere confecte non fuerint valeat quomodolibet esitari tuque illius frustreris effectu volumus et similiter apostolica auctoritate decernimus quod absolutio predicta perinde a dicta die quarto kalendas martii suum sortiantur effectum et si super illis ipsis predecessoris littere sub eiusdem diei date confecte fuissent prout superius enarratur quodque presentes littere ad probandum plena absolutione huiusmodi ubique sufficiant nec ad id probandum ulterius adminiculum requiratur. Nulli ergo etc. nostre absolutionis etc. Si quis etc. Datum Romae

apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo trigesimo quarto tertio nonas novembris anno primo.

66g

Dudum felicis recordationis

Reg. Lat. 1615 fol. 42v-43v die 3 novembris 1534

Dilecto filio Didaco electo Legionen. salutem etc. Dudum felicis recordationis Clemens Papa VII predecessor noster sub data videlicet quarto kalendas martii pontificatus sui anno octavo ecclesie Legionen. [...] procurante carissimo in Christo filio nostro Carolo Romanorum imperatori semper augusto in provincia Nicaragua nuncupata in insulis indiarum consistente et temporali ditioni ipsius Caroli imperatoris subiecta et oppido Legionen. nuncupato in dicta provincia sito pro uno episcopo qui illi preesset et archiepiscopo Ispalen. pro tempore existenti metropolitico iure subesset apostolica auctoritate erecta tunc a primeva erectione vacanti de persona tua sibi et fratribus suis de quorum numero tunc eramus ob tuorum exigentiam meritorum accepta de fratrum nostrorum consilio providere preficiendo te illi in episcopum et pastorem prout in nostris inde confectis litteris cuius dictus predecessor ante quam littere desuper conficiende, sicut Domino placuit, rebus fuisset humanis exemptum plenius continetur. Nos igitur ad ea que ad tue commoditatis augmentum cedere valeant favorabiliter intendentes tuis in hac parte supplicationibus inclinati tibi ut a quocumque malueris catholico antistiti gratiam et communionem apostolice sedis habente accitis et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus catholicis episcopis similes gratiam et communionem habentibus munus consecrationis recipere ac eidem antistiti ut recepto prius ad eum per te nostro et Romane Ecclesie nomine fidelitatis debite solito iuramento iuxta formam presentibus annotatam munus predictum auctoritate nostra impendere libere tibi possit plenam et liberam earundem tenore presentium concedimus facultatem. Volumus autem et

auctoritate predicta statuimus et decernimus quod si non recepto ad te per ipsum antistitem predicto iuramento idem antistes munus ipsum tibi impendere et tu illud suscipere presumpseritis dictus antistes a pontificalis officii exercitio et tam ipse quam tu ab administratione tam spiritualium quam temporalium ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso. Propterea etiam volumus quod formam huiusmodi a te tunc prestiti iuramenti nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo munitas per proprium nuntium quantocitius destinare procures quodque per hoc prefato archiepiscopo nullum imposterum preiuditium generetur. Forma autem iuramenti quod prestabis hec est: Ego Didacus electus etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo trigesimo quarto, tertio nonas novembris anno primo.

67

Exponi nobis nuper fecerunt

Bull. Discalceatorum I 133 — die 24 novembris 1534
BM II 1167

CUSTODIA FRATRUM MINORUM IN PROVINCIAM ET PROVINCIA IN CUSTODIAM MUTANTUR

Summus Pontifex, precibus Commissarii generalis Ordinis Minorum Observantiae Regularis in partibus ultra-montanis ac Ministrorum provincialium Hispaniae, Custodiam Sancti Evangelii eiusdem Ordinis Fratrum Minorum Discalceatorum in Nova Hispania in provinciam sub eodem titulo erigit, et provinciam eiusdem Ordinis sub invocatione Sanctae Crucis in eisdem regionibus in Custodiam mutat.

Paulus III

Ad perpetuam rei memoriam. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii commissarius generalis Ordinis Minorum Observantiae Regula-

ris in partibus Ultramontanis, ac ministri provinciales Hispanicae nationis eiusdem Ordinis, quod in partibus Indiarum, Nova Hispania nuncupatis, una custodia sub Sancti Evangelii et una provincia praedicti Ordinis sub Sanctae Crucis invocationibus, secundum morem ipsius Ordinis, sunt institutae et ob varias et iustas causas expedit, quod custodia in provinciam et provincia huiusmodi in custodiam mutentur. Quare supplicari fecerunt nobis humiliter, ut super his opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate Apostolica, tenore praesentium statuimus et ordinamus, quod de caetero in perpetuum custodia Sancti Evangelii cum omnibus et singulis eiusdem custodiae nuncupetur et sit provincia Sancti Evangelii et e converso, provincia Sanctae Crucis huiusmodi cum illius omnibus et singulis domibus nuncupetur, et sit custodia Sanctae Crucis in omnibus et per omnia, perinde ac si a principio non ut fuerunt, sed iuxta statutum huiusmodi et ordinationem huiusmodi fundatae et institutae fuissent: irritum et inane decernentes, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, necnon constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ac statutis et consuetudinibus dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis ac litteris Apostolicis quomodolibet etiam pluries concessis, confirmatis et innovatis: quibus illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis, necnon modos et formas ad id servandos pro individuo servatis habentes, hac vice dumtaxat, illis alias in suo robore permansuris, harum serie specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die 24 novembris 1534, Pontificatus nostri anno primo.

68

Illius fulciti praesidio

Reg. Lat. 1642 fol 47r-49r — die 18 decembris 1534
Remesal 126-127
Hernáez II 90-92
BM II 331

SEDES EPISCOPALIS DE GUATEMALA ERIGITUR

Inter ceteras provincias in Insulis Indiarum Occidentalium, a duodecim annis citra noviter repertas, est illa de *Guatemala, cuius incolae divinae lucis expertes existunt,* et ubi iam *plures christiani* habitant. Carolus imperator desiderat, ut locus principalis illius provinciae, in quo ecclesia parochialis sub invocatione Sancti Iabobi exstat, in civitatem et ecclesiam cathedralem erigatur. Summus Pontifex precibus imperatoris obsecundat et dioecesim de *Guatemala* erigit, ut episcopus *incolas infideles ad orthodoxae fidei cultum convertat et conversos in eadem fide confirmet et instruat* et sacramenta eis administret. Nova dioecesis suffraganea archiepiscopi Hispalensis constituitur. Episcopus decimas et primitias de iure debitas exigere et percipere potest et omnibus iuribus insignitur quibus ceteri episcopi in Hispania gaudent. Imperator limites dioecesis statuere ac episcopum sustentare debet usquedum fructus mensae episcopalis ad valorem ducentorum ducatorum auri ascendant annuatim. Iuspatronatus in novam dioecesim imperatori conceditur.

Paulus III

Ad perpetuam rei memoriam. Illius fulciti presidio cuius sunt terre cardines et cui cogitationes hominum preparantur et cuius providentia ordinationem suscipiunt universa partes officii nobis desuper commissi ad ea libenter interponimus per que singulis in tenebris constitutis ut ad verum lumen quod est Christus pervenire possint lucis radii resplendeant. Unde in singulis locis prout illorum necessitas et aliae rationabiles causae id exigunt novas episcopales sedes ecclesiasque pro excellenti Sedis Apostolice preheminentia plantamus ut per novas plantationes nova populorum adhesio militanti ecclesiae accrescat religionisque christianae et catholicae fidei professio ubique consurgat, dilatetur et floreat et loca etiam humilia illustrentur et eorumdem locorum incole et habitatores novarum sedium et honorabilium presulum assistentia circumfulti auctore Domino felicitatis eternae premia facilius valeant adipisci. Sane cum inter ceteras provincias in insulis Indiarum auspiciis carissimi in Christo filii nostri Caroli Romanorum Imperatori semper Augusti qui etiam Castelle et Legionis et Aragonum rex existit a duodecim annis circa noviter repertis sit una Guatimala nuncupata cuius incole divine lucis expertes existunt et in qua licet in ea plures christiani habitent nulla tamen cathedralis ecclesia adhuc erecta existit et idem Carolus Imperator et rex pio affectu desideret in dicta provincia Guatimala eius temporali ditioni subiecta

illius gloriosissimi nominis cultum cuius est orbis terrarum et plenitudo eius ac universi qui habitant in eo ampliari et eius incolas prefatas ad lucem veritatis pervenire animarumque salutem propagari ac propterea locum principalem ipsius provinciae similiter Guatimala nuncupatum in quo una ecclesia sub invocatione Sancti Iacobi dicata existit in civitatem et diocesim ecclesiam in cathedralem ecclesiam erigi, nos habita super hiis cum fratribus nostris deliberatione matura de illorum consilio prefato Carolo Imperatore super hoc nobis humiliter supplicante ad omnipotentis Dei laudem et gloriam ac gloriosissime eius genitricis virginis Marie totiusque curie celestis honorem et ipsius fidei catholice exaltationem locum Guatimala predictum civitatis titulo auctoritate apostolica tenore presentium insignimus illumque in civitatem que Guatimala nuncupatur ac dictam ecclesiam Sancti Iacobi in cathedralem ecclesiam sub eadem invocatione Sancti Iacobi pro uno episcopo qui eidem ecclesie presit et illius edificia ampliari et ad formam cathedralis ecclesiae redigi procuret et in illa eiusque civitate et diocesi verbum Dei predicet ac earum incolas infideles ad ortodoxe fidei cultum convertat et conversos in eadem fide instruat et confirmet eisque baptismi gratiam impendat ac tam illis sic conversis quam aliis omnibus fidelibus in civitate et diocesi predicte pro tempore degentibus et ad illas declinantibus sacramenta ecclesiastica et alia spiritualia ministret ac ministrari faciat et procuret necnon in ecclesia et civitate ac diocesi predictis spiritualem iurisdictionem, auctoritatem et potestatem libere exercere valeat ac dignitates, canonicatus et prebendas aliaque beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura erigat et instruat ac alia spiritualia conferat et seminet prout divini cultus augmento et ipsarum incolarum animarum saluti expedire viderit et qui archiepiscopo Ispalen. pro tempore existenti metropolitico iure subsit ac ex omnibus inhibi pro tempore provenientibus preter quam ex auro et argento ac aliis metallis, gemmis ac lapidibus pretiosis que pro tempore existentibus Castelle et Legionis regibus quoad hoc libera esse decernimus decimas et primitias de iure debitas ceteraque episcopalia iura prout alii in Hispania episcopi de iure vel consuetudine exigunt et percipiunt exigere ac percipere libere et licite valeat cum sede ac mensa et aliis insigniis et iurisdictionibus episcopalibus necnon privilegiis, immunitatibus et gratiis, quibus alie cathedrales ecclesie ac illarum presules in Hispania de iure vel consuetudine utuntur, potiuntur et gaudent ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum auctoritate et tenore predictis perpetuo erigimus et instituimus ac eidem ecclesiae locum in civitatem erectum pro civitate necnon partem province Guatimale huiusmodi quam ipse Carolus Imperator et Rex positis limitibus statuerit et statui mandaverit pro diocesi illo-

rumque incolas et habitatores pro clero et populo concedimus et assignamus; necnon illius mense episcopali predicte pro eius dote redditus annuus ducentorum ducatorum auri de Camera per ipsum Carolum Imperatorem et Regem ex redditibus annuis ad eum in dicta provincia Guatimala spectantibus assignandis donec fructus ipsius mense ad valorem ducentorum ducatorum auri similium ascendant annuatim perpetuo applicamus et appropriamus. Et insuper ius patronatus et presentandi infra annum personas idoneas ad dictam ecclesiam quotiens illius vacatio hac prima vice excepta pro tempore occurrerit Romano Pontifici pro tempore existenti per eum in eiusdem ecclesie episcopum et pastorem ad presentationem huiusmodi preficiendum: necnon ad dignitates, canonicatus et prebendas ac alia beneficia erigenda predicta tam ab eorum primeva erectione huiusmodi postquam erecta fuerit quam ex tunc deinceps pro tempore vacantia episcopo Guatimalen. pro tempore existenti similiter per eum ad presentationem huiusmodi in ipsis dignitatibus, canonicatibus et prebendis ac beneficiis instituendis prefato Carolo et pro tempore existenti Castelle et Legionis Regi de simili consilio auctoritate et tenore supradictis in perpetuum reservamus, concedimus et assignamus. Nulli ergo etc. nostre [...] decreti, erectionis, institutionis, applicationis, appropriationis, reservationis, concessionis et assignationis etc. Siquis etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo trigesimo quarto, quintodecimo kalendas ianuarii anno primo.

69a

Apostolatus officium

die 18 decembrs 1534

Reg. Lat. 1642 fol. 49v-50v
Remesal 127-128
Hernáez II 92-93
BM II 331

PROVISIO ECCLESIAE GUATEMALENSIS

Ecclesiae quae exstat in civitate *Guatemala* sub invocatione Sancti Iacobi Franciscus Marroquín, presbyter Oxomensis (*Osma*) dioecesis, de nobili genere procreatus, episcopus praeficitur. Provisio haec clero et populo civitatis et dioecesis necnon archiepiscopo Hispalensi et imperatori comunicatur. Electo episcopo facultas conceditur, ut a quocumque maluerit catholico Antistite munus consecrationis suscipere possit assistentibus sibi duobus vel tribus episcopis, iuramento consueto ritu praestito, eique absolutio a censuris et poenis ecclesiasticis, quibus forsan ligatus est, impertitur, ut litterae apostolicae de provisione suum sortiantur effectum.

Paulus III

Dilecto filio Francisco Mar[r]oq[u]in [1] electo Guatimalen. salutem etc. Apostolatus officium meritis licet imparibus nobis ex alto commissum quo ecclesiarum omnium regimini divina dispositione praesidemus utiliter exequi quo adiuvante Domino cupientes soliciti corde reddimur et solertes ut cum de ecclesiarum ipsarum regiminibus agitur commitendis tales eis in pastores praeficere studeamus qui populum sue cure creditum sciant non solum doctrina verbi sed etiam exemplo boni operis informare, commissasque sibi ecclesias velint et valeant auctore Domino salubriter regere et gubernare. Dudum siquidem provisiones ecclesiarum omnium apud sedem apostolicam tunc vacantium et in antea vacaturarum ordinationi et dispositioni nostrae reservavimus decernentes ex tunc irritum et inane etc. attentari. Postmodum vero ecclesia Guatimalen. quam nos hodie in provincia Guatimala nuncupata in insulis Indiarum consistente ex ecclesia sub invocatione Sancti Iacobi dicata in principali ipsius provincie loco etiam Guatimala nuncupato sita in cathedralem ecclesiam pro uno episcopo qui illi preesset ex certis causis de fratrum nostrorum consilio apostolica auctoritate ereximus et instituimus ac cui locum principalem pre-

---

[1] Franciscus Marroquín, natus in oppido *Valle de Toranzo,* Hispania, laureatus in philosophia et theologia, sacerdos ordinatus, anno 1530 in provinciam *Guatemala* se contulit. Anno 1534 episcopus nominatus est, praesentatus ab Imperatore. Anno 1537 munus consecrationis suscepit in civitate *México.* Mortuus est die 9 aprilis 1563. Cfr. BM II 372, ubi amplissima bibliographia. Insuper: *Sáenz de Santa María, Carmelo, SJ,* El Licenciado Don Francisco Marroquín, primer obispo de Guatemala (1499-1563). Su vida, sus Escritos. Madrid 1964.

dictum etiam per nos in civitatem tunc erectum pro civitate ac certam partem eiusdem provincie pro eius diocesi eorumque incolas et habitatores pro clero et populo concessimus et assignavimus et ad quam ius patronatus et presentandi infra annum personam ydoneam quotiens illius vacatio ea prima vice excepta pro tempore occurrerit carissimo in Christo filio nostro Carolo Romanorum Imperatori semper augusto qui etiam Castelle et Legionis et Aragonum rex existit et pro tempore existenti Castelle et Legionis regi de simili consilio dicta auctoritate reservavimus ab eius primeva erectione huiusmodi apud sedem predictam vacante. Nos ad provisionem eiusdem ecclesie celerem et felicem de qua nullus preter nos ac vice intromittere se potuit sive potest reservatione et decreto obsistentibus supradictis ne ecclesia ipsa longe vacationis exponatur incommodis paternis et sollicitis studiis intendentes post deliberationem quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem demum ad te presbiterum Oxomen. diocesis magistrum in Theologia de nobili genere procreatum cui apud nos de vite mundicia honestate morum spiritualium providentia et temporalium circumspectione aliisque multiplicum virtutum donis fidedigna testimonia perhibentur direximus oculos nostre mentis quibus omnibus debita meditatione pensatis de persona tua nobis et eisdem fratribus ob tuorum exigentiam meritorum accepta prefate ecclesie de ipsorum fratrum consilio dicta auctoritate providemus teque illi in episcopum praeficimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo in illo qui dat gratias et largitur premia confidentes quod dirigente Domino actus tuos praefata ecclesia sub tuo felici regimine regetur utiliter et prospere dirigetur ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Iugum igitur Domini tuis impositum humeris prompta devotione suscipiens curam et administrationem praedictas sic exercere studeas sollicite, fideliter et prudenter quod ecclesia ipsa gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam tuque praeter eterne retributionis praemium nostram et dictae sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo trigesimo quarto, quintodecimo kalendas ianuarii anno primo.

69b

Hodie Ecclesiae Guatimalen.

Reg. Lat. 1642 fol. 50v-51r die 18 decembris 1534

Dilectis filiis clero civitatis et diocesis Guatimalen. salutem etc. Hodie ecclesie Guatimalen. quam nos etiam in provincia Guatimala nuncupata in insulis Indiarum consistente ex ecclesia sub invocatione Sancti Iacobi dicata in principali ipsius provincie loco etiam Guatimala nuncupata sito in cathedralem ecclesiam pro uno episcopo qui illi preesset ex certis causis de fratrum nostrorum consilio Apostolica auctoritate ereximus et instituimus et cui locum principalem predictum etiam per nos in civitatem tunc erectum pro civitate ac certam partem eiusdem provincie pro eius diocesi illorumque incolas et habitatores pro clero et populo concessimus et assignavimus tunc primeva eius erectione huiusmodi vacante de persona dilecti filii Francisci electi Guatimalen. nobis et fratribus nostris ob suorum exigentiam meritorum accepta de simili consilio providimus ipsumque illi in episcopum preficimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Quocirca etc. mandamus quatinus eidem Francisco electo tamquam patri et pastori animarum vestrarum humiliter intendentes ac exhibentes sibi obedientiam debitam et devotam eius salubria monita et mandata suscipiatis humiliter et efficaciter adimplere curetis, alioquin sententiam quam idem Franciscus electus rite tulerit in rebelles ratam habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum ut supra.

69c

Hodie Ecclesiae Guatimalen.

Reg. Lat. 1642 fol. 51rv die 18 decembris 1534

Dilectis filiis populo civitatis et diocesis Guatimalen. salutem etc. Hodie ecclesie Guatimalen. quam nos etiam hodie in provincia Guatimala nuncupata in insulis Indiarum consistente ex ecclesia sub invocatione Sancti Iacobi dicata in principali ipsius provincie loco etiam Guatimala nuncupata sito in cathedralem ecclesiam pro uno episcopo qui illi preesset ex certis causis de fratrum nostrorum consilio apostolica auctoritate ereximus et instituimus, et cui locum principalem predictum etiam per nos in civitatem tunc erectum pro civitate ac certam partem eiusdem provincie pro eius diocesi illorumque incolas et habitatores pro clero et populo concessimus et assignavimus tunc a primeva erectione huiusmodi vacanti de persona dilecti filii Francisci electi Guatimalen. nobis et fratribus nostris ob suorum exigentiam meritorum accepta de simili consilio providimus ipsumque illi in episcopum preficimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Quocirca etc. mandamus quatinus eidem Francisco electo tamquam patri et pastori animarum vestrarum devote suscipientes et debita honorificentia prosequentes eius monitis et mandatis salubribus humiliter intendatis ita quod ipse Franciscus electus in vobis devotionis filios et vos in eo per consequens patrem benivolum invenisse gaudeatis. Datum ut supra.

69d

Ad cumulum tuae cedit salutis

Reg. Lat. 1642 fol. 51v-52v die 18 decembris 1534

Venerabili fratri archiepiscopo Ispalen. salutem etc. Ad cumulum tue cedit salutis et fame si personas ecclesiasticas presertim pontificali dignitate preditas divine propitiationis intuitu opportuni presidii et favoris gratia prosequaris. Hodie siquidem ecclesie Guatimalen. quam nos hodie in provincia Guatimala nuncupata in insulis Indiarum consistente ex ecclesia sub invocatione Sancti Iacobi dicata in principali ipsius provincie loco etiam Guatimala nuncupata sito in cathedralem ecclesiam pro uno episcopo qui illi preesset et archiepiscopo Ispalen. pro tempore existente metropolitico iure subesset ex certis causis de fratrum nostrorum consilio apostolica auctoritate ereximus et instituimus ac cui locum principalem predictum etiam per nos in civitatem erectum pro civitate ac certam partem eiusdem provincie pro eius diocesi illorumque incolas et habitatores pro clero et populo concessimus et assignavimus tunc a primeva eius erectione huiusmodi vacanti de persona dilecti filii Francisci electi Guatimalen. nobis et eisdem fratribus ob suorum exigentiam meritorum accepta de simili consilio auctoritate predicta providimus ipsumque illi in episcopum preficimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie comittendo prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum igitur ut idem Franciscus electus in commissa sibi predicte ecclesie cura facilius proficere valeat tuus favor ei fore noscatur plurimum opportunus fraternitatem tuam rogamus et ortamur attente tibi per apostolica scripta mandantes quatinus eundem Franciscum electum et prefatam ecclesiam sibi commissam sufraganeam tuam habens pro nostra et apostolice sedis reverentia propensius commendatos in ampliandis et conservandis iuribus suis sic eos tui benigno favoris presidio prosequaris quod ipse Franciscus electus per tue auxilium gratie se possit in commisso sibi eiusdem ecclesie regimine utilius exercere, tuque divinam misericordiam et nostram et eiusdem Sedis benedictionem et gratiam valeas exinde uberius promereri. Datum ut supra.

69e

Gratiae divinae praemium

Reg. Lat. 1642 fol. 52v-53r die 18 decembris 1534

Carissimo in Christo filio Carolo Romanorum Imperatori semper augusto et carissime in Christo filie Ioanne Castelle et Legionis regine illustri salutem etc. Gratie divine premium et humane laudis preconium acquiritur si per seculares principes ecclesiarum prelatis presertim cathedralem ecclesiam regimini presidentibus opportuni favoris presidium et honor debitus impendatur. Hodie siquidem ecclesia Guatimalen. quam nos etiam hodie in provincia Guatimale nuncupata in insulis Indiarum consistente ex ecclesia sub invocatione Sancti Iacobi dicata in principali ipsius provincie loco etiam Guatimala nuncupata sito in cathedralem ecclesiam pro uno episcopo qui illi preesset ex certis causis de fratrum nostrorum consilio apostolica auctoritate ereximus et instituimus ac cui locum principalem predictum etiam per nos in civitatem erectum pro civitate ac certam partem eiusdem provincie pro eius diocesi illorumque incolas et habitatores pro clero et populo concessimus et assignavimus tunc a primeva eius erectione vacante de persona dilecti filii Francisci electi Guatimalen. nobis et eisdem fratribus ob suorum exigentiam meritorum accepta de simili consilio auctoritate predicta providimus ipsumque illi in episcopum praeficimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum itaque filii carissimi sit virtutis opus Dei ministros benigno favore prosequi ac eos verbis et operibus pro regis eterni gloria venerari serenitatem vestram cum tu fili Carole etiam Castelle et Legonis et Aragonum rex existas rogamus et ortamur attente quatinus eundem Franciscum electum et ecclesiam predictam sue cure commissam habens pro nostra et apostolice sedis reverentia propensius commendatos in ampliandis et conservandis iuribus suis sic eos benigni favoris auxilio prosequamini quod ipse Franciscus

electus vestri favoris fultus presidio in commisso sibi dicte ecclesie regimine possit, Deo propitio, prosperari ac vobis exinde a Deo perennis vite premium et a nobis condigna proveniat actio gratiarum. Datum ut supra.

69f

Cum nos pridem

Reg. Lat. 1642 fol. 53v-54r die 20 decembris 1534

Dilecto filio Francisco electo Guatimalen. salutem etc. Cum nos pridem ecclesie Guatimalen. per nos in provincia Guatimala nuncupata in insulis Indiarum consistente pro uno episcopo qui illi preesset et archiepiscopo Ispalen. pro tempore existenti metropolitico iure subesset tunc a primeva eius erectione vacanti de persona tua nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorumdem consilio duxerimus providendum preficiendo te illi in episcopum et pastorem, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Nos ad ea que ad tue commoditatis augmentum cedere valeant favorabiliter intendentes tuis in hac parte supplicationibus inclinati tibi ut a quocumque malueris catholico antistite gratiam et communionem apostolice sedis habente accitis et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus catholicis episcopis similes gratiam et communionem habentibus munus consecrationis recipere valeas ac eidem antistiti ut recepto prius a te nostro et romane ecclesie nomine fidelitatis debite solito iuramento iuxta formam presentibus annotatam munus predictum auctoritate nostra impendere libere tibi possit plenam et liberam earundem tenore presentium concedimus facultatem volumus et auctoritate predicta statuimus et decernimus quod si non recepto a te per ipsum antistitem predicto iuramento idem antistes munus ipsum tibi impendere et tu illud suscipere presumpseritis dictus antistes pontificalis officii exercitio et tam ipse quam tu ab administratione tam spiritualium quam temporalium ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso. Preterea volumus quod formam huiusmodi a te tunc

prestiti iuramenti nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo munitas per proprium nuntium quantocitius destinare procures quodque per hoc venerabili fratri archiepiscopo nullum imposterum preiuditium generetur. Forma autem iuramenti quod prestabis hec est: Ego Franciscus etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo trigesimo quarto, tertiodecimo kalendas ianuarii anno primo.

69g

Apostolicae Sedis consueta clementia

Reg. Lat. 1642 fol. 54r-55r — die 18 decembris 1534

Dilecto filio Francisco Mar[r]oq[u]in presbitero Oxomensis diocesis magistro in theologia salutem etc. Apostolice Sedis consueta clementia [ne dispositiones] per eam de cathedralibus ecclesiis pro tempore facte valeant quomodolibet impugnari sed persone ad eas promovende illis puro corde et sincera conscientia presidere possint remedia prout convenit adibet opportuna. Cum itaque nos hodie ecclesie Guatimalen. quam nos etiam hodie in provincia Guatimala nuncupata in insulis Indiarum consistente ex ecclesia sub invocatione Sancti Iacobi dicata in principali ipsius provincie loco etiam Guatimala nuncupata sito in cathedralem ecclesiam pro uno episcopo qui illi preesset ex certis causis de fratrum nostrorum consilio apostolica auctoritate ereximus et instituimus ac cui locum principalem predictum etiam per nos in civitatem erectum pro civitate ac certam partem eiusdem provincie pro eius diocesi illorumque incolas et habitatores pro clero et populo concessimus et assignavimus a primeva eius erectione huiusmodi ad presens vacanti de persona tua nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de simili consilio dicta auctoritate providere teque illi in episcopum et pastorem preficere intendamus nos ne si forsan aliquibus sententiis, censuris et penis ecclesiasticis ligatus sis provisio et prefectio predicte possint propterea quomodolibet impugnari, providere volentes teque a quibusvis etc., ad hoc dumtaxat ut provisio et prefectio predicte ac singule littere desuper

conficiende suum sortiantur effectum auctoritate predicta tenore presentium absolvimus et absolutum fore nuntiamus non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo etc. nostre absolutionis et nunciationis etc. Siquis etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo trigesimo quarto, quintodecimo kalendas ianuarii anno primo.

70

Alias felicis

Hernáez I 390-391
Bull. Praed. VII 138
BM II 1172

die 15 februarii 1535

BULLA «OMNIMODA»
AD TERRITORIA DIOECESIUM EXTENDITUR

Summus Pontifex Hadrianus VI missionariis Ordinis Minorum Regularis Observantiae, in Indiis Occidentalibus evangelizantibus, omnes facultates spirituales quas Minister Generalis dicti Ordinis habet, certis sub condicionibus, concessit pro terris ubi dioeceses erectae nondum sunt, ita ut *super Indos ad fidem Christi conversos, necnon et alios Christicolas in dictis terris existentes, omnimodam auctoritatem ... in utroque foro haberent.* Nunc Vincentius Lunelus, pro ultramontanis in Curia Romana Generalis Commissarius, Summum Pontificem supplicavit, ut tales facultates in dictis partibus Indiarum ad territoria ubi interea dioeceses erectae sunt, extendantur. Paulus III precibus istis obsecundat *ad fidei augmentum et propagationem, si episcoporum ad praemissa accedat assensus.*

Paulus III

Dilecto filio Vincentio Lunelo, Ordinis Minorum de Observantia, pro Ultramontanis in Curia Romana Generali Commissario.

Dilecte Fili, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Alias felicis recordationis Adrianus Papa VI, Praedecessor noster, inter alia voluit, ut fratres Ordinis Minorum Regularis Observantiae, qui pro tempore assumerentur ad regimen aliorum fratrum in terris Indiarum degentium, in utroque foro super Fratres sibi commissos, omnem auctoritatem et facultatem haberent, quam Generalis Minister dicti Ordinis habet; ita tamen quod ipse Generalis Minister, sub cujus obedientia manere debent, ipsam auctoritatem, prout sibi videretur, limitare et arctare posset: et ad hujusmodi regimen assumpti, et alii Fratres in dictis [terris] commorantes per ipsos assumptos deputandi, in partibus, in quibus nondum essent Episcopatus creati, vel si essent, infra duarum dietarum spatium, ubi Episcopi vel officiales eorum inveniri non possent, tam super Fratres praedictos, quam cujuscumque Ordinis, qui ibidem forent, ac super Indos ad fidem Christi conversos, necnon, et alios Christicolas in dictis terris existentes, omnimodam auctoritatem ipsius Adriani, Praedecessoris nostri, in utroque foro haberent; etiam quoad omnes actus Episcopales, qui Ordinem Episcopalem non requirunt, exercendos, donec per Sedem Apostolicam aliud fuerit ordinatum, prout in Litteris ipsius Praedecessoris nostri plenius continetur, in quibus omnia indulta, quae per Romanos Pontifices, Praedecessores suos, Fratribus praefatis sunt hactenus concessa, confirmavit. Voluit quoque quod praefati Fratres assumpti, et alii Fratres, quibus ipsi ducerent committendum, dictis indultis in genere vel in specie hactenus concessis et in posterum concedendis, quae pro sufficienter expressis, ac si de verbo ad verbum inserta essent, habuit, uti, potiri et gaudere libere et licite possent.

Dum autem sicut nobis nuper exponi fecisti, in dictis Indiarum partibus plurimae Domus dicti Ordinis fundatae, et una Provincia et una Custodia secundum dicti Ordinis Minorum de Observantia instituta existant, et expediat quam plurimum pro felici regimine Fratrum in dictis terris, ac directione et institutione a fidem conversorum, ut Litterae praedicta[e] ad loca, in quibus sunt Episcopatus erecti, extendantur, et propterea Nobis supplicari feceris, ut in praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos his, quae ad fidei augmentum et propagationem tendere possunt, favorabiliter annuentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Litteras Adriani, Praedecessoris nostri hujusmodi, cum omnibus et singulis in eis contentis clausulis, ad dicta loca, in quibus sunt Episcopatus erecti vel erigentur in futurum, si Episcoporum ad praemissa accedat assensus, extendimus et ampliamus. Ac quod fratres ejusdem Ordinis ad partes Indiarum a Generali Ministro dicti Ordinis vel ejus Commissario Generali destinati, in eadem Provincia vel Custodia, in qua dictus Mi-

nister vel eius Commissarius ordinaverit, stare teneantur. Illos vero, qui absque eorum licentia reperti fuerint, expellere possit, statuimus et ordinamus per praesentes [...].

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 15 Februarii 1535. Pontificatus nostri anno primo.

71a

Apostolatus officium

Reg. Lat. 1615 fol. 238v-240r die 21 iunii 1535

PROVISIO ECCLESIAE ANTEQUERENSIS (*OAXACA*)

In provincia *Quaxaca (Oaxaca)* Ecclesia cathedralis Antequerensis sub invocatione Beatae Mariae procurante Carolo imperatore, erecta est, quae subest archiepiscopo Hispalensi metropolitico iure. Ius patronatus et praesentandi personas idoneas imperatori concessa est, sed prima provisio ad Summum Pontificem spectat, qui Ioannem López de Zárate primum episcopum Antequerensem constituit.

Provisio haec simili modo populo civitatis et dioecesis, clero, archiepiscopo Hispalensi et Carolo imperatori nuntiatur. Electo episcopo vero absolutio a censuris et poenis ecclesiasticis, in quas forsan incurrerit, impertitur, ut litterae apostolicae de provisione suum sortiantur effectum, eique facultas conceditur, ut a quocumque maluerit catholico Antistite munus consecrationis suscipere possit, assistentibus sibi duobus vel tribus aliis catholicis episcopis, iuramento consueto ritu praestito.

Paulus III

Dilecto [...] filio Iohanni Lopez de Zarate [1] electo Antequeren. salutem etc. Apostolatus officium licet imparibus nobis ex alto commissum quo ecclesiarum omnium regimini divina dispositione presidemus utiliter exequi quo adiuvante Domino cupientes solliciti corde redimur et solertes ut cum de ecclesiarum ipsarum regiminibus agitur committendis, tales eis in pastores preficere studeamus qui populum sue cure sciant non solum doctrina verbi sed etiam exemplo boni operis informare commissasque sibi ecclesias in statu pacifico et tranquillo velint et valeant auctore Domino salubriter regere et feliciter gubernare. Dudum siquidem provisiones ecclesiarum omnium apud sedem predictam tunc vacantium et in antea vacaturarum ordinationi et dispositioni nostre reservavimus decernentes ex tunc irritum et inane etc. attentari. Postmodum vero Ecclesia Antequeren. quam nos hodie ex Ecclesia sub invocatione beate Marie dicate tunc oppidi Antequeren. nuncupati in provincia de Quaxaca nuncupata in insulis Indiarum consistente in ecclesiam cathedralem sub eadem invocatione pro uno espiscopo Antequeren. nuncupato qui illi preesset et archiepiscopo Ispalen. pro tempore existenti metropolitico iure subesset ex certis causis procurante carissimo in Christo filio nostro Carolo Romanorum Imperatore semper augusto qui etiam Castelle et Legionis rex existit de fratrum nostrorum consilio Apostolica auctoritate ereximus et instituimus et cuius oppidum ipsum et per nos in civitatem erectum pro civitate que Antequeren. nuncuparetur necnon certam partem ipsius provincie per dictum Carolum Imperatorem positis limitibus statuendam pro diocesi ipsarumque civitatis et diocesis incolas et habitatores pro clero et populo concessimus et assignavimus et ad quam ius patronatus presentandi infra annum propter loci distantiam personam idoneam quotiens illius vacatio ea prima vice excepta pro tempore occurrerit eidem Carolo Imperatori et pro tempore existenti Castelle et Legionis Regi de simili consilio dicta auctoritate reservavimus ab eius primeva erectione apud Sedem predictam vacante nos ad provisionem eiusdem erecte ecclesie celerem et felicem de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit sive potest reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne ecclesia ipsa longe vacationis exponatur incom-

[1] Ioannes López de Zárate erat canonicus Ecclesiae Ovetensis (*Oviedo*) et deinde decanus Ecclesiae Mexicanensis. De eius activitate pastorali cfr. *Lopetegui-Zubillaga* 365-367; *Eutimio Pérez,* Recuerdos Históricos del Episcopado Oaxaqueño. Oaxaca 1888.

modis paternis et sollicitis studiis intendentes post deliberationem quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus ipsis habuimus diligentem demum ad te presbiterum Giennen. diocesis licenciatum in Theologia et de nobili genere procreatum cui apud nos de nobilitate generis vite mundicia, honestate morum, spiritualium providentia et temporalium circumspectione aliisque multiplicum virtutum donis fidedigna testimonia perhibentur direximus oculos nostre mentis; quibus omnibus debita meditatione pensatis de persona tua nobis et [...] fratribus ob tuorum exigentiam meritorum accepta prefate ecclesie de ipsorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus teque illi in episcopum et pastorem preficimus curam et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo in illo qui dat gratias et largitur premia confidentes quod dirigente Domino actus tuos prefata ecclesia sub tuo felici regimine regetur utiliter et prospere dirigetur ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Iugum igitur Domini tuis impositum humeris prompta devotione suscipiens curam et administrationem predictas sic exercere studeas solicite et fideliter et prudenter quod ecclesia ipsa gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque preter eterne retributionis premium nostram et dicte sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis. Datum Romae apud Sanctum Marcum anno etc. millesimo quingentesimo trigesimo quinto, undecimo kalendas iulii anno primo.

71b

Hodie Ecclesiae Antequeren.

Reg. Lat. 1615 fol. 240rv — die 21 iunii 1535

Dilectis filiis populo civitatis et diocesis Antequeren. salutem etc. Hodie ecclesie Antequeren. quam nos hodie ex ecclesia sub invocatione beatae Marie dicate tunc oppidi Antequeren. nuncupati in provin-

cia de Quaxaca nuncupata insularum Indiarum consistente in cathedralem ecclesiam sub eadem invocatione pro uno episcopo Antequeren. nuncupando qui illi preesset et archiepiscopo Ispalen. pro tempore existenti metropolitico iure subesset ex certis causis procurante carissimo in Christo filio nostro Carolo Romanorum Imperatori semper Augusto qui etiam Castelle et Legionis Rex existit de fratrum nostrorum consilio apostolica auctoritate ereximus et instituimus ac cuius oppidum ipsum etiam per nos in civitatem erectum pro civitate que Antequeren. nuncuparetur nec non circa partem ipsius provincie per ipsum Carolum Imperatorem positis limitibus statuendam pro diocesi ipsarumque civitatis et diocesis incolas et habitatores pro clero et populo concessimus et assignavimus tunc a primeva eius erectione huiusmodi vacanti de persona dilecti filii Ioannis electi Antequeren. nobis et eisdem fratribus ob suorum exigentiam meritorum accepta de simili consilio apostolica auctoritate providere ipsumque illi in episcopum preficimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo scripta mandamus quatinus eidem Io[anni] electo tamquam patri et pastori animarum vestrarum devote suscipientes et debita honorificentia pertractantes eius monitis et mandatis salubribus humiliter intendatis ita quod ipse Io[annes] electus in vobis devotionis filios et vos in eo per consequens patrem benivolum invenisse gaudeatis. Datum ut supra.

71c

Hodie Ecclesiae Antequeren.

Reg. Lat. 1615 fol. 240v-241r — die 21 iunii 1535

Dilectis filiis clero civitatis Antequeren. salutem etc. Hodie ecclesie Antequeren. quam nos hodie ex ecclesia sub invocatione beatae Marie dicate tunc oppidi Antequeren. nuncupati in provincia de Quaxaca nuncupata insularum Indiarum consistente in cathedralem ecclesiam sub eadem invocatione pro uno episcopo Antequeren. nuncu-

pando qui illi preesset et archiepiscopo Ispalen. pro tempore existenti iure metropolitico subesset ex certis causis procurante carissimo in Christo filio nostro Carolo Romanorum Imperatori semper Augusto qui etiam Castelle et Legionis rex existit de fratrum nostrorum consilio Apostolica auctoritate ereximus et instituimus ac qui oppidum ipsum etiam per nos in civitatem erectum pro civitate que Antequeren. nuncuparetur nec non circa partem ipsius provincie per eum Carolum imperatorem positis limitibus statuendam pro diocesi ipsarumque civitatis et diocesis incolas et habitatores pro clero et populo concessimus et assignavimus tunc a primeva eius erectione huiusmodi vacanti de persona dilecti filii Ioannis electi Antequeren. nobis et eisdem fratribus ob suorum exigentiam meritorum accepta de simili consilio dicta auctoritate providimus ipsumque illi in episcopum preficimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Quocirca etc. mandamus quatinus eidem Io[anni] electo tamquam patri et pastori animarum vestrarum humiliter intendentes ac exhibentes sibi obedientiam et reverentiam debitas et devotas eius salubria monita et mandata suscipiatis humiliter et efficaciter adimplere curetis alioquin sententiam quam idem Io[annes] electus rite tulerit in rebelles ratam habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem, condignam inviolabiliter observari. Datum ut supra.

71d

Ad cumulum tuae cedit salutis

Reg. Lat. 1615 fol. 241r-242r — die 21 iunii 1535

Venerabili fratri Archiepiscopo Ispalen. salutem etc. Ad cumulum tuae cedit salutis et fame si personas ecclesiasticas presertim pontificali dignitate preditas divine propitiationis intuitu opportuni presidii et favoris gratia prosequaris. Hodie siquidem ecclesie Antequeren.

quam nos etiam hodie ex ecclesia sub invocatione beate Marie dicate tunc oppidi Antequeren. nuncupati in provincia de Quaxaca nuncupata insularum Indiarum consistente in cathedralem ecclesiam sub eadem invocatione pro uno episcopo Antequeren. nuncupando qui illi preesset et archiepiscopo Ispalen. pro tempore existenti metropolitico iure subesset ex certis causis procurante carissimo in Christo filio nostro Carolo Romanorum Imperatori semper Augusto qui etiam Castelle et Legionis rex existit de fratrum nostrorum consilio Apostolica auctoritate ereximus et instituimus ac qui ipsum oppidum etiam per nos in civitatem erectum pro civitate Antequeren. nuncuparetur circa partem ipsius provincie per eundem Carolum imperatorem positis limitibus statuendam pro diocesi ipsarumque civitatis et diocesis incolas et habitatores [...] pro clero et populo concessimus et assignavimus tunc a primeva erectione huiusmodi vacanti de persona dilecti filii Ioannis electi Antequeren. nobis et eisdem fratribus ob suorum exigentiam meritorum accepta de simili consilio auctoritate predicta providere ipsumque illi in episcopum preficimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum igitur ut idem Io[annes] electus in commissa sibi ecclesie cura facilius proficere valeat tuus favor ei fore noscatur plurimum opportunus fraternitati tue rogamus et ortamur attente tibi per Apostolica scripta mandantes quatinus eundem Io[annem] electum et prefatam ecclesiam sibi commissam suffraganeam tuam habens pro nostra et Apostolice Sedis reverentia propensius commendatos in ampliandis et conservandis iuribus suis sic eos tui favoris presidio prosequaris quod ipse Io[annes] electus per tue auxilium gratie se possit in commisso sibi eiusdem ecclesie regimine utilius exercere, tuque divinam misericordiam et nostram et eiusdem Sedis benedictionem et gratiam valeas exinde uberius promereri. Datum ut supra.

71e

Gratiae divinae praemium

Reg. Lat. 1615 fol. 242rv — die 21 iunii 1535

Carissimo in Christo filio Carolo Romanorum imperatori semper augusto et carissime in Christo filie Ioanne Castelle et Legionis regine illustri salutem etc. Gratiae divine premium et humane laudis preconium acquiritur si per seculares principes ecclesiarum prelatis presertim pontificali dignitate preditis opportuni favoris presidium et honor debitus impendatur. Hodie siquidem ecclesie Antequeren. quam nos etiam hodie ex ecclesia sub invocatione beate Marie dicate tunc oppidi Antequeren. nuncupati in provincia de Quaxaca nuncupata insularum Indiarum consistente in ecclesiam cathedralem sub eadem invocatione pro uno episcopo Antequeren. nuncupando qui illi preesset et archiepiscopo Ispalen. pro tempore existenti metropolitico iure subesset ex certis causis et filio Carolo procurante de fratrum nostrorum consilio Apostolica auctoritate ereximus et instituimus, ac qui oppidum ipsum etiam per nos in civitatem erectum pro civitate Antequeren. nuncuparetur circa partem ipsius provincie per te Carolum positis limitibus statuendam pro diocesi ipsarum civitatis et diocesis incolas et habitatores pro clero et populo concessimus et assignavimus tunc a primeva erectione huiusmodi vacanti de persona dilecti filii Io[annis] electi Antequeren. nobis et eisdem fratribus ob suorum exigentiam meritorum accepta de simili consilio auctoritate predicta providere ipsumque illi in episcopum preficimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum itaque filii carissimi sit virtutis opus Dei ministros benigno favore prosequi ac eos verbis et operibus pro regis eterni gloria venerari serenitatem vestram cum tu Carole etiam Castelle et Legionis rex existas rogamus et ortamur attente quatinus eundem Io[annem] electum et ecclesiam predictam sue cure commissam habens pro nostra et Apostolice Sedis reverentia propensius commendatos in ampliandis et conservandis iuribus suis sic eos benigni favoris presidio prosequamini quod idem Io[annes] electus vestri favoris fultus presidio in commisso sibi dicte ecclesie regimine possit Deo propitio prosperari ac vobis exinde a Deo perennis vite premium et a nobis condigna proveniat actio gratiarum. Datum ut supra.

71f

Apostolicae Sedis consueta clementia

Reg. Lat. 1615 fol. 243rv — die 21 iunii 1535

Dilecto filio Ioanni Lopez de Zarate presbitero Giennen. diocesis licenciato in Theologia salutem etc. Apostolice Sedis consueta clementia ne dispositiones per eam de cathedralibus ecclesiis pro tempore facte valeant quomodolibet impugnari sed persone ad eas promovende illas puro corde et sincera conscientia presidere possint remedia prout convenit adibet opportuna. Cum itaque nos hodie ecclesie Antequeren. quam etiam nos hodie ex ecclesia sub invocatione beate Marie oppidi Antequeren. nuncupati in provincia de Quaxaca in insulis Indiarum consistente in cathedralem ecclesiam sub eadem invocatione ex certis causis de fratrum nostrorum consilio Apostolica auctoritate ereximus et instituimus a primeva eius erectione huiusmodi ad presens vacanti de persona tua nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de simili consilio providere teque illi in episcopum et pastorem preficere intendamus nos ne si forsan aliquibus sententiis, censuris et penis ecclesiasticis ligatus sis provisio et prefectio predicte possint propterea quomodolibet impugnari providere volentes teque a quibusvis etc. censentes ad hoc dumtaxat ut provisio et prefectio predicte ac singule littere apostolice desuper conficiende suum sortiantur effectum auctoritate predicta tenore presentium absolvimus et absolutum fore nuntiamus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo etc. nostre absolutionis, nuntiationis etc. Si quis etc. Datum Romae apud Sanctum Marcum anno etc. millesimo quingentesimo trigesimo quinto, undecimo kalendas iulii anno primo.

71g

Cum nos pridem

Reg. Lat. 1615 fol. 243v-244r die 23 iunii 1535

Dilecto filio electo Antequeren. salutem etc. Cum nos pridem ecclesie Antequeren. tunc a primeva eius erectione per nos facta vacante de persona tua nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorundem consilio Apostolica auctoritate duxerimus providendum preficiendo te illi in episcopum et pastorem prout in nostris litteris plenius continetur nos ad ea que ad tue augmentum commoditatis cedere valeant favorabiliter intendentes tuis in hac parte supplicationibus inclinati tibi ut a quocumque malueris catholico antistite gratiam et communionem Apostolice Sedis habente accitis et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus catholicis episcopis similes gratiam et communionem habentibus munus consecrationis recipere valeas ac eidem antistiti ut recepto prius per eum a te nostro et Romane Ecclesie nomine fidelitatis debite solito iuramento iuxta formam presentibus annotatam munus predictum auctoritate nostra impendere libere tibi possit plenam et liberam earundem tenore presentium concedimus facultatem. Volumus autem et auctoritate predicta statuimus et decernimus quod si non recepto a te per ipsum antistitem predicto iuramento idem antistes munus ipsum tibi impendere et tu illud suscipere presumpseritis dictus antistes a pontificalis officii exercitio et tam ipse quam tu ab administratione tam spiritualium quam temporalium ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso. Preterea volumus quod formam huiusmodi a te tunc prestiti iuramenti nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo munitas per proprium nuntium quantocius destinare procures, quodque per hoc venerabili fratri nostro archiepiscopo Ispalen. cui ecclesia ipsa metropolitico iure subesse dinoscitur nullum imposterum preiuditium generetur. Forma autem [iuramenti] quod prestabis hec est: Ego Iohannes electus etc. Datum Romae apud Sanctum Marcum anno etc. millesimo quingentesimo trigesimo quinto, nono kalendas iulii anno primo.

72a

Apostolatus officium

Reg. Lat. 1642 fol. 14r-15v die 20 octobris 1535

PROVISIO ECCLESIAE CUBENSIS

Per obitum Michaelis Ramírez, Ecclesia Cubensis solacio pastoris destituta est. Summus Pontifex Didacum Sarmiento, Ordinis Cartusianorum, ab imperatore praesentatum, novum episcopum constituit, committendo ei curam et administrationem ipsius Ecclesiae Cubensis in spiritualibus et temporalibus. Provisio haec populo et clero civitatis et dioecesis Cubensis communicatur, necnon *universis vasallis* et capitulo Ecclesiae Cubensis. Etiam archiepiscopus Hispalensis et imperator de provisione certiores fiunt. Electo episcopo vero absolutio a censuris et poenis ecclesiasticis, quibus forsan ligatus est, et a defectu natalium de nobili impertitur, ut litterae apostolicae de provisione suum sortiantur effectum, eique facultas conceditur, ut a quocumque maluerit catholico Antistite munus consecrationis suscipere possit, assistentibus sibi duobus vel tribus episcopis, iuramento consueto ritu praestito.

Paulus III

Dilecto filio Didaco Sarmiento [1] electo Cuben. salutem etc. Apostolatus officium quo Ecclesiarum omnium regimini divina dispositione presidemus utiliter exequi quo adiuvante Domino, cupientes solliciti corde reddimur et solertes ut [cum] de ecclesiarum ipsarum regiminibus agitur committendis tales eis in pastores studeamus preficere

---

[1] Didacus Sarmiento, O. Carth., rector erat conventus *de las Cuevas,* Sevilla; anno 1538 in *Cuba* advenit. Mortuus est die 30 maii 1547. De eius activitate pastorali cfr. *Lopetegui-Zubillaga* 281-284.

qui populum sue cure creditum sciant non solum doctrina verbi, sed etiam exemplo boni operis informare commissasque sibi ecclesias in statu prospero et tranquillo valeant, auctore Domino, salubriter regere et feliciter gubernare. Sane ecclesia Cuben. que de iure patronatus carissimi in Christo filii nostri Caroli Romanorum imperatoris semper Augusti ratione Castelle et Legionis quorum est Rex ex privilegio apostolico cui non est actenus in aliquo derogatum existit et cui bone memorie Michael Ramirez olim episcopus Cuben. dum viveret presidebat per obitum ipsius Michaelis episcopi qui extra romanam curiam debitum nature persolvit pastoris solatio destitute nos ad provisionem ipsius Ecclesiae celerem et felicem ne longe vacationis exponatur incommodis paternis et sollicitis studiis intendentes post deliberationem quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem. Demum ad te Cartusian. Ordinis professorem in etate legitima ac presbiteratus ordine constitutum cui apud nos de religionis zelus, litterarum scientia, vite mundicia, honestate morum, in spiritualibus providentia et temporalium circumspectione, aliisque multiplicum virtutum donis fidedigna testimonia perhibentur eique Carolus Imperator et rex prefatus per suas litteras nobis ad ipsam inclinatum presentavit dereximus oculos nostre mentis quibus omnibus debita meditatione pensatis de persona tua nobis et eisdem fratribus ob tuorum exigentiam meritorum accepta eidem ecclesie de ipsorum fratrum consilio auctoritate Apostolica providemus teque illi preficimus in episcopum et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo in illo qui dat gratias et largitur premia confidentes quod dirigente Domino actus tuos dicta ecclesia sub tuo felici regimine regetur utiliter et prospere dirigetur grataque in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Iugum igitur Domini tuis impositum humeris prompta devotione suscipiens curam et administrationem prefatas sic exercere studeas sollicite, fideliter et prudenter quod ecclesia ipsa gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam tuque preter eterne retributionis premium nostram et Apostolice Sedis benedictionem et gratiam exhinde uberius consequi merearis. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo trigesimo quinto, tertio decimo kalendas novembris anno primo.

72b

Hodie Ecclesiae Cuben.

Reg. Lat. 1642 fol. 15v die 20 octobris 1535

Dilectis filiis populo civitatis et diocesis Cuben. salutem etc. Hodie ecclesie Cuben. certo tunc expresso modo pastoris solatio destitute de persona dilecti filii Didaci electi Cuben. nobis et fratribus nostris ob suorum exigentiam meritorum accepta de ipsorum fratrum consilio apostolica auctoritate providimus ipsumque illi preficimus in episcopum et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Quocirca etc. mandantes quatinus eundem Didacum electum etc. intendatis, ita quod ipse etc. gaudeatis. Datum ut supra.

72c

Hodie Ecclesiae Cuben.

Reg. Lat. 1642 fol. 15v die 20 octobris 1535

Dilectis filiis universis vassallis ecclesie Cuben. salutem etc. Hodie ecclesie Cuben. etc. ut supra usque continetur. Quocirca universitati vestre etc. mandamus quatenus eundem Didacum electum etc. studeatis alioquin etc. observari. Datum ut supra.

72d

Hodie Ecclesiae Cuben.

Reg. Lat. 1642 fol. 15v-16r die 20 octobris 1535

Dilectis filiis clero civitatis et diocesis Cuben. salutem etc. Hodie ecclesie Cuben. etc. ut supra usque continetur. Quocirca etc. mandamus quatinus eidem Didaco electo tanquam patri et pastori etc. curetis alioquin etc. observari. Datum ut supra.

72e

Ad cumulum tuae cedit salutis

Reg. Lat. 1642 fol. 16r die 20 octobris 1535

Venerabili fratri archiepiscopo Ispalen. salutem etc. Ad cumulum tue cedit etc. prosequaris. Hodie siquidem ecclesie Cuben. etc. continetur. Cum itaque ut ipse Didacus electus in commissa sibi dicte ecclesie etc. oportunus fraternitatem tuam rogamus etc. mandantes quatinus eundem Didacum electum etc. prosequaris quod ipse Didacus uberius etc. promereri. Datum ut supra.

72f

Gratiae divinae praemium

Reg. Lat. 1642 fol. 16rv die 20 octobris 1535

Carissimo in Christo filio nostro Carolo Romanorum Imperatori semper Augusto salutem etc. Gratie divine premium etc. impendatur. Hodie siquidem ecclesie Cuben. etc. continetur. Cum itaque filii carissime qui etiam Castelle et Legionis rex existis sit virtutis etc. venerari maiestatem tuam rogamus etc. attente quatinus eundem Didacum electum etc. prosequaris quod ipse Didacus electus etc. actio gratiarum. Datum ut supra.

72g

Hodie Ecclesiae vestrae

Reg. Lat. 1642 fol. 16v die 20 octobris 1535

Dilectis filiis capitulo ecclesie Cuben. salutem etc. Hodie ecclesie vestre Cuben. etc. continetur. Quocirca etc. mandamus quatinus eundem Didacum etc. curetis alioquin etc. observari. Datum ut supra.

72h

Apostolicae Sedis consueta clementia

Reg. Lat. 1642 fol. 16v-17r die 20 octobris 1535

Dilecto filio Didaco Sarmiento fratri Cartusien. ordinis salutem etc. Apostolice sedis consueta clementia ne dispositione per eam de cathedralibus ecclesiis pro tempore facte valeant quomodolibet impugnari sed persone ad eas promovende illis puro corde et sincera conscientia presidere valeant remedia prout convenit adhibet oportuna. Cum itaque nos hodie ecclesie Cuben. ad presens certo modo pastoris solatio destitute de persona tua nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de ipsorum fratrum consilio providere teque illi in episcopum et pastorem preficere intendamus, nos ne provisio et prefectio prefate si forsan aliquibus censuris ecclesiasticis ligatus existis valeant propterea impugnari providere volentes te a quibusvis excommunicationis etc. innodatus existis dumtaxat ut provisio et prefectio prefate ac singule littere apostolice desuper conficiende suum sortiantur effectum auctoritate apostolica tenore presentium absolvimus et absolutum fore nuntiamus non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac dictarum ecclesiarum iuramento etc. roboratis statutis et consuetudinibus ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo etc. nostre absolutionis et nuntiationis infringere etc. Siquis etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo trigesimo quinto, tertio decimo kalendas novembris anno primo.

72i

Divina supereminens largitas

Reg. Lat. 1642 fol. 17r-18r die 20 octobris 1535

Dilecto filio Didaco Sarmiento fratri Cartusien. ordinis salutem etc. Divina supereminens largitas nonnumquam in multis sic sue gratie dona diffundit quod etiam defectum natalium patientes per suarum virtutum merita defectum supplens eundem mereantur ad dignitatum culmina promoveri. Cum itaque nos hodie ecclesie Cuben. ad presens certo modo pastoris solatio destitute de persona tua nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta providere teque qui, ut accepimus defectum natalium de nobili soluto genitus et soluta pateris illi in episcopum et pastorem preficere intendamus nos sperantes quod tu propter gravida virtutum dona quibus circumfultus existis et alia tibi affatur a suffragia eidem ecclesie esse poteris multiplicitis fructuosus motu proprio non ad tuam vel alterius pro te super hoc oblate petitionis instantiam sed de nostra mera liberalitate tecum ut eidem ecclesie in episcopum prefici et preesse illamque in spiritualibus et temporalibus regere et gubernare ac munus consecrationis suscipere et illo uti libere et licite valeas defectu prefato ac Lateranen. concilium a quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac dicte ecclesie iuramento etc. roborati statutis et consuetudinibus ceterisque contrariis nequaquam obstantibus auctoritate apostolica tenore presentium de specialis dono gratie dispensamus. Nulli ergo etc. nostre dispensationis infringere etc. Siquis etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo trigesimo quinto, tertiodecimo kalendas novembris anno primo.

72k

Cum nos pridem

Reg. Lat. 1642 fol. 18r-19r — die 22 octobris 1535

Dilecto filio Didaco electo Cuben. salutem etc. Cum nos pridem ecclesie Cuben. certo tunc expresso modo pastoris solatio destitute de persona tua nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de ipsorum fratrum consilio auctoritate apostolica provi-

derimus teque illi prefecerimus in episcopum et pastorem prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur, nos ad ea que ad tue commoditatis augmentum cedere valeant favorabiliter intendentes tuis in hac parte supplicationibus inclinati tibi ut a quocumque malueris catholico antistite gratiam et communionem Apostolice Sedis habente accitis et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus catholicis episcopis similes gratiam et communionem habentibus munus consecrationis recipere valeas, ac eidem antistiti ut recepto prius per eum etiam et Romane ecclesie nomine a te fidelitatis debite solito iuramento iuxta formam presentibus annotatam munus prefatum impendere libere tibi possit plenam et liberam concedimus earundem tenore presentium facultatem ac volumus et eadem auctoritate decernimus quod si dicto iuramento non prestito dictus antistes munus prefatum tibi impendere et tu illud suscipere presumpseritis dictus antistes a pontificalis officii exercitio et tam ipse quam tu ab administratione tam spiritualium quam temporalium ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso. Preterea volumus quod formam huiusmodi a te tunc prestiti iuramenti nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo munitas per proprium nuntium quantocius destinare procures quodque per hoc venerabili fratri nostro archiepiscopo Ispalen. cui dicta ecclesia metropolitico iure subesse dinoscitur nullum imposterum preiuditium generetur. Forma autem iuramenti hec est: Ego Didacus electus Cuben. te ad etc. evangelia. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo trigesimo quinto, undecimo kalendas novembris anno primo.

73a

Illius fulciti praesidio

Reg. Lat. 1650 fol. 117r-118v — die 8 augusti 1536

ERECTIO ET PROVISIO ECCLESIAE MICHOACANSIS (*MECHOACÁN*)

Inter ceteras provincias in insulis Indiarum Occidentalium superioribus annis repertis est una Mechoacan nuncupata, in qua plures Indi christiani habitant. Precibus imperatoris obsecundans Summus Pontifex Ecclesiam cathedralem sub invocatione Sancti Francisci erigit, archiepiscopo Hispalensi (*Sevilla*) iure metropolitico subicit et ius patronatus imperatori concedit. Eodem die Summus Pontifex presbyterum Abulensem (*Avila*) Vasco de Quiroga episcopum novae Ecclesiae constituit. Eandem provisionem clero et populo civitatis et dioecesis Michoacansis, archiepiscopo Hispalensi et imperatori communicat; electo episcopo vero facultatem concedit, ut a quocumque maluerit catholico Antistite munus consecrationis suscipere possit, assistentibus sibi duobus vel tribus episcopis, aut duobus abbatibus vel duabus aliis personis in dignitate ecclesiastica constitutis, iuramento fidelitatis consueto ritu praestito, ac absolutio a censuris et poenis ecclesiasticis, quibus forsan ligatus est, ei impertit, ut litterae apostolicae de provisione suum sortiantur effectum.

Paulus III

Ad perpetuam rei memoriam. Illius fulciti praesidio cuius sunt terre cardines et cui cogitationes hominum preparantur et cuius providentia ordinationem suscipiunt universa, partes officii nobis desuper commissi ad ea libenter interponimus per que singulis in tenebris constitutis, ut ad verum lumen quod est Christus pervenire possint, lucis radii resplendent. Unde in singulis locis prout illorum necessitas et alie rationabiles cause id exigunt novas episcopales sedes ecclesiasque pro excellenti Sedis apostolice preeminentia plantamus ut per novas plantationes nova populorum adhesio militanti Ecclesie accrescant, religionisque christiane et catholice fidei professio ubique consurgat, dilatetur et floreat et loca etiam humilia illustrentur et eorumdem locorum incole et habitatores novarum sedium et honorabilium presulum assistentia circumfulti auctore Domino felicitatis eterne premia facilius valeant adipisci. Sane, cum inter ceteras provincias in insulis Indiarum superioribus annis auspiciis carissimi in Christo filii nostri Caroli Romanorum Imperatoris semper Augusti qui etiam Castelle et Legionis et Aragonum Rex existit noviter repertis sit una Machuacan. nuncupata cuius incole divine legis expertes existant et in qua plures Indii christiani habitent et idem Carolus Imperator et Rex pio affectu desideret in dicta provincia Machuacan. eius temporali ditioni subiecta illius gloriosissimi nominis cultum cuius est orbis terrarum et plenitudo eius et universi qui habitant in eo ampliari ac eius incolas prefa-

tas ad lucem veritatis perducere animarumque salutem propagari ac propterea oppidum Machuacan. nuncupatum in eadem provincia situm in quo una ecclesia sub invocatione Sancti Francisci constructa existit in civitatem et diocesim, ecclesiam Sancti Francisci in cathedralem ecclesiam erigi. Nos habita super hiis cum fratribus nostris deliberatione matura de illorum consilio prefato Carolo Imperatore super hoc nobis humiliter supplicante ad omnipotentis Dei laudem et gloriam et eius gloriosissime genitricis Marie virginis totiusque curie celestis honorem et fidei catholice exaltationem oppidum predictum in civitatem Machuacan. nuncupetur et illius ecclesiam huiusmodi in cathedralem ecclesiam sub eadem invocatione pro uno episcopo Machuacan. nuncupando qui illi praesit et illius edificia ampliari et ad formam cathedralis ecclesie redigi procuret et faciat necnon in ea illiusque civitate et diocesi verbum Dei predicet et eorum incolas infideles ad ipsius orthodoxe fidei cultum convertat et conversos in eadem fide instruat et confirmet eisque baptismi gratiam impendat et tam illis omnibus fidelibus in civitate et diocesi huiusmodi pro tempore degentibus et ad eam declinantibus sacramenta ecclesiastica et alia spiritualia ministret et ministari faciant et procuret necnon in ecclesia et civitate et diocesi predictis episcopalem iurisdictionem, auctoritatem et potestatem libere exercere valeat ac dignitates, canonicatus et prebendas aliaque beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura erigat et instituat ac alia spiritualia conferat et seminet prout divini cultus augmento et ipsorum incolarum animarum saluti expedire cognoverit et qui archiepiscopo Ispalen. pro tempore existenti iure metropolitico subsit et ex omnibus inhibi provenientibus preter quam ex auro et argento et aliis metallis gemmis ac lapidibus pretiosis que pro tempore existentibus Castelle aut Legionis Regibus quoad hoc libera esse decernimus decimas et primicias de iure debitas ceteraque episcopalia iura prout alii in Ispania episcopi de iure vel consuetudine exigunt et percipiunt exigere et percipere libere et licite valeat cum sede ac mensa et aliis insigniis episcopalibus necnon privilegiis, immunitatibus et gratiis quibus alie cathedrales ecclesie ac illarum presules in Ispania de iure vel consuetudine utuntur, potiuntur et gaudent ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum auctoritate et tenore presentium perpetuo erigimus et instituimus et eidem ecclesie oppidum Machuacan. predictum sic per nos in civitatem erectum pro civitate et partem provincie Machuacan. quam ipse Carolus Imperator et Rex positis limitibus statuerit et statui mandaverit pro diocesi illarumque incolas et habitatores pro clero et populo concedimus et assignamus necnon illius mense episcopali predicte pro eius dote [redditus] annuos ducentorum ducatorum auri per ipsum Carolum Imperatorem et

Regem ex redditibus annuis ad eum in dicta provincia spectantibus assignandos donec fructus ipsius mense ad valorem ducentorum ducatorum similium ascendant annuatim, applicamus et appropriamus. Et insuper ius patronatus et presentandi infra annum propter loci distantiam personas idoneas ad dictam ecclesiam quoties illius vacatio ea prima vice excepta pro tempore occurrerit et Romano pontifici pro tempore existenti per eum in eiusdem ecclesie episcopum et pastorem ad presentationem huiusmodi preficiendum necnon ad dignitates, canonicatus et prebendas ac beneficia erigenda huiusmodi tam ab eorum primeva erectione postquam erecta fuerit quam ex tunc deinceps pro tempore vacantia episcopo Machuacan. pro tempore existenti similiter per eum ad presentationem huiusmodi in ipsis dignitatibus, canonicatibus et prebendis ac beneficiis instituendis prefato Carolo et pro tempore existenti Castelle et Legionis Regi de simili consilio auctoritate et tenore supradictis in perpetuum concedimus et assignamus. Nulli ergo etc. nostre erectionis, institutionis, concessionis assignationis etc. Siquis etc. Datum Romae apud Sanctum Marcum anno etc. millesimo quingentesimo trigesimo sexto, sexto idus augusti anno secundo.

73b

Apostolatus officium

Reg. Lat. 1650 fol. 119r-120r die 8 augusti 1536

Dilecto filio Vasco de Quiroga [1] electo Machuacan. salutem etc. Apostolatus officium meritis licet imparibus nobis ex alto commissum

---

[1] Vasco de Quiroga natus est anno 1470 in civitate Madrigal de las Altas Torres, Hispania, anno 1531 in Novam Hispaniam profectus est, anno 1533 visitator provinciae *Mechoacan* et anno 1537 primus episcopus dioecesis eiusdem nominis nominatus est. Mortuus est in itinere visitationis dioecesis die 14 martii 1564 (BM II 348). *Nicolás León,* El Ylmo. Señor Don Vasco de Quiroga. Primer Obispo de Michoacán. Grandeza de su Persona y de su Obra. México 1904.

quo ecclesiarum omnium regimini divina dispositione presidemus utiliter exequi quo adiuvante Domino cupientes soliciti corde redimur et solertes ut cum de ecclesiarum ipsarum regiminibus agitur committendis tales eis in pastores preficere studeamus qui populum sue cure creditum sciant non solum doctrina verbi sed etiam exemplo boni operis informare commissasque sibi ecclesias velint et valeant auctore Domino salubriter regere et feliciter gubernare. Dudum siquidem provisiones ecclesiarum omnium apud Sedem Apostolicam tunc vacantium et in antea vacaturarum ordinationi et dispositioni nostre reservavimus decernentes ex tunc irritum et inane etc. attentari. Postmodum vero ecclesia Machuacan. quam nos hodie in provincia Machuacan. nuncupata in insulis Indiarum consistente ex ecclesia sub invocatione Sancti Francisci dicata in olim oppidum Machuacan. nuncupatum ipsius provincie situm in cathedralem ecclesiam pro uno episcopo qui illi preesset ex certis causis de fratrum nostrorum consilio apostolica auctoritate ereximus et instituimus et cui oppidum etiam per nos in civitatem tunc erectum pro civitate et certam partem eiusdem provincie pro eius diocesi eorumque incolas et habitatores pro clero et populo concessimus et assignamus et ad quam ius patronatus et presentandi personam idoneam quoties illius vacatio ea prima vice excepta pro tempore occurrerit carissimo in Christo filio nostro Carolo Romanorum Imperatori semper augusto qui etiam Castelle et Legionis et Aragonum Rex existit et pro tempore existenti Castelle et Legionis Regi de simili consilio dicta auctoritate reservavimus ab eius primeva erectione huiusmodi apud sedem predictam vacante nos ad provisionem eiusdem ecclesie celerem et felicem de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit sive potest reservatione et decreto obstantibus supradictis ne ecclesia ipsa longe vacationis exponatur incommodis paternis et sollicitis studiis intendentes post deliberationem quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te presbiterum Abulen. diocesis licentiatum in theologia cui apud nos de vite mundicia, honestate [morum], spiritualium providentia et temporalium circumspectione aliisque multiplicum virtutum donis fidedigna testimonia perhibentur direximus oculos nostre mentis; quibus omnibus debita meditatione pensatis de persona tua nobis et eisdem fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta prefate ecclesie de simili ipsorum fratrum consilio dicta auctoritate providimus teque illi in episcopum preficimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo in illo qui dat gratias et largitur premia confidentes quod dirigente Domino actus tuos prefata ecclesia sub tuo felici regimine regetur et prospere dirigetur ac

grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Iugum igitur Domini tuis impositis humeris prompta devotione suscipiens curam et administrationem predictas sic exercere studeas solicite, fideliter et prudenter quod ecclesia ipsa gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam tuque preter eterne retributionis premium nostram et dicte sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis. Datum Romae apud Sanctum Marcum anno etc. millesimo quingentesimo trigesimo sexto, sexto idus augusti anno secundo.

73c

Hodie Ecclesiae Machuacan.

Reg. Lat. 1650 fol. 120rv die 8 augusti 1536

Dilectis filiis clero civitatis et diocesis Machuacan. salutem etc. Hodie ecclesie Machuacan. quam nos etiam hodie in provincia Machuacan. nuncupata in insulis Indiarum consistente ex ecclesia sub invocatione Sancti Francisci dicata in olim oppidum Machuacan. nuncupatum [in] dicta provincia situm in cathedralem ecclesiam pro uno episcopo qui illi preesset ex certis causis de fratrum nostrorum consilio apostolica auctoritate ereximus et instituimus, ac cui oppidum predictum etiam per nos in civitatem tunc erectum pro civitate et certam partem eiusdem provincie pro eius diocesi illorumque incolas et habitatores pro clero et populo concessimus et assignavimus tunc a primeva eius erectione huiusmodi vacanti de persona dilecti filii Vasci electi Machuacan. nobis et fratribus nostris ob suorum exigentiam meritorum accepta de simili consilio providimus ipsumque illi in episcopum prefecimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo prout in nostri inde confectis litteris plenius continetur. Quocirca etc. mandamus quatinus eidem Vasco electo tamquam patri et pastori animarum vestrarum humiliter intendentes et exhibentes sibi obedientiam et reve-

rentiam debitas et devotas eius salubria monita et mandata suscipiatis humiliter et efficaciter adimplere curetis alioquin sententiam quam idem Vascus electus rite tulerit in rebelles ratam habebimus et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum ut supra.

73d

Hodie Ecclesiae Machuacan.

Reg. Lat. 1650 fol. 120v-121r die 8 augusti 1536

Dilectis filiis populo civitatis et diocesis Machuacan. salutem etc. Hodie ecclesie Machuacan. quam nos etiam hodie in provincia Machuacan. nuncupata etc. ut supra usque continetur. Quocirca etc. universitati vestre monemus et ortamur attente vobis per apostolica scripta mandamus quatinus eundem Vascum electum tamquam patrem et pastorem animarum vestrarum devote suscipientes et debita honorificentia prosequentes eius monitis et mandatis salubribus humiliter intendatis ita quod ipse Vascus electus in vobis devotionis filios et vos in eo per consequens patrem benivolum invenisse gaudeatis. Datum ut supra.

73e

Ad cumulum tuae cedit salutis

Reg. Lat. 1650 fol. 121rv die 8 augusti 1536

Venerabili fratri archiepiscopo Ispalen. salutem etc. Ad cumulum tuae cedit salutis et fame si personas ecclesiasticas presertim [pontificali] dignitate preditas divine propitiationis intuitu opportuni presidii et favoris gratia prosequaris. Hodie siquidem ecclesie Machuacan. quam nos etiam hodie in provincia Machuacan. nuncupata in insulis Indiarum consistente ex ecclesia sub invocatione Sancti Francisci dicata in olim oppidum Machuacan. ipsius provincie in cathedralem ecclesiam pro uno episcopo qui illi preesset et archiepiscopo Ispalen. pro tempore existenti metropolitico iure subesset ex certis causis ereximus et instituimus et cui oppidum predictum etc. ut supra usque continetur. Cum igitur ut idem Vascus electus in commissa sibi predicte ecclesie cura facilius preficere valeat tuus favor ei fore noscatur plurimum opportunus fraternitatem tuam rogamus et ortamur tibi per apostolica scripta mandamus quatinus eundem Vascum electum ad prefatam ecclesiam sibi commissam habens pro nostra et apostolice sedis reverentia propensius commendatos in ampliandis et conservandis iuribus suis sic eos tui benigni favoris [auxilio] prosequaris quod ipse Vascus per tue auxilium gratie se possit in commisso sibi eiusdem ecclesie regimine utilius excercere tuque divinam misericordiam et nostram et eiusdem sedis benedictionem et gratiam valeas exinde uberius promereri. Datum ut supra.

73f

Gratiae divinae praemium

Reg. Lat. 1650 fol. 121v-122r — die 8 augusti 1536

Carissimo in Christo filio Carolo Romanorum Imperatori semper Augusto et carissime in Christo filie Ioanne Castelle et Legionis Regine illustri salutem etc. Gratie divine premium et humane laudis preconium acquiritur si per seculares principes ecclesiarum prelatis presertim cathedralis ecclesie regimini presidentibus opportuni favoris presidium et honor debitus impendatur. Hodie siquidem ecclesia Ma-

chuacan. quam nos etiam hodie in provincia Machuacan. nuncupata in insulis Indiarum consistente ex ecclesia sub invocatione Sancti Francisci dicata in olim oppidum Machuacan. nuncupatum ipsius provincie situm in cathedralem ecclesiam pro uno episcopo qui illi preesset ex certis causis de fratrum nostrorum consilio apostolica auctoritate ereximus et instituimus et cui oppidum predictum etiam per nos in civitatem erectum pro civitate et certam partem eiusdem provincie pro eius diocesi eorumque incolas et habitatores pro clero et populo concessimus et assignavimus tunc a primeva eius erectione vacanti de persona dilecti filii Vasci electi Machuacan. nobis et eisdem fratribus ob suorum exigentiam meritorum accepta de simili consilio auctoritate predicta providimus ipsumque illi in episcopum prefecimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum itaque filii carissimi sit virtutis opus Dei ministros benigno favore prosequi ac eos verbis et operibus pro regis eterni gloria venerari serenitatem vestram cum tu fili Carole etiam Castelle et Legionis ac Aragonum Rex existas rogamus et hortamur attente quatinus eundem Vascum electum et ecclesiam predictam sue cure commissam habens pro nostra et apostolice sedis reverentia propensius commendatos in ampliandis et conservandis iuribus suis sic eos benigni favoris auxilio prosequamini quod ipse Vascus electus vestri favoris fultus presidio in commisso sibi dicte ecclesie regimine possit Deo propitio prosperari ac vobis exinde perennis vite premium et a nobis condigna proveniat actio gratiarum. Datum ut supra.

73g

Cum nos pridem

Reg. Lat. 1650 fol. 122r-123r — die 9 augusti 1536

Dilecto filio Vasco electo Machuacan. salutem etc. Cum nos pridem ecclesie Machuacan. per nos in provincia Machuacan. nuncupata

in insulis Indiarum consistente pro uno episcopo qui illi preesset et archiepiscopo Ispalen. pro tempore existenti metropolitico iure subesset erecte tunc a primeva eius erectione huiusmodi vacante de persona tua nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorumdem consilio duxerimus providendum preficiendo te illi in episcopum et pastorem prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur nos ad ea que ad tue commoditatis augmentum cedere valeant favorabiliter annuentes tuis in hac parte supplicationibus inclinati tibi a quocumque malueris catholico antistite gratiam et communionem apostolice sedis habente accitis et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus catholicis episcopis similes gratiam et communionem habentibus munus consecrationis recipere valeas ac eidem antistiti ut recepto prius a te nostro et Romane ecclesie nomine fidelitatis debite solito iuramento iuxta formam presentibus annotatam munus predictum auctoritate apostolica impendere libere tibi possit plenam et liberam earumdem tenore presentium concedimus facultatem. Volumus autem et auctoritate predicta statuimus et decernimus quod si non recepto a te per ipsum antistitem predicto iuramento, idem antistes munum ipsum tibi impendere et tu illud suscipere presumpseritis dictus antistes a pontificalis officii exercitio et tam ipse quam tu ab administratione tam spiritualium quam temporalium ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso. Propterea volumus quod formam huiusmodi a te tunc prestiti iuramenti nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo munitas per proprium nuncium quantocius destinare procures, quodque prefato archiepiscopo nullum imposterum preiudicium generetur. Forma autem iuramenti quod prestabis hec est: Ego Vascus electus Machuacan. ab hac hora etc. Datum Romae apud Sanctum Marcum anno etc. millesimo quingentesimo trigesimo sexto, quinto idus augusti anno secundo.

73h

Apostolicae Sedis consueta clementia

Reg. Lat. 1650 fol. 123rv — die 8 augusti 1536

Dilecto filio Vasco Quiroga presbitero Abulen. diocesis licentiato in theologia salutem etc. Apostolicae Sedis consueta clementia ne dispositiones per eam de cathedralibus ecclesiis pro tempore facte valeant quomodolibet impugnari, sed persone ad eas promovende illis puro corde et sincera conscientia presidere valeant remedia prout convenit adibet opportuna. Cum itaque nos hodie ecclesie Machuacan. quam nos etiam hodie in provincia Machuacan. nuncupata in insulis Indiarum consistente ex ecclesia sub invocatione Sancti Francisci dicata in olim oppidum Machuacan. nuncupatum dicta provincia situm in cathedralem ecclesiam pro uno episcopo qui illi preesset ex certis causis de fratrum nostrorum consilio ereximus et instituimus et cui oppidum predictum etiam per nos in civitatem tunc erectum pro civitate et certam partem eiusdem provincie pro eius diocesi illorumque incolas et habitatores pro clero et populo concessimus et assignavimus a primeva eius erectione huiusmodi ad presens vacanti de persona tua nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de simili consilio dicta auctoritate providere teque illi in episcopum et pastorem preficere intendamus nos ne si forsan aliquibus sententiis, censuris et penis ecclesiasticis ligatus sis provisio et prefectio predicte possint propterea quomodolibet impugnari teque nos etc. ad hoc dumtaxat ut provisio [et] prefectio predicte et singule littere desuper conficiende suum sortiantur effectum auctoritate predicta tenore presentium absolvimus et absolutum fore nuntiamus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo etc. nostre absolutionis etc. Siquis etc. Datum Romae apud Sanctum Marcum anno etc. millesimo quingentesimo trigesimo sexto, sexto idus augusti anno secundo [2].

---

[2] Sequitur textus bullae *Sedes Apostolica pia mater* qui vix legi potest.

73i

Tuae devotionis

Arm. XLI 4 fol. 100r — die 9 octobris 1536

Dilecto filio Vasco de Quiroga electo Machuacan.

Dilecte fili salutem etc. Tuae devotionis precibus benignum impartientes assensum, illa tibi gratiose concedenda duximus, que ad tue dignitatis augmentum cedere dignoscuntur. Ea propter tibi de cuius persona nuper ecclesie Machuacansis, tunc a primeva eius erectione per nos facta vacanti, apostolica auctoritate providimus preficiendo te illi in Episcopum et Pastorem ut a quocumque malueris Catholico Antistite gratiam et communionem Apostolice Sedis habente, accitis et sibi in hoc assistentibus duobus Abbatibus aut duabus aliis personis in dignitate ecclesiastica constitutis, munus consecrationis alias iuxta tenorem litterarum tibi super munere huiusmodi impendendo sub plumbo concessarum suscipere libere et licite valeas. Ac eidem Antistiti ut illud tibi ut prefertur impendere licite possit quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis nequaquam obstantibus auctoritate predicta tenore presentium, cum in partibus illis penuria sit Episcoporum, concedimus et pariter indulgemus. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die 9 Octobris 1536 Anno secundo.

74a

Apostolatus officium

Reg. Lat. 1650 fol. 112r-113v — die 6 septembris 1536

PROVISIO ECCLESIAE SANCTAE MARTHAE

Per obitum Alfonsi de Tobes Ecclesia Sanctae Marthae pastoris solacio destituta est. Summus Pontifex Ioannem Ferdinandum de Angulo, quem imperator vi privilegii patronatus ad hoc praesentaverat, novum episcopum Ecclesiae praedictae constituit, curam et administrationem ipsius Ecclesiae in spiritualibus et temporalibus ei committens. Eandem provisionem Summus Pontifex simili modo communicat capitulo Ecclesiae Sanctae Marthae, clero et populo civitatis et dioecesis ac universis vasallis Ecclesiae Sanctae Marthae, necnon archiepiscopo Hispalensi (*Sevilla*), cui Ecclesia Sanctae Marthae ut

suffraganea subest et ipso imperatori Carolo et Ioannae reginae. Electo episcopo vero absolutio a censuris et poenis ecclesiasticis impertitur, ut litterae apostolicae de provisione suum sortiantur effectum, eique facultas conceditur, ut a quocumque maluerit catholico Antistite munus consecrationis suscipere possit, assistentibus sibi duobus vel tribus episcopis, iuramento fidelitatis consueto ritu praestito.

Paulus III

Dilecto filio Ioanni Ferdinando de Angulo [1] electo Sancte Marthe salutem etc. Apostolatus officium meritis licet imparibus nobis ex alto commissum quo ecclesiarum omnium regimini divina dispositione presidemus utiliter exequi quo adiuvante Domino cupientes soliciti corde redimur ac solertes ut cum de ecclesiarum ipsarum regiminibus agitur committendis tales eis in pastores preficere studeamus qui populum sue cure creditum sciant non solum doctrina verbi sed etiam exemplo boni operis informare commissasque sibi ecclesias in statu pacifico et tranquillo velint et valeant, auctore Domino, salubriter regere et feliciter gubernare. Sane ecclesia Sancte Marte provincia eiusdem Sancte Marthe sita in Indiis terre continentis maris Oceani que de iure patronatus Carissimi in Christo filii nostri Caroli Romanorum Imperatoris semper Augusti ratione Castelle et Legionis regine quod Rex existat ex privilegio apostolico cui non est actenus in aliquo derogatum fore dinoscitur ac cui bone memorie Alfonsus de Tobes episcopus Sancte Marthe dum viveret presidebat per obitum eiusdem Alfonsi qui extra Romanam Curiam debitum nature persolvit pastoris solacio destitute nos ad provisionem dicte ecclesie celerem et felicem ne ecclesia ipsa longe vacationis exponatur incommodis paternis et solicitis studiis intendentes post deliberationem quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem demum ad te presbiterum Burgen. diocesis licentiatum in Theologia quem prefatus Carolus Imperator et Rex nobis ad hoc per suas litteras presentavit ac cui apud nos de vite mundicia, honestate morum, spiritualium providentia et temporalium circumspectione aliisque multiplicum virtutum donis fidedigna testimonia perhiben-

[1] Ioannes Ferdinandus de Angulo, oriundus de dioecesi Burgensi (*Burgos*) in Hispania; anno 1538 in dioecesim suam pervenit. Mortuus est anno 1542. De eius activitate pastorali cfr. *Egaña* 15-17.

tur direximus oculos nostre mentis quibus omnibus debita meditatione pensatis de persona tua nobis et eisdem fratribus ob tuorum exigentiam meritorum accepta prefate ecclesie de ipsorum consilio auctoritate apostolica providemus teque illi in episcopum preficimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo in illo qui dat gratias et largitur premia confidentes quod dirigente Domino actus tuos prefata ecclesia sub tuo felici regimine regetur utiliter et prospere dirigetur ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Iugum igitur Domini actis tuis impositum humeris prompta devotione suscipiens curam et administrationem predictas sic exercere studeas solicite, fideliter et prudenter ac ecclesia ipsa gubernatori provido, fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque preter eterne retributionis premium et dicte sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis. Datum Romae apud sanctum Marcun anno etc. millesimo quingentesimo trigesimo sexto, octavo idus septembris anno secundo.

74b

Hodie Ecclesiae vestrae

Reg. Lat. 1650 fol. 113rv — die 6 septembris 1536

Dilectis filiis capitulo ecclesie Sanctae Marte salutem etc. Hodie ecclesiae vestrae Sanctae Martae tunc per obitum bone memorie Alfonsi olim episcopi Sancte Marte extra Romanam Curiam defuncti pastoris solacio destitute de persona dilecti filii Ioannis electi Sancte Marte nobis et fratribus nostris ob suorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorundem consilio apostolica auctoritate providimus ipsumque illi in episcopum preficimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Quocirca mandamus quatinus eidem Ioanni electo tamquam patri et

pastori animarum vestrarum humiliter intendentes ac exhibentes sibi obedientiam et reverentiam debitas et devotas eius salubria [monita] et mandata suscipiatis humiliter et efficaciter adimplere curetis alioquin sententiam quam idem Ioannes electus rite tulerit in rebelles ratam habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum ut supra.

74c

Hodie Ecclesiae Sanctae Marthae

Reg. Lat. 1650 fol. 113v — die 6 septembris 1536

Dilectis filiis clero civitatis et diocesis Sancte Marte salutem etc. Hodie ecclesiae Sanctae Martae tunc per obitum etc. ut supra usque continetur. Quocirca etc. mandamus quatinus eidem Ioanni electo tamquam patri et pastori animarum vestrarum humiliter intendentes ac exhibentes sibi obedientiam et reverentiam debitas et devotas eius salubria monita et mandata suscipiatis humiliter et efficaciter adimplere curetis alioquin sententiam quam idem Ioannes electus rite tulerit in rebelles ratam habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum ut supra.

74d

Hodie Ecclesiae vestrae

Reg. Lat. 1650 fol. 113v-114r — die 6 septembris 1536

Dilectis filiis populo civitatis et diocesis Sancte Marte salutem etc. Hodie ecclesiae vestrae Sanctae Martae tunc per obitum etc. ut supra usque continetur. Quocirca etc. mandamus quatinus eidem Ioanni electo tamquam patri et pastori animarum vestrarum devote suscipientes et debita honorificentia pertractantes eius monitis et mandatis salubribus humiliter intendatis, ita quod ipse Ioannes electus in vobis devotionis filios et vos in eo per consequens patrem benivolum invenisse gaudeatis. Datum ut supra.

74e

Hodie Ecclesiae Sanctae Marthae

Reg. Lat. 1650 fol. 114r — die 6 septembris 1536

Dilectis filiis universis vasallis ecclesie Sancte Marte salutem etc. Hodie ecclesiae Sanctae Martae tunc per obitum etc. ut supra usque continetur. Quocirca etc. mandamus quatinus eundem Ioannem electum tamquam patrem et pastorem animarum vestrarum devote suscipientes et debita honorificentia prosequentes ei fidelitatem solitam necnon consueta servitia et iura sibi a vobis debita exhibere integre studeatis alioquin sententiam sive penam quam idem Ioannes electus rite tulerit seu statuerit in rebelles ratam habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum ut supra.

74f

Ad cumulum tuae cedit salutis

Reg. Lat. 1650 fol. 114rv — die 6 septembris 1536

Venerabili fratri archiepiscopo Ispalen. salutem etc. Ad cumulum tuae cedit [salutis] et fame si personas ecclesiasticas presertim pontificali dignitate preditas divine propitiationis intuitu opportuni presidii et favoris gratia prosequaris. Hodie siquidem ecclesie Sancte Marte tunc per obitum bone memorie Alfonsi olim episcopi Sancte Marte extra Romanam Curiam defuncti pastoris solacio destitute de persona dilecti filii Ioannis electi Sancte Marte nobis et fratribus nostris ob suorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorundem consilio apostolica auctoritate providemus ipsumque illi in episcopum prefecimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum igitur ut idem Ioannes electus in commissa sibi predicte ecclesie cura facilius proficere valeat tuus favor ei fore noscatur plurimum opportunus fraternitatem tuam rogamus et ortamur attente tibi per apostolica scripta mandantes quatinus eundem Ioannem electum et prefatam ecclesiam sibi commissam suffraganeam tuam habens pro nostra et apostolice sedis reverentia propensius commendatos in ampliandis et conservandis iuribus suis sic eos tui favoris presidio prosequaris quod ipse Ioannes electus per tue auxilium gratie se possit in commisso sibi eiusdem ecclesie regimine utilius exercere, tuque divinam misericordiam et nostram ac eiusdem sedis benedictionem et gratiam valeas exinde uberius consequi promereri. Datum ut supra.

74g

Gratiae divinae praemium

Reg. Lat. 1650 fol. 114v-115r — die 6 septembris 1536

Carissimo in Christo filio Carolo Romanorum Imperatori semper augusto et carissime in Christo filie Ioanne Castelle et Legionis regine illustri salutem etc. Gratie divine premium et humane laudis preconium acquiritur si per seculares principes ecclesiarum prelatis preser-

tim pontificali dignitate preditis opportuni favoris presidium et honor debitus impendatur. Hodie siquidem ecclesie Sancte Marte tunc per obitum etc. ut supra usque continetur. Cum itaque filii charissimi sit virtutis opus Dei ministros benigno favore prosequi ac eos verbis et operibus pro regis eterni gloria venerari maiestatem vestram regiam cum tu fili Carole etiam Castelle et Legionis rex existas rogamus et ortamur attente quatinus eundem Ioannem electum et ecclesiam predictam sue cure commissam habens pro nostra et apostolice sedis reverentia propensius commendatos in ampliandis et conservandis iuribus suis sic eos benigno favore prosequaris quod idem Ioannes electus vestre celsitudinis fultus presidio in commisso sibi dicte ecclesie regimine possit, Deo propitio, prosperari ac vobis exinde a Deo perennis vite premium et a nobis condigna proveniat actio gratiarum. Datum ut supra.

74h

Apostolicae Sedis consueta clementia

Reg. Lat. 1650 fol. 115rv — die 6 septembris 1536

Dilecto filio Ioanni Ferdinando de Angulo presbitero Burgen. diocesis, licentiato in theologia salutem etc. Apostolice Sedis consueta clementia ne dispositiones per eam de cathedralibus ecclesiis pro tempore facte valeant quomodolibet impugnari, sed persone ad eas promovende illis puro corde et sincera conscientia presidere valeant remedia prout convenit adibet opportuna. Cum itaque nos hodie Ecclesie Sancte Marte ad presens certo modo pastoris solatio destitute de persona tua nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorundem consilio apostolica auctoritate providere, teque illi in episcopum et pastorem preficere intendamus nos ne si forsan aliquibus sententiis, censuris et poenis ligatus sis provisio et prefectio predicte possint propterea quomodolibet impugnari providere volentes teque a quibusvis excommunicationis etc. censentes ad

hoc dumtaxat ut provisio et prefectio predicte ac singule littere apostolice desuper conficiende suum sortiantur effectum auctoritate predicta tenore presentium absolvimus et absolutum fore nuntiamus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac dicte Ecclesie iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo etc. nostre absolutionis etc. Siquis etc. Datum Romae apud Sanctum Marcum anno etc. millesimo quingentesimo trigesimo sexto, octavo idus septembris anno secundo.

74i

Cum nos pridem

Reg. Lat. 1650 fol. 115v-116v — die 8 septembris 1536

Dilecto filio Ioanni electo Sancte Marte salutem etc. Cum nos pridem Ecclesie Sancte Marte tunc certo modo pastoris solatio destitute de persona tua nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorundem consilio apostolica auctoritate duxerimus providendum preficiendo te illi in episcopum et pastorem prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur nos ad ea que ad tue commoditatis augmentum cedere valeant favorabiliter intendentes tuis in hac parte supplicationibus inclinati tibi ut a quocumque malueris catholico antistite gratiam et communionem Apostolice Sedis habente accitis et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus catholicis episcopis similes gratiam et communionem habentibus munus consecrationis recipere valeas ac eidem antistiti ut recepto prius per eum a te, nostro et Romane Ecclesie nomine fidelitatis debite solito iuramento iuxta formam presentibus annotatam, munus predictum auctoritate nostra impendere libere tibi possit plenam et liberam tenore presentium facultatem. Volumus autem et auctoritate predicta statuimus et decernimus quod si non recepto a te per ipsum antistitem predicto iuramento, idem antistes munus ipsum tibi impende-

re et tu illud suscipere presumpseritis dictus antistes a pontificalis officii exercitio et tam ipse quam tu ab administratione tam spiritualium quam temporalium ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso. Preterea volumus quod formam huiusmodi a te tunc prestiti iuramenti nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo munitas per proprium nuntium quantocius destinare procures, quodque per hoc venerabili fratri nostro archiepiscopo Ispalen. cui Ecclesia ipsa metropolitico iure subesse dinoscitur, nullum in posterum preiudicium generetur. Forma autem iuramenti quod prestabis hec est: Ego Ioannes etc. Datum Romae apud Sanctum Marcum anno etc. millesimo quingentesimo trigesimo sexto, sexto idus septembris anno secundo.

75

Tuae devotionis

Arm. XLI 4 fol. 100r — die 9 octobris 1536

DE ORDINATIONE EPISCOPI DIOECESIS SANCTAE MARTHAE

Facultas Ioanni Ferdinando de Angulo, novo episcopo electo dioecesis Sanctae Marthae, conceditur, ut a quocumque maluerit Antistite catholico *gratiam et communionem Apostolicae Sedis habente* ordinationem episcopalem accipere possit, assistentibus illi duabus personis ecclesiasticis, cum in partibus Indiarum Occidentalium penuria episcoporum existat.

Paulus III

Dilecto filio Iohanni Ferdinando de Angulo electo Sanctae Marthae.

Dilecte fili salutem etc. Tue devotionis precibus benignum impar-

tientes assensum, illa tibi gratiose concedenda duximus, que ad tue dignitatis augmentum cedere dignoscuntur. Ea propter tibi de cuius persona nuper Ecclesie Sancte Marthe, tunc per obitum bone memorie Alfonsi olim Episcopi Sancte Marthe extra romanam curiam defuncti pastoris solatio destitute apostolica auctoritate providimus preficiendo te illi in Episcopum et Pastorem ut a quocunque malueris Catholico Antistite gratiam et communionem Apostolice Sedis habente, accitis et sibi in hoc assistentibus duobus Abbatibus aut duabus aliis personis in dignitate ecclesiastica constitutis [1], munus consecrationis alias iuxta tenorem litterarum tibi super munere huiusmodi impendendo sub plumbo concessarum suscipere libere et licite valeas, ac eidem Antistiti ut illud tibi ut prefertur impendere licite possit quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis nequaquam obstantibus auctoritate predicta tenore presentium, cum in partibus illis Episcoporum penuria existat, concedimus et pariter indulgemus. Datum Romae etc. die 9 Octobris 1536 Anno secundo.

---

[1] Cfr. supra doc. 74i.

76

Tuae devotionis

Arm. XLI 4 fol. 101r — die 19 decembris 1536

DE ORDINATIONE EPISCOPI DE *NICARAGUA*

Novo episcopo electo Legionensis dioecesis in *Nicaragua*, facultas datur ut a quocumque maluerit Antistite catholico ordinationem episcopalem suscipere possit, duabus personis ecclesiasticis assistentibus, cum in partibus illis penuria episcoporum existat.

Paulus III

Dilecto filio Didaco Alvarez de Osorio [1], electo Legionensi Provincie de Nicaragua nuncupate in Insulis Indiarum consistente.

Dilecte fili salutem etc. Tuae devotionis precibus benignum impartientes assensum, illa tibi gratiose concedenda ducimus, que ad tue commoditatis augmentum cedere dignoscuntur. Ea propter tibi de cuius persona dudum felice recordatione Clemens Papa VII predecessor, nuper Ecclesie Legionensis, in Provincia de Nicaragua nuncupata, in Insulis Indiarum consistente, tunc a primeva eius erectione per eundem predecessorem Nostrum facta vacanti, apostolica auctoritate providit [2] preficiendo te illi in Episcopum et Pastorem, ut a quocunque malueris Catholico Antistite gratiam et communionem Sedis Apostolice habente, accitis et sibi in hoc assistentibus, duobus Abbatibus aut duabus aliis personis in dignitate ecclesiastica constitutis, cum ut asseris in partibus illis nec Episcoporum nec etiam Abbatum copia haberi possit, munus consecrationis alias iuxta tenorem litterarum tibi super munere huiusmodi impendendo sub plumbo concessarum suscipere libere et licite valeas. Ac eidem Antistiti ut illud tibi ut prefertur impendere licite possit quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate predicta tenore presentium concedimus pariter et indulgemus. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die 19 Decembris 1536 Anno tertio.

---

[1] De eius nominatione cfr. supra doc. 50.

[2] Bullae provisionis, superveniente morte Summi Pontificis, expeditae non erant.

77

Illius fulciti

Reg. Lat. 1650 fol. 152r-154r | die 8 ianuarii 1537

ERECTIO ECCLESIAE CUZQUENSIS (CUSCHENSIS, *CUZCO*)

In provincia Perú in qua plures Indi christiani habitant, Summus Pontifex, precibus imperatoris obsecundans, oppidum *Cuzco* in quo ecclesia sub invocatione Sanctae Mariae existit, in civitatem et ecclesiam in cathedralem ecclesiam erigit pro uno episcopo Cuzquensi, qui archiepiscopo Hispalensi iure metropolitico subsit. Redditus mensae episcopalis definiuntur. Ius patronatus imperatori conceditur.

Paulus III

Ad perpetuam rei memoriam. Illius fulciti presidio cuius sunt terre cardines et cui cogitationes hominum preparantur et cuius providentia ordinationem suscipiunt universa, partes officii nobis desuper commissi ad ea libenter interponimus per que singulis in tenebris constitutis, ut ad verum lumen quod est Christus pervenire possint, lucis radii resplendeant. Unde in singulis locis prout illorum necessitas et alie rationabiles cause id exigunt novas episcopales sedes ecclesiasque pro excellentis Sedis Apostolicae preeminentia plantamus, ut per novas plantationes nova populorum adhesio militanti Ecclesie accrescat, religionisque christiane et catholice fidei professio ubique consurgat, dilatetur et floreat et loca etiam humilia illustrentur et eorumdem locorum incole et habitatores novarum sedium et honorabilium presulum assistentia circumfulti auctore Domino felicitatis eterne premia facilius valeant adhipisci. Sane, cum inter ceteras provincias in insulis Indiarum superioribus annis auspiciis carissimi in Christo filii nostri Caroli Romanorum Imperatoris semper Augusti qui etiam Castelle et Legionis et Aragonum Rex existit noviter repertis sit una del Peru nuncupata cuius incole divine legis expertes existunt et in qua plures indii christiani habitent et idem Carolus Imperator et Rex pio affectu desideret in dicta provincia del Peru eius temporali ditione subiecta illius gloriosissimi nominis cultum cuius est orbis terrarum et plenitudo eius et universi qui habitant in eo ampliari ac eius incolas prefatas ad lucem veritatis perducere animarumque salutem propagari ac propterea oppidum del Cusco nuncupatum in eadem provincia consistente in quo una ecclesia sub invocatione Sancte Marie dicata existit in civitatem et diocesim ecclesiam Sancte Marie in cathedralem ecclesiam erigi. Nos habita super hiis cum fratribus nostris deliberatione matura de illorum consilio prefato Carolo Imperatore super hoc nobis humi-

liter suplicante ad omnipotentis Dei laudem et gloriam et eius gloriosissime genitricis virginis Marie totiusque curie celestis honorem in fidei catholice exaltationem oppidum predictum in civitatem qui Cuzco nominem nuncupetur et illius ecclesiam huiusmodi sub eandem invocationem pro uno episcopo Cusconen. nuncupando qui illi presit et illius edificia ampliari et ad formam cathedralis ecclesie redigi procuret et faciat necnon in ea illiusque civitate et diocesi verbum Dei predicet et eorum incolas infideles ad ipsius ortodoxe fidei cultum convertat et conversos in eadem fide instruat et confirmet eisque baptismi gratiam impendat et tam illis sic conversis quam aliis omnibus fidelibus in civitate et diocesi huiusmodi pro tempore degentibus et ad eam declinantibus sacramenta ecclesiastica et alia spiritualia ministret et ministrari faciat et procuret necnon in ecclesia et civitate et diocesi predictis episcopalem iurisdictionem, auctoritatem et potestatem libere exercere valet ac dignitates, canonicatus et prebendas aliaque beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura erigat et instituat ac alia spiritualia conferat et seminet, prout divini cultus augmento ad ipsorum incolarum animarum saluti expedire cognoverit et qui archiepiscopo Ispalen. pro tempore existenti iure metropolitico subsit et ex omnibus inhibi provenientibus preter quam ex auro et argento et aliis metallis gemmis ac lapidibus pretiosis que pro tempore existentibus Castelle et Legionis regibus quoad hec libera esse decernimus decimas et primicias de iure debitas ceteraque episcopalia iura prout alii in Ispania episcopi de iure vel consuetudine exigunt et percipiunt exigere ac percipere libere et licite valeat cum sede ac mensa et aliis insigniis ac iurisdictionibus episcopalibus necnon privilegiis, immunitatibus et gratiis quibus alie cathedrales ecclesie ac illarum presules in Ispania de iure vel consuetudine utuntur, potiuntur et gaudent ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum auctoritate apostolica tenore presentium perpetuo erigimus et instituimus ac eidem ecclesie oppidum del Cuzco predictum sit per nos in civitatem erectum pro civitate et partem provinciae del Peru huiusmodi quam ipse Carolus Imperator et Rex positis limitibus statuerit et statui mandaverit pro diocesi illarumque incolas et habitatores pro clero et populo concedimus et assignamus necnon illius mense episcopali predicte pro eius dote redditus annuus ducentorum ducatorum auri per ipsum Carolum et Regem ex redditibus annuis ad eum in dicta provincia spectantibus assignandos donec fructus ipsius mense ad valorem ducentorum ducatorum similium ascendant annuatim similiter perpetuo applicamus et appropriamus. Et insuper ius patronatus et presentandi infra annum propter loci distantiam personas idoneas ad dictam ecclesiam quoties illius vacatio ea prima vice excepta pro tempore occurrerit, romani

pontifici pro tempore existenti per eum in eiusdem ecclesie episcopum et pastorem ad presentationem huiusmodi preficiendum necnon ad dignitates, canonicatus et prebendas ac beneficia erigenda huiusmodi tam ab eorum primeva erectione postquam erecta fuerit quam ex tunc deinceps pro tempore vacantia episcopo Cuzconen. pro tempore existenti similiter per eum ad presentationem huiusmodi in ipsis dignitatibus, canonicatibus et prebendis ac beneficiis instituendis prefato Carolo et pro tempore existenti Castelle et Legionis Regi de simili consilio auctoritate et tenore supradictis in perpetuum concedimus et assignamus. Nulli ergo etc. nostri decreti erectionis etc. Siquis etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo trigesimo sexto, sexto idus ianuarii anno tertio.

78a

Apostolatus officium

Reg. Lat. 1650 fol. 154v-156r — die 8 ianuarii 1537

PROVISIO ECCLESIAE CUZQUENSIS (CUSCHENSIS, *CUZCO*)

Summus Pontifex Ecclesiae Cuzquensi, quam eodem die in cathedralem Ecclesiam erexit, Vincentium de Valle Viride (Vicente de Valverde) Ordinis Fratrum Praedicatorum, episcopum praeficit. Provisio haec etiam populo et clero civitatis et dioecesis Cuzquensis, necnon archiepiscopo Hispalensi et imperatori communicatur. Ipso electo episcopo absolutio a censuris et poenis ecclesiasticis impertitur, eique facultas conceditur, ut a quocumque maluerit catholico Antistite munus consecrationis suscipere valeat, assistentibus sibi duobus vel tribus episcopis, iuramento fidelitatis consueto ritu praestito.

Paulus III

Dilecto filio Vincentio de Valverde [1] electo Cuzconen. salutem etc. Apostolatus officium meritis licet imparibus nobis ex alto commissum quo ecclesiarum regimini divina dispositione praesidemus utiliter exequi quo adiuvante Domino cupientes soliciti corde reddimur et solertes ut cum de ecclesiarum ipsarum regiminibus agitur committendis tales eis in pastores praeficere studeamus qui populum sue cure creditum sciant non solum doctrina verbi sed etiam exemplo boni operis informare commissasque sibi ecclesias velint ac valeant auctore Domino salubriter regere et feliciter gubernare. Dudum siquidem provisiones ecclesiarum omnium apud Sedem Apostolicam tunc vacantium et in antea vacaturarum ordinationi et dispositioni nostrae reservavimus decernentes ex tunc irritum et inane etc. attentari. Postmodum vero ecclesia Cuzconen. quam nos hodie in provincia del Peru nuncupata in insulis Indiarum consistente ex ecclesia sub invocatione Sancte Marie dicata in olim oppidum del Cuzco nuncupatum ipsius provincie situm in cathedralem ecclesiam pro uno episcopo Cuzconen. nuncupando qui illi preesset ex certis causis de fratrum nostrorum consilio apostolica auctoritate ereximus et instituimus ac cui oppidum predictum et per nos in civitatem que Cuzconen. nuncuparetur tunc erectum pro civitate et certam partem eiusdem provincie pro eius diocesi eorumque incolas et habitatores pro clero et populo concessimus et assignavimus et ad quam ius patronatus et presentandi personam idoneam quoties illius vacatio ea prima vice excepta pro tempore occurrerit carissimo in Christo filio nostro Carolo Romanorum Imperatore semper Augusto qui etiam Castelle et Legionis et Aragonum Rex existit et pro tempore existenti Castelle et Legionis Regi de simili consilio dicta auctoritate reservavimus ab eius primeva erectione huiusmodi apud sedem predictam vacante nos ad provisionem eiusdem ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos ac vice se intromittere potuit sive potest reservatione et decreto obstantibus supradictis, ne ecclesia ipsa longe vacationis exponatur incommodis paternis et sollicitis studiis intendentes post deliberationem quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem demum ad te ordinis fratrum predicatorum professorem in presbiteratus ordine constitutum

[1] Vincentius de Valle Viride (Vicente de Valverde) natus est in oppido de *Oropesa,* Hispania, Ordini Fratrum Praedicatorum nomen dedit, anno 1529 in provinciam de *Perú* profectus est cum aliis membris eiusdem Ordinis, ubi anno 1530 pervenerunt. Mortuus est anno 1541 (cfr. BM II 414 et 458). *Alberto María Torres,* El Padre Valverde. Ensayo biográfico y crítico. Guayaquil 1912.

cui apud nos de litterarum scientia, vite mundicia, honestate morum, spiritualium providentia et temporalium circumspectione aliisque multiplicum virtutum donis fidedigna testimonia perhibentur direximus oculos nostre mentis quibus omnibus debita meditatione pensatis de persona tua nobis et eisdem fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta prefate ecclesie de simili ipsorum fratrum consilio dicta auctoritate providimus teque illi in episcopum preficimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo in illo qui dat gratias et largitur premia confidentes quod dirigente Domino actus tuos praefata ecclesia sub tuo felici regimine regetur utiliter et prospere dirigetur ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Iugum igitur Domini tuis impositum humeris prompta devotione suscipiens curam et administrationem praedictas sic exercere studeas solicite, fideliter et prudenter quod ecclesia ipsa gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam tuque praeter eterne retributionis praemium nostram et dictae sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo trigesimo sexto, sexto idus januarii anno tertio.

78b

Hodie Ecclesiae Cuzconen.

Reg. Lat. 1650 fol. 156rv — die 8 ianuarii 1537

Dilectis filiis populo civitatis et diocesis Cuzconen. salutem etc. Hodie ecclesiae Cuzconen. quam nos etiam hodie in provincia del Peru nuncupata in insulis Indiarum consistente ex ecclesia sub invocatione Sancte Marie dicata in olim oppidum del Cusco nuncupatum dicta provincia situm in cathedralem ecclesiam pro uno episcopo Cuzconen. nuncupando, qui illi preesset ex certis causis de fratrum nostrorum consilio apostolica auctoritate ereximus et instituimus, ac cui oppidum predictum etiam per nos in civitatem que Cuzco nomine nuncuparetur tunc erectum pro civitate et certam partem eiusdem provincie pro eius diocesi illorumque incolas et habitatores pro clero et populo concessimus et assignavimus tunc a primeva eius erectione

vacanti de persona dilecti filii Vincentii electi Cusconen. nobis et fratribus nostris ob suorum exigentiam meritorum accepta de simili consilio auctoritate predicta providimus ipsumque illi in episcopum preficimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Quocirca etc. mandamus quatinus eundem Vincentium electum tamquam patrem et pastorem animarum vestrarum devote suscipientes et debita honorificentia prosequentes eius monitis et mandatis salubribus humiliter intendatis ita quod ipse Vincentius electus in vobis devotionis filiis et vos in eo per consequens patrem benivolum invenisse gaudeatis. Datum ut supra.

78c

Hodie Ecclesiae Cuzconen.

Reg. Lat. 1650 fol. 156v-157r die 8 ianuarii 1537

Dilectis filiis clero civitatis et diocesis Cuzconen. salutem etc. Hodie ecclesie Cuzconen. quam nos hodie in provincia del Peru nuncupata in insulis Indiarum consistente ex ecclesia sub invocatione Sancte Marie dicata in olim oppidum del Cuzco nuncupatum dicte provincie situm etc. ut supra usque continetur. Quocirca etc. mandamus quatinus eundem Vincentium electum tamquam patrem et pastorem animarum vestrarum humiliter intendentes ac exhibentes sibi obedientiam et reverentiam debitas et devotas eius salubria monita et mandata suscipiatis humiliter et efficaciter adimplere curetis, alioquin sententiam quam idem Vincentius electus rite tulerit in rebelles ratam habebimus et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum ut supra.

78d

Ad cumulum tuae cedit salutis

Reg. Lat. 1650 fol. 157rv die 8 ianuarii 1537

Venerabili fratri archiepiscopo Ispalen. salutem etc. Ad cumulum tue cedit salutis et fame si personas ecclesiasticas presertim pontificali dignitate preditas divina propitiationis presidii et favoris gratia prosequaris. Hodie siquidem ecclesie Cuzconen. quam nos hodie in provincia del Peru nuncupata in insulis Indiarum consistente ex ecclesia sub invocatione Sancte Marie dicata in olim oppidum del Cuzco nuncupatum situm etc. ut supra usque continetur. Cum igitur ut idem Vincentius electus in commissa sibi predicte ecclesie cura facilius preficere valeat tuus favor ei fore noscatur plurimum opportunus fraternitatem tuam rogamus et attente ortamur tibi per apostolica scripta mandamus quatinus eundem Vincentium electum et prefatam ecclesiam sibi commissam habens pro nostra et apostolice sedis reverentia propensius commendatos in ampliandis et conservandis iuribus suis sic eos tui benigno favoris presidio prosequaris quod ipse Vincentius electus per tue auxilium gratie se possit in commisso sibi eiusdem ecclesie regimine utilius exercere tuque divinam misericordiam et nostram ac eiusdem sedis benedictionem et gratiam valeas exinde uberius promereri. Datum ut supra.

78e

Gratiae divinae praemium

Reg. Lat. 1650 fol. 157v-158r — die 8 ianuarii 1537

Carissimo in Christo filio Carolo Romanorum Imperatori semper Augusto et carissime in Christo filie Ioanne Castelle et Legionis regine illustri salutem etc. Gratiae divinae premium et humane laudis preconium acquiritur si per seculares principes ecclesiarum prelatis presertim cathedralem ecclesiam regimini presidentes opportuni favoris presidium et honor debitus impendatur. Hodie siquidem Ecclesie Cuzconen. quam nos hodie in provincia del Peru nuncupata in insulis Indiarum etc. ut supra usque continetur. Cum itaque fili carissimi sit virtutis opus Dei ministros benigno favore prosequi ac eos verbis et operibus pro regis eterni gloria venerari serenitatem vestram cum tu

fili Carole etiam Castelle et Legionis et Aragonum rex existas ortamur attente quatinus eundem Vincentium electum et ecclesiam sue cure commissam habens pro nostra et apostolice sedis reverentia propensius commendatos in ampliandis et conservandis iuribus suis sic eos benigno favoris auxilio prosequamini quod ipse Vincentius electus vestri favoris presidio in commisso sibi dicte ecclesie regimine possit, Deo propitio, prosperari ac vobis exinde perennis vite premium et a nobis condigna proveniat actio gratiarum. Datum ut supra.

78f

Apostolicae Sedis consueta clementia

Reg. Lat. 1650 fol. 158r-159r die 8 ianuarii 1537

Dilectio filio Vincentio de Valverde ordinis fratrum praedicatorum professori salutem etc. Apostolicae Sedis consueta clementia ne dispositiones per eam de cathedralibus ecclesiis pro tempore facte valeant quomodolibet impugnari, sed persone ad eas promovende illis puro corde et sincera conscientia presidere possint remedia prout convenit adibet opportuna. Cum itaque nos hodie Ecclesiam Cuzconen. quam nos etiam hodie in provincia del Peru nuncupata in insulis Indiarum consistente ex ecclesia sub invocatione Sancte Marie dicate olim in oppidum del Cuzco nuncupatum dicte provincie situm in cathedralem ecclesiam pro uno episcopo Cuzconen. nuncupando qui illi preesset ex certis causis de fratrum nostrorum consilio apostolica auctoritate ereximus et instituimus ac cui oppidum predictum etiam per nos in civitatem que Cuzconen. nuncuparetur tum erectum pro civitate et certam partem eiusdem provincie pro eius diocesi illorumque incolas et habitatores pro clero et populo concessimus et assignavimus [tunc a] primeva eius erectione huiusmodi ad presens vacanti de persona tua nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de simili consilio dicta auctoritate providere teque illi in episcopum et pastorem preficere intendamus nos ne si forsan aliquibus sententiis, censuris et penis ecclesiasticis ligatus sis provisio et prefectio quomodolibet impugnari possint, te a quibusvis etc. nuntiamus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceteris-

que contrariis quibuscumque. Nulli ergo etc. nostre absolutionis et nuntiationis etc. Siquis etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo trigesimo sexto, sexto idus ianuarii anno tertio.

78g

Cum nos pridem

Reg. Lat. 1650 fol. 159r-160r die 9 ianuarii 1537

Dilecto filio Vincentio electo Cuzconen. salutem etc. Cum nos pridem Ecclesie Cuzconen. per nos in provincia del Peru nuncupata in insulis Indiarum consistente pro uno episcopo Cuzconen. nuncupando qui illi preesset et archiepiscopo Ispalen. pro tempore existenti metropolitico iure subesset erecta tunc a primeva eius erectione huiusmodi vacanti de persona tua nobis et fratribus nostri ob tuorum exigentiam meritorum accepta de eorumdem consilio apostolica auctoritate duxerimus providendum preficiendo te illi in episcopum et pastorem prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur nos ad ea que ad tue commoditatis augmentum cedere valeant favorabiliter annuentes tuis in hac parte supplicationibus inclinati tibi ut a quocumque malueris catholico antistite gratiam et communionem apostolice sedis habente accitis et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus catholicis episcopis gratiam et communionem habentibus munus consecrationis recipere valeas ac eidem antistiti ut recepto prius a te nostro et Romane ecclesiae nomine fidelitatis debite solito iuramento iuxta formam presentibus annotatam munus predictum auctoritate predicta impendere libere tibi possit plenam et liberam earumdem tenore presentium concedimus facultatem. Volumus autem et eadem auctoritate statuimus et decernimus quod si non recepto a te per ipsum antistitem predicto iuramento idem antistes munus ipsum tibi impendere et tu illud suscipere presumpseritis dictus antistes a pontificalis officii exercitio et tam ipse quam tu ab administratione tam spiritualium quam temporalium ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso. Preterea volumus quod formam huiusmodi a te tunc prestiti iuramenti nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo

munitas per proprium nuncium quantocius destinare procures quodque prefato archiepiscopo nullum imposterum preiudicium generetur. Forma autem iuramenti quod prestabis hec est: Ego Vincentius etc. Datum Romae apud Santum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo trigesimo sexto, quinto idus ianuarii anno tertio.

79

Tuae devotionis

Arm. XLI 5 fol. 104r die 29 ianuarii 1537

DE ORDINATIONE EPISCOPI CUZQUENSIS DIOECESIS (CUSCHENSIS, *CUZCO*)

Vincentio de Valle Viride (Valverde), novo electo episcopo dioecesis Cuzquensis, facultas conceditur, ut a quocumque maluerit Antistite catholico ordinationem episcopalem suscipere possit, assistentibus duabus personis ecclesiasticis, cum in Indiis Occidentalibus copia episcoporum commode haberi nequit.

Paulus III

Dilectio filio Vincentio de Valverde electo Cuzconen. in provincia del Peru nuncupato in insulis Indiarum consistente.

Dilecte fili salutem etc. Tuae devotionis precibus benignum impartientes assensum illa tibi gratiose concedenda ducimus que ad tuae commoditatis augmentum cedere dinoscuntur. Ea propter tibi de cuius persona nuper ecclesiae Cuzconensis in Provincia del Peru nuncupata in Insulis Indiarum consistente tunc a primeva eius erectione per nos facta vacanti apostolica auctoritate providimus preficiendo te illi in Episcopum et Pastorem ut a quocumque malueris Catholico Antistite gratiam et communionem Apostolicae Sedis habente accitis et sibi in hoc assistentibus duobus Abbatibus aut duabus aliis perso-

nis in dignitate ecclesiastica constitutis cum in dictis Indiis copia Episcoporum commode haberi non possit munus consecrationis alias iuxta tenorem litterarum tibi super munere huiusmodi impendendo sub plumbo concessarum suscipere libere et licite valeas ac eidem Antistiti ut illud tibi ut prefertur impendere licite possit quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis nequaquam obstantibus auctoritate predicta tenore presentium concedimus et pariter indulgemus. Datum Romae etc. 29 Ianuarii 1537 anno 3°.

80

Dudum Ecclesiae Cuzconen.

Arm. XLI 5 fol. 212r-213r — die 4 februarii 1537

EPISCOPO CUZQUENSI
VENIENDI AD CONCILIUM VENIA DATUR

Vincentius de Valle Viridi (Valverde), episcopus Cuzquensis, a Carolo imperatore praesentatus et a Summo Pontifice nominatus, supplicavit ut cum uno vel duobus fratribus Ordinis sui ad dioecesim suam conferre se possit. Dubitat insuper se visitationem ad limina Apostolorum infra tempus peragere et ad Concilium venire posse. Persuasum habens episcopum nihil dignius facere posse quam curam animarum exercere et infideles ad veram fidem convertere, Summus Pontifex veniendi ad Concilium ei veniam dat eique permittit unum vel duos religiosos secum ducere, cum quibus officium divinum recitare possit.

Paulus III

Venerabili fratri Vincentio Episcopo Cuzconen. in Provincia del Peru in partibus Indiae.

Venerabilis frater salutem etc. Dudum Ecclesie Cuzconen. que in

partibus Indie del Peru sita existit a primeva eius erectione vacanti de persona tua ad supplicationem carissi mi in Christo filii nostri Caroli Romanorum Imperatoris et Hispaniarum ac Indiarum maris Occeani Regis providimus teque illi prefecimus in episcopum et pastorem. Cum autem sicut accepimus pro eo quod tu cum in minoribus esses regularem in ordine Sancti Dominici emisisti professionem cupiens divinum officium diurnum pariter et nocturnum iuxta morem et consuetudinem fratrum dicti ordinis prout hactenus consuevisti dicere et recitare ac quoad vixeris unum vel duos religiosos dicti ordinis tecum habere posse et quia ut ovium tibi commissarum curam exercere possis intendis ad dictam Ecclesiam personaliter te conferre dubitas te Limina Apostolorum Petri et Pauli de Urbe infra tempus episcopis statutis visitare ac ad generale Concilium per nos nuper indictum [1] et de proximo celebrandum venire non posse et propterea nobis humiliter supplicari fecisti ut super his tibi providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos attendentes quod nihil tuo officio dignius facere potes quam quod ovium tibi commissarum curam per teipsum exerceas ac sperantes in Domino quod ex residentia tua in Ecclesia predicta divino cultui nominis Domini nostri Ihesu Christi agnitioni fidelium et infidelium illarum partium in viam veritatis directioni et animarum saluti et consolationi plurimum consuletur et [...] nova gentium illarum partium ad fidem Christi conversione non minus universali ecclesiae ibi residendo et oves tibi commissas docendo utilis eris quod si ad dictum generale Concilium venires huiusmodi supplicationibus inclinati tibi ut quoad vixeris etiam si ad aliam ecclesiam te transferri contingat officium divinum nocturnum pariter et diurnum cum uno vel duobus sociis secularibus vel predicti aut cum suis alterius ordinis regularibus secundum morem et consuetudinem fratrum dicti ordinis extra tamen chorum tue ecclesie dicere et recitare quodque unum vel duos religiosos presbiteros seu non presbiteros dicti ordinis quos ad id elegeris et voluntarios repereris sui superioris licentia desuper petita et obtenta tecum habere illosque quoties tibi videbitur expedire mutare et loco illorum alium seu alios sibi de suorum superiorum licentia assumere ac eandem aut similem quam dicti ordinis superiores in suos subditos et religiosos dicti ordinis habent aut habere possunt te in predictos per te habendos socios et eorum quemlibet in omnibus et per omnia potestatem superioritatem et correctionem habere et in eos exercere pariter de suorum superiorum licentia libere

[1] Concilium convocatum est a Paulo III, die 2 iunii 1536 (bulla *Ad dominici gregis curam*).

et licite possis et valeas, necnon ut ad Concilium predictum venire ac per quinquennium a data presentium computandum limina apostolorum huiusmodi personaliter visitare et ad divinum officium qualiter quam ut prefertur recitandum minime tenearis auctoritate Apostolica tenore presentium concedimus vel indulgemus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ac Ecclesie Cuzconen. et ordinis predicti statutis et consuetudinibus etiam iuramento confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis privilegiis quoque et indultis ac litteris Apostolicis quibus ac quoad recitationem divini officii dumtaxat etiam statutis predictis illorum omnium tenores ac si de verbo ad verbum insererentur presentibus pro expressis habentes hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae IIII februarii 1537, anno 3 [2].

---

[2] In calce additur:
Nihil videtur extraordinarium nisi quod dicitur de Concilio tamen attenta nova conversione qui requirit continuam presentiam episcopi videtur quod magis expediat ut ibi maneat quicquid veniat ad Concilium.

81

Instruttione di Sua Santità

Misc. Arm. II (Politic.) vol. 10 fol. 60rv — die 17 februarii 1537

DE LIBERTATE INDORUM ITER IN EUROPAM FACIENDI

Summus Pontifex conqueritur de lege gubernii lusitani qua prohibetur novis christianis iter in Europam facere. Talis restrictio libertatis conditionem eorum nequiorem reddit quam servorum et Iudaeorum in Aegypto, dicit Summus Pontifex. Simulatio illius legis erat, ne Indi fierent Iudaei. Melius esse, dicit Papa, ut fierent Iudaei propria mala voluntate quam iniquitate christianorum. Violentia numquam bona nec justa est, opportet caritate et pietate uti erga neophytos.

Paulus III

Instruttione di Sua Santità per il signor Nuntio di Portugallo messer Girolamo Capo di Ferro [1] gentilhuomo romano et prothonotario Apostolico etc.

[...] Parendo anco a Sua Santità cosa strana che Sua Maestà non revochi quella legge rinovata contra li nuovi Christiani che non possano salire del Regno a suo piacere, et siano di peggior conditione che infiniti schiavi, che si truovano di là, vuole che sopra tal rivocatione V.S. faccia ogni gagliarda instantia con dire a Sua Maestà che tutto il mondo presume non habbia voluto l'inquisitione per zelo di religione, ma per destruttione di quelli miseri tenendoli così schiavi, oltra che li dà occasione di diventar peggio che Giudei, parendoli di esser ritornati nella captività di Egitto; et quantunque quella ciò faccia sotto pretesto che non vadano a diventar Giudei, minor male è che diventino Giudei per loro male volontà, che per nostra iniquità non potendo a ogni modo Sua Maestà violentarli la volontà, quale Dio li ha fatta libera la quale si piega via forse meglio al bene, se si usasse con esso loro carità, et pietà, et se desistesse dalla violenza, la quale in niun modo può essere né buona, né giusta [...] Romae XVII februarii MCXXXVII.

De mandato sanctissimi domini nostri.

---

[1] Girolamus Capodiferro natus est anno 1502, 1537 Nuntius Apostolicus in Lusitania, 1544 cardinalis; mortuus est Romae die 1 decembris 1559. Enciclopedia Cattolica III 693.

82

Pastorale officium

Arm. XXXVII 15 fol. 145v, 154r — die 29 maii 1537
Arm. XLI 6 fol. 158r
Hernáez I 101-102
Bull. Discalceatorum I 138
BM II 1171; XXIX 8

EXECUTIO PRAEDICTI DECRETI [1] CARDINALI TABORAE ARCHIEPISCOPO TOLETANO COMMITTITUR

Paulus III

Dilecte fili noster salutem. Pastorale officium erga oves nobis celitus creditas, solerti studio exercentes, sicut earum perditione affligimur, ita promotione laetamur et non solum illorum bona opera laudamus, sed ut votivis perfruantur eventibus Apostolicae meditationis curas diffusius interponimus; ad nostrum siquidem pervenit auditum, quod charissimus in Christo filius noster Carolus Romanorum Imperator semper Augustus, qui etiam Castellae et Legionis Rex existit ad reprimendos eos qui cupiditate aestuantes contra humanum genus inhumanum gerunt animum, publico edicto omnibus sibi subiectis prohibuit, ne quisquam occidentales aut meridionales Indos in servitutem redigere, aut eos bonis suis privare praesumat. Nos igitur attendentes Indos ipsos, licet extra gremium Ecclesiae existant non tamen sua libertate aut rerum suarum dominio privatos vel privandos esse cum homines ideoque fidei et salutis capaces sint, non servitute delendos, sed praedicationibus et exemplis ad vitam invitandos fore, ac propterea etiam nos talium impiorum tam nepharios ausus reprimere et ne iniuriis et damni exasperati ad Christi fidem amplectendam duriores efficiantur providere cupientes, circumspectioni tuae de cuius rectitudine, providentia, pietate et experientia in his et aliis specialem in Domino fiduciam obtinemus, per praesentes committimus et mandamus, quatenus per te vel alium seu alios praefatis Indis omnibus in praemissis efficacis defensionis praesidio, assistens, universis et singulis cuiuscumque dignitatis, status, conditionis, gradus et excellentiae existentibus sub excommunicationis latae sententiae poena, si secus fecerint, eo ipso incurrenda a qua non nisi a nobis vel romano pontifice pro tempore existente, praeterquam in mortis articulo constituti et satisfactione praevia absolvi nequeant, districtius inhibeas, ne praefatos Indos quomodolibet in servitutem redigere aut eos bonis suis spoliare, quoquomodo praesumant ac contra non parentes ad declarationem incursus excommunicationis huiusmodi, ac ulteriora procedas et alia

[1] Id est subsequentis documenti *Veritas ipsa* diei secundi iunii. Cfr. infra doc. 84.

in praemissis et circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna statuas, ordines et disponas prout prudentiae, probitati et religioni tuae videbitur expedire; super quibus tibi plenam et liberam facultatem concedimus per praesentes in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romae XXVIIII maii 1537, pontificatus nostri anno 3°.

83

Altitudo Divini Consilii

Hernáez I 65-67 — die 1 iunii 1537
Appendix ad Bullarium Pontificium Sacrae Congregationis de Propaganda Fide I 25-26 (ex parte)
Bull. Praed. VII 137 (ex parte)
BM II 1170

PRINCIPIA QUAEDAM PASTORALIA CURAE ANIMARUM APUD INDOS AD FIDEM CONVERSOS DEFINIUNTUR

Magna cum laetitia Summus Pontifex accepit notitiam conversionis quamplurium Indorum. Non omnia quae in Ecclesia a fidelibus observanda sunt, neophytis Indis imponenda sunt. Circa ritum baptismi dubia orta sunt. Ideoque quattuor regulae in baptismo Indis conferendo Summus Pontifex observandae statuit: ut acqua sanctificetur, ut catechismus et exorcismus fiat singulis baptizandis, sal, saliva, cappella et candela vero ponatur duobus vel tribus tantum, chrisma autem et oleum catechumenorum singulis. Indi qui plures feminas habebant, si non recordantur qualem primam duxerint, illam eligant quam voluerint. Tertius gradus consanguinitatis aut affinitatis pro eis non est impedimentum matrimonii. Definiuntur dies abstinentiae et ieiunii qui autem pro Indis pauciores sunt *propter eorum novam ad Fidem conversionem et ipsius gentis infirmitatem*. Etiam dies festivi definiuntur. Episcopis, propter magnam distantiam Indiarum Occidentalium et Meridionalium a Sede Apostolica, speciales facultates conceduntur.

Paulus III

Paulus Episcopus Servus servorum Dei. Venerabilibus Fratribus universis Episcopis occidentalis et meridionalis Indiae, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Altitudo Divini Consilii, quod humana nequit ratio comprehendere, ex suae immensae bonitatis essentia, aliquid semper ad salutem humani generis pullulans, tempore congruo et solo suo secreto ministerio, quod ipse Deus novit, opportune producit et manifestat: ut cognoscant mortales, ex suis meritis, tamquam ab ipsis, nihil proficere posse; sed eorum salutem et omne donum gratiae ab ipso Summo Deo, et Patre luminum provenire.

Sane cum sicut, non sine grandi et spirituali mentis nostrae laetitia, accepimus, quamplures incolae occidentalis et meridionalis Indiae, licet divinae sint legis expertes, Sancto Spiritu tamen cooperante, illustrati, errores, quos hactenus observarunt, penitus ab eorum mentibus et cordibus abjecerint, ac Fidei Catholicae veritatem et Sanctae Ecclesiae unitatem amplecti, et secundum ritum ejusdem Romane Ecclesie vivere desiderent et proponant; Nos, quibus omnes oves divinitus sunt commissae, cupientes eas, quae extra verum ovile, quod est Christus sunt, ad ipsum ovile, ut fiat ex illis unus Pastor et unum ovile, perducere, ac Sanctissimorum Apostolorum, qui nobis verbo et exemplo pastoralis officii formam tradentes, nascentis Ecclesiae infantiam lacte, provectam vero ejus aetatem solido cibo nutrierunt, vestigiis inhaerendo novellas plantationes ipsius Ecclesiae, quas in dicta occidentali et meridionali India Altissimus plantare dignatus est, sic donec coalescant, ut non omnia, quae per orbem Ecclesia jam firmata custodit, illis custodienda mandemus, sed tamquam parvulis in Christo, aliqua paterno affectu indulgeamus confovere. Ac circa eorum regenerationes, nonnulla, ut etiam accepimus, suborta dubia primitus submovere volentes, matura sub hoc deliberatione praehabita, aucthoritate Apostolica nobis ab ipso Domino Nostro Jesu Christo, per Beatum Petrum, cui, et Successoribus suis Apostolatus ministerii dispensationem commisit, tradita, tenore praesentium decernimus et declaramus: illos, qui Indos ad Fidem Christi venientes, non adhibitis ceremoniis, et solemnitatibus, ab Ecclesia observatis, in nomine tantum Sanctissimae Trinitatis baptizaverunt, non peccasse, cum consideratis tunc causis occurrentibus, sic illis bona ex causa putamus visum fuisse expedire. Et ut hujusmodi novellae plantationes quantae dignitatis sit lavacrum regenerationis, quantumque ab illis lavacris, quibus antea in sua infidelitate utebantur, differat, non ignorent;

statuimus, ut qui in posterum extra urgentem necessitatem sacrum Baptisma ministrabunt, ea observent, quae a dicta Ecclesia observantur, oneratis super tali necessitate conscientiis eorum, extra quam quidem necessitatem, saltem haec quatuor observentur. Primum, Aqua sacris actionibus sanctificetur. Secundum, Catechismus, et Exorcismus fiat singulis. Tertium, Sal, Saliva, Capillum, et Candela ponatur duobus, vel tribus, pro omnibus, utriusque sexus tunc baptizandis. Quartum, Chrisma ponatur in vertice capitis, et Oleum Catechumenorum ponatur super cor viri adulti, puerorum et puellarum; adultis vero mulieribus ponatur in illa parte, quam ratio pudicitiae demonstrabit. Super eorum vero matrimoniis, hoc observandum decernimus, ut qui ante conversionem plures juxta illorum morem habebant uxores, et non recordantur quam primo acceperint, conversi ad fidem unam ex illis accipiant quam voluerint, et cum ea matrimonium contrahant, per verba de praesenti, ut moris est. Qui vero recordantur, quam primo acceperint, aliis dimissis, eam retineant. Ac eis concedimus, ut conjuncti etiam in tertio gradu, tam consanguinitatis, quam affinitatis, non excludantur a matrimoniis contrahendis, donec huic Sanctae Sedi super hoc aliud visum fuerit statuendum. Et circa abstinentiam ab illis suscipiendam, etiam statuimus, quod in Vigilia Nativitatis, et Resurrectionis Domini Nostri Jesu Christi, et omnibus sextis feriis Quadragesimae jejunare teneantur. Caeteros vero jejuniorum dies, eorum beneplacito propter novam ad Fidem eorum conversionem, et ipsius gentis infirmitatem permittimus. Ita quod jejunium repugnans sanitati, vel non bene quadrans officio, vel exercitio alicujus, non censeatur illi ab Ecclesia praeceptum. Eisque etiam concedimus, quod Quadragesimalibus, et aliis prohibitis anni temporibus, lacticiniis, ovis, et carnibus, tunc temporis dumtaxat vesci possint, cum caeteris christianis ob aliquod sanctum opus obeundum, similibus cibis vesci posse a Sede Apostolica pro tempore fuerit concessum. Die autem, in quibus eos volumus a servilibus operibus cessare, declaramus esse omnes dies Dominicos, ac Nativitatis, Circumcisionis, Ephiphaniae, Resurrectionis, et Ascensionis, ac Corporis ejusdem Domini Nostri Jesu Christi, et Pentecostes: necnon Nativitatis, Annunciationis, Purificationis, Assumptionis Gloriosae Dei Genitricis Virginis Mariae, ac ejusdem Beati Petri, et Pauli, ejus Coapostoli. Caeteros vero dies festos, ex causis supradictis, illis indulgemus. Et insuper considerantes maximam ipsius Indiae occidentalis, et meridionalis, a Sede Apostolica distantiam, tam vobis qui in partem Apostolicae sollicitudinis assumpti estis: quam iis, quibus super hoc vices vestras authoritate per Nos vobis super hoc concessa, specialiter duxeritis committendas, omnes noviter conversos praedictos in quibuscumque Sedi Apostoli-

cae reservatis casibus, etiam in Litteris in die Coenae Domini legi consuetis, nihil nobis de illorum absolutionibus reservantes, authoritate Apostolica, injuncta eis poenitentia salutari, in forma Ecclesiae consueta, prout prudentiae vestrae videbitur expedire, absolvendi, plenam et liberam ad dictae Sedis beneplacitum facultatem concedimus. Et postremo, ne isti in Christo parvuli malis exemplis corrumpantur, quod aliquis apostata in illis partibus se conferre non praesumat, sub excommunicationis latae sententiae poena, a qua nisi post suum istinc recessum absolvi nequeat, decernimus; vobis nihilominus injungentes, ut ipsos apostatas, ex vestris dioecesibus, omnino expellatis, et expellere satagatis, ne teneras in fide animas corrumpere, et seducere possint. Et quia difficile foret, praesentes litteras Nostras, ad singula loca ubi opus fuerit, deferre, volumus et eadem authoritate Apostolica decernimus, quod ipsarum literarum transumptis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus Episcopi munitis, eadem fides prorsus in judicio, et extra judicium adhibeatur, sicuti adhiberetur originalibus litteris, si forent exhibitae, vel ostensae. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae 1537, Kalendis Junii, Pontificatus Nostri anno tertio.

84

Veritas ipsa

Arm. XXXVII 15 f. 145 rv — die 2 iunii 1537
Hernáez I 102-103
Bull. Discalceatorum I 138
BM II 1171; XXIX 9

INDOS IN SERVITUTEM REDIGERE PROHIBETUR

Christus missionarios suos ad omnes gentes mittit. *Omnes dixit, absque omni delectu, cum omnes fidei disciplinae capaces existant.* Diabolus modum excogitavit *hactenus inauditum*, quo impediret ne verbum Dei Indis praedica-

retur, commovens *quosdam suos satellites* ut eos in servitutem redigant quia homines non sint sed bruta animalia. Summus Pontifex declarat Indos *veros homines* et fidei christianae capaces esse, immo *ad fidem ipsam promptissime currere* et prohibet eos *libertate ac rerum suarum dominio* privare et in servitutem redigere, etiamsi *extra fidem existant.* Infine Summus Pontifex decernit *Indos et alias gentes* ad fidem convertere.

Paulus III

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis salutem et apostolicam benedictionem. Veritas ipsa [1], quae nec falli, nec fallere potest, cum Praedicatores fidei ad officium praedicationis destinaret, dixisse dignoscitur: euntes, docete omnes gentes, omnes dixit absque omni delectu, cum omnes fidei disciplinae capaces existant quod videns et invidens ipsius generis humani aemulus, qui bonis operibus, ut pereant semper adversatur, modum excogitavit hactenus inauditum, quo impediret, ne verbum Dei gentibus ut salvae fierent, praedicaretur; ac quosdam suos satellites commovit, qui suam cupiditatem adimplere cupientes occidentales et meridionales Indos et alias gentes quae temporibus istis ad notitiam nostram pervenerunt, sub praetextu, quod fidei catholicae expertes existant, uti bruta animalia ad nostra obsequia dirigendos esse, passim asserere praesumant et eos in servitutem redigunt tantis afflictionibus illos urgentes quantis vix bruta animalia illis servientia urgeant. Nos igitur, qui eiusdem Domini nostri vices, licet indigni gerimus in terris et oves gregis sui nobis commissas, quae extra eius ovile sunt, ad ipsum ovile toto nixu exquirimus, attendentes Indos ipsos, ut pote veros homines, non solum christianae fidei capaces existere, sed ut nobis innotuit ad fidem ipsam promptissime currere, ac volentes super his congruis remediis providere, predictos Indos et omnes alias gentes ad notitiam christianorum in posterum deventuras, licet extra fidem christianam existant, sua libertate ac rerum suarum dominio huiusmodi uti et potiri et gaudere libere et licite posse, nec in servitutem redigi debere, ac quidquid

[1] Cfr. BM XXIV 9: haec bulla ab aliis citatur verbis *Sublimis Deus* vel *Excelsus Deus,* cum diversis quoque diebus. — Exemplum huius bullae exstat: Sevilla, Archivo General de Indias, Patronato, legajo 1, ramo 38.

secus fieri contigerit irritum et inane, ipsosque Indos et alias gentes verbi Dei praedicatione et exemplo bonae vitae ad dictam fidem Christi invitandos fore, auctoritate Apostolica per praesentes litteras decernimus et declaramus, non obstantibus praemissis caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae anno 1537, quarto nonas iunii, pontificatus nostri anno 3°.

85

Cum nos nuper

Arm. XLI 9 fol. 47r — die 6 ianuarii 1538

DE ORDINATIONE EPISCOPI ECCLESIAE CARTHAGINENSIS (*CARTAGENA*)

Summus Pontifex electo episcopo Ecclesiae Carthaginensis in Indiis consistentis pro eiusdem supplicatione concedit, ut maximis attentis difficultatibus inibi existentibus munus consecrationis episcopalis a quocumque Antistite catholico libere et licite suscipere possit, cui tamen duae saltem personae in dignitate ecclesiastica constitutae et ab oratore ad hoc electae assistant.

Paulus III

Dilecto filio Hieronimo de Loyasa [1] electo Cartaiani, Provincie de Cartaiane in Indiis consistentis.

---

[1] Hieronymus de Loyasa (Loaysa), OP, die 5 decembris anni 1537 nominatus est episcopus Ecclesiae Carthaginensis. De provisione non exstat documentum. Anno 1541 nominatus est episcopus Civitatis Regum (*Lima*), ab anno 1546 archiepiscopus eiusdem

Dilecte fili salutem etc. Cum nos nuper Ecclesie Cartaian. Provincie de Cartaiane in Indiis consistenti quae de iure patronatus carissimi in Christo filii nostri Caroli Romanorum Imperatoris semper Augusti qui etiam Castelle et Legionis Rex existit ex privilegio Apostolico cui non est hactenus in aliquo derogatum fore dignoscitur certo tunc expresso modo Pastoris solatio destitute de persona tua ordinem fratrum predicatorum expresse professa et quem prefatus Carolus Imperator et Rex nobis per suas litteras presentavit Apostolica auctoritate providerimus preficiendo te illi in Episcopum et Pastorem prout in aliis nostris sub·plumbo expeditis litteris plenius continetur. Et sicut nobis exponi fecisti in partibus illis unus vel plures Antistites a quibus munus consecrationis suscipere valeas non nisi cum maxima difficultate et gravi incommodo haberi nequeant Nobis humiliter supplicari fecisti ut tibi ne propterea muneris huiusmodi susceptio impediatur oportune providere de benignitate Apostolica dignaremur, nos igitur tuis in hac parte supplicationibus inclinati tibi ut quicunque Catholicus Antistes assistentibus ei saltem duobus personis in dignitate ecclesiastica constitutis quas ad hoc duxeris eligendas munus consecrationis huiusmodi tibi alias iuxta formam dictarum litterarum inpendere tuque illud suscipere libere et licite possitis et valeatis prefata Apostolica auctoritate tenore presentium concedimus pariter et indulgemus. Non obstantibus apostolicis ac in provincialibus et Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum VI ianuarii 1538 Anno Quarto.

---

sedis metropolitanae. Mortuus est die 25 octobris 1575. *José Dammert Bellido,* El arzobispo Loayza, primer legislador de la Iglesia en el Perù. In: Revista Teológica Limense 10 (Lima 1976) 113-123; *Manuel Olmedo Jiménez,* Jerónimo de Loaysa, OP, Primer Obispo-Arzobispo de Lima (1543-1575). In: Archivo Dominicano 7 (Salamanca 1986) 205-286, 8 (1987) 77-168, 9 (1988) 93-196; *Egaña* 26-28, 44-45, 269.

86

Cum nos nuper

Arm. XLI 9 fol. 48r die 6 ianuarii 1538

DE ORDINATIONE EPISCOPI ECCLESIAE LEGIONENSIS

Summus Pontifex electo episcopo Legionensi pro sua supplicatione concedit, ut propter difficultates maximas in ea regione existentes munus consecrationis episcopalis licite suscipere valeat a quocumque catholico Antistite, cui quidem duae saltem personae in dignitate ecclesiastica constitutae et ab ipso ad hoc electae assistant.

Paulus III

Dilecto filio Francisco de Mendavia [1] electo Legionen., Provincie de Nicharagua in Indiis consistentis.

Dilecte fili salutem etc. Cum nos nuper Ecclesie Legionen. Provincie de Managua in Indiis consistenti que de iure patronatus carissimi in Christo filii nostri Caroli Romanorum Imperatoris semper Augusti qui etiam Castelle et Legionis Rex existit ex privilegio Apostolico cui non est hactenus in aliquo derogatum fore dignoscitur certo tunc expresso modo Pastoris solatio destitute de persona tua ordinem Sancti Hieronimi expresse professa et quem prefatus Carolus Imperator et Rex nobis per suas litteras presentavit Apostolica auctoritate providerimus preficiendo te illi in Episcopum et Pastorem prout in aliis nostris sub plumbo expeditis litteris plenius continetur. Et sicut nobis exponi fecisti in partibus illis unus vel plures Antistites a quibus

---

[1] Franciscus de Mendavia, Ordinis Sancti Hieronymi; mortuus est iam in fine anni 1540.

munus consecrationis suscipere valeas non nisi cum maxima difficultate et gravi incommodo haberi nequeant nobis humiliter supplicari fecisti ut tibi ne propterea muneris huiusmodi susceptio inpediatur oportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur tuis in hac parte supplicationibus inclinati tibi ut quicunque Catholicus Antistes assistentibus ei saltem duobus personis in dignitate ecclesiastica constitutis quas ad hoc duxeris eligendas munus consecrationis huiusmodi tibi alias iuxta formam dictarum litterarum inpendere tuque illud suscipere libere et licite possitis et valeatis prefata Apostolica auctoritate tenore presentium concedimus pariter et indulgemus. Non obstantibus apostolicis ac in provincialibus et Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum, die sexta Ianuarii 1538, Anno quarto.

87

Romano Pontifici

Reg. Lat 1684 fol. 144v-145v — die 1 maii 1538
Bull. Praed. IV 568-569
BM II 1173

NEOPHYTI IN ORDINEM PRAEDICATORUM ADMITTI NEQUEUNT

Summo Pontifici incumbit apostolica auctoritate roborare quae saluti animarum et propagationi fidei proficiunt. Capitulum provinciale Ordinis Fratrum Praedicatorum in civitate *México* celebratum inter alia statuit neophytos sine licentia provincialis ad susceptionem habitus ecclesiastici et professionis emissionem admitti et *in Vicarium Generalem aut Provincialem vel Definitorem ad Capitulum Generale aut Priorem Monasterii S. Dominici* eligi nequi, ac Summum Pontificem supplicavit ut hanc decisionem confirmaret. Paulus III exoptans quos Capitulo intererant *religiosos viros, verbi Dei evangelizatores puri cordis* esse et *sincerae conscientiae* egisse, statutum Capituli approbat et contraria quaecumque derogat.

Paulus III

Ad perpetuam rei memoriam. Romano Pontifici cui per beatum Petrum Apostolorum Principem dominici gregis cura divina dispositione extitit atributa ex debito pastoralis officii incumbit ad ea per que animarum saluti cum divini nominis gloria et religionis propagatione consuli valeat libenter intendere et ea que propterea ordinata comperit ut firma perpetuo et illibata persistant Apostolico munimi[-n]e roborare prout personarum locorum et temporum qualitate pensata conspicit in Domino salubriter expedire. Sane pro parte dilectorum filiorum ministri provincialis et diffinitorum Ordinis Fratrum Predicatorum provincie Sancti Iacobi in partibus Indiarum Nove Ispanie nobis nuper exhibita petitio continebat quod alias ipsi provide attendentes utriusque sexus fidelibus dicte provincie et civitatis Mexican. noviter ad Christi fidem conversis religiosos viros verbi Dei predicatores ex catolicis parentibus ortos, de quibus nulla sinistra haberi posset suspitio sed ipsi populum sue cure creditum Redem[p]toris nostri saluberimis dogmatibus imbuerent et in viam salvationis dirigerent esse plurimum opportunos habita super hoc in Capitulo generali [1] per eos in dicta civitate celebrato matura deliberatione quod ex tunc deinceps in perpetuum nullus noviter ad fidem conversus in Collegio scolarium Ordinis et provincie predictorum contento seu continendo preter lectorem si eo opus esset aut in monasterio Sancti Dominici Mixican. eiusdem Ordinis morari seu inibi ad habitus susceptionem et profetionis emissionem nisi de provincialis et difinitorum pro tempore Capituli dicti Ordinis consensu admit[t]i seu in vicarium generalem aut provincialem vel diffinitorem ad Capitulum generale aut priorem monasterii Sancti Dominici huiusmodi eligi posset inter alia statuerunt et ordinarunt prout in patentibus litteris desuper confectis quarum tenores ac si de verbo ad verbum insererentur pro sufficienter expressis haberi volumus dicitur plenius contineri. Quare pro parte eorumdem ministri et difinitorum nobis fuit humiliter supplicatum ut premissis pro illorum subsistentia firmiori robur nostre confirmationis adiicere aliasque desuper oportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur qui religiosos viros verbi Dei evangelizatores puri cordis et sincere conscientie Christi populo ministrare paternis affectibus exop-

[1] Id est Capitulo Provinciali, nullum enim Generale Capitulum celebratum fuit in regno Mexicano.

tamus quemlibet ex ministro et difinitoribus predictis a quibusvis excommunicationibus etc. censentes huiusmodi supplicationibus inclinati statutum et ordinationem predicta ac prout illa concernunt alia quecumque in dictis litteris contenta et inde secuta quecunque licita tamen et honesta Apostolica auctoritate tenore presentium perpetuo approbamus et confirmamus omnesque et singulos iuris et facti defectus si qui intervenerint in eisdem suplemus illaque perpetuo firmitatis robur obtinere et inviolabiliter observari sicque per quoscunque iudices et comissarios quavis auctoritate fungentes sublata eis quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate ubique iudicari interpretari atque decidi debere necnon irritum et inane quicquid secus super hiis etc. attentari decernimus ac eisdem ministro et diffinitoribus ut quecumque alia statuta et ordinationes licita et honesta ac sacris canonibus non obvenientia religiosum statum et salubrem directionem Ordinis et collegii ac monasterii huiusmodi concernentia quotiens eis placuerit dicta Apostolica auctoritate condere alterare et mutare et quascumque penas in contravenientes apponere libere et licite valeant auctoritate et tenore predictis de speciali gratia indulgemus. Non obstantibus Apostolicis ac in provincialibus et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus ac monasterii ac provincie et Ordinis predictorum iuramento confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et litteris Apostolicis Ordini predicto ac illius fratribus et ministris etiam generalibus per Sedem Apostolicam etiam cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis ac fortioribus efficacissimis et insolitis clausulis irritantibusque et aliis decretis concessis, confirmatis et iteratis vicibus innovatis quibus omnibus etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis et individua ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quevis alia expressio habenda aut certa exquisita forma ad hoc servanda foret et in eis caveatur expresse quod illis nullatenus derogari possit tenores huiusmodi ac si de verbo ad verbum nichil penitus omisso et forma in illis tradita observata inserti forent presentibus pro expressis et insertis habentes illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat harum serie specialiter et expresse derogamus ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo etc. nostre absolutionis, approbationis, confirmationis, supletionis, decreti, indulti et derogationis etc. Si quis etc. Datum Placentiae anno etc. millesimo quingentesimo trigesimo octavo, kalendis maii, anno quarto.

88

Hodie a nobis

Reg. Lat. 1684 fol. 145v-146r — die 1 maii 1538
Bull. Praed. IV 569
BM II 1174

PRAECEDENS CONSTITUTIO EXECUTIONI MANDATUR

Summus Pontifex episcopo Casertanensi (*Caserta*) Petro Lamberto, qui erat Referendarius Sanctitatis Suae et Corrector Cancellariae et deinde Iudex et Executor Litterarum Apostolicarum aliisque executionem Litterae *Romano Pontifici* committit, qui eas solemniter publicare et ministro ac definitoribus assistere debent, ut plenum effectum attingant et ab omnibus inviolabiliter observentur, *invocato etiam in hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.* Revocantur decreta, praesertim Bonifatii VIII, quibus limites, intra quos quis in iudicium vocari potest, statuuntur.

Paulus III

Venerabili fratri episcopo Casertan. et dilectis filiis Priori monasterii per Priorem gubernari soliti Sancti Augustini Mexican. ac officiali Ispalen. salutem etc. Hodie a nobis emanarunt littere tenoris subsequentis: Paulus episcopus etc. [1] Datum ut supra. Quocirca discretioni vestre per Apostolica scripta mandamus quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios litteras predictas et in eis contenta quecumque ubi et quando expediens fuerit ac quotiens

---

[1] Ut in documento praecedenti ad finem usque.

pro parte eorumdem ministri et diffinitorum desuper fueritis requisiti solemniter publicantes ac eisdem ministro et diffinitoribus in premissis eficacis defensionis presidio assistentes faciatis auctoritate nostra litteras et in eis contenta huiusmodi plenum effectum sortiri ac omnibus inviolabiliter observari illisque ministrum et difinitores prefatos ac omnes et singulos alios quos ille quomodolibet concernunt pacifice gaudere non permittentes quemquam contra illarum tenorem quomodolibet indebite molestari. Contradictores etc. compescendo invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis. Non obstantibus omnibus supradictis necnon felicis recordationis Bonifacii Papae VIII predecessoris nostri qua cavetur ne quis extra suam civitatem vel diocesim nisi in certis exceptis casibus et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis ad iudicium evocetur seu ne iudices vel executores a Sede predicta deputati extra civitatem vel diocesim in quibus deputati fuerint contra quoscumque procedere aut alii vel aliis vices suas comitere presumant et de duabus dietis in Concilio generali edita dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate presentium ad iudicium non trahatur et aliis Apostolicis constitutionibus contrariis quibuscumque aut si aliquibus communiter vel divisim etc. Datum ut supra [2].

---

[2] Die 1 maii 1538.

89

Non indecens

Arm. XLI vol. 10 fol. 246rv — die 19 iunii 1538
BM XXIV 12

SUMMUS PONTIFEX «QUASDAM LITTERAS» ANNULLAT

Carolus imperator Summo Pontifici exponit quasdam litteras in forma brevis a Summo Pontifice editas, extortas fuisse et regimen Indiarum Occi-

dentalium disturbare. Obsecundans eius precibus, Paulus III annullat litteras *Pastorale officium* (29.V.1537) et irrita declarat omnia quae inde iam secuta sunt, etiam censuras.

Paulus III

Non indecens videtur si Romanus Pontifex qui in specula constitutus existit quae aliquando ab eo variis negociis implicito in alicuius preiudicium per circumventionem extorquentur revocet, corrigat ac mutet et alia faciat prout in Domino conspicit salubriter expedire. Sane charissimus in Christo filius Noster Carolus Romanorum Imperator semper Augustus ac Hispaniarum Catholicus Rex nobis nuper exponi fecit quasdam a nobis in forma brevis litteras extortas fuisse per qualibet Indiarum Occidentalium ac Meridionalium insularum prosper et felix status ac regimen interturbatur Maiestatique Sue et eius subditis valde preiudicatur. Quare nobis humiliter supplicavit ut in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur quorum mentis numquam fuit alicui preiudicare attendentes ex ipsius Caroli Imperatoris industria Christianam Religionem non parum in partibus illis auctam fuisse volentesque omnia obstacula tollere per que tam sanctum opus impediri possit ipsius Caroli Imperatoris et Regis in hac parte supplicationibus inclinati litteras predictas quarum tenores continentia et formas ac si presentibus de verbo ad verbum insererentur pro expressis haberi volumus et in eis contenta quecumque auctoritate Apostolica per easdem presentes cassamus, irritamus et annullamus ac pro cassis, irritis et nullis haberi volumus [1]. Decernentes processus quos per quoscumque iudices dictarum litterarum vigore in futurum haberi, agitari et promulgari contigerit etiam si de censuris agatur ac quecumque pro tempore inde secuta nulla et irrita nulliusque roboris vel momenti; sicque per quoscumque iudices et commissarios etiam S.R.E. Cardinales aut Sacri Palatii Apostolici earum [?] auditores sublata eis et eorum cuilibet aliter iudicandi et interpretandi facultate iudicari, sententiari et diffiniri debere ac irri-

[1] Non autem revocat damnationem servitutis Indorum, quod ipse Summus Pontifex explicat in margine documenti: *S.D.N. dixit, quod si diceretur litteras per subreptionem obtentas, ipse facile concederet earum revocationem, in poenam mendacii, sed ubi simpliciter dicitur extortas, et revocantur processus, et condemnationes, et censura et omnia inde secuta, videri sibi, posse hoc levitati imputari.*

tum et inane si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Quodque presentibus litteris manu alicuius publici notarii subscriptis et sigillo alicuius prelati seu persone in dignitate ecclesiastica constitute munitis eas prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur que originalibus adhiberetur si essent exhibite vel ostense. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Datum in domo Sancte Crucis extra muros Nicien. 19 Iunii 1538 Anno quarto.

90a

Apostolatus officium

Reg. Lat. 1691 fol. 343v-344v — die 7 octobris 1538

PROVISIO ECCLESIAE SANCTI DOMINICI ET CONCEPTIONIS

Ob translationem episcopi Sebastiani Ramírez ad Ecclesiam Tudensem (*Tuy*), Ecclesiae Sancti Dominici et Conceptionis *de la Vega* invicem unitae pastoris solatio destitutae sunt. Summus Pontifex Alfonsum de Fonte maiore, clericum Calaguritanum (*Calahorra*), quem Carolus imperator ex privilegio apostolico iuris patronatus ad hoc praesentavit, novum episcopum Ecclesiae Sancti Dominici et Conceptionis constituit. Eandem provisionem simili modo Summus Pontifex capitulo Ecclesiae, clero et populo atque universis vasallis utrarumque civitatum et dioecesis, necnon archiepiscopo Hispalensi (*Sevilla*), qui Ecclesiam Sancti Dominici et Conceptionis suffraganeam suam habet, et Carolo imperatori communicat. Electo episcopo Alfonso vero absolutio a censuris et poenis ecclesiasticis, quibus forsan ligatus est, impertitur, ut litterae apostolicae de provisione suum sortiantur effectum, eique facultas conceditur, ut a quocumque maluerit catholico Antistite munus consecrationis suscipere possit, assistentibus sibi duobus vel tribus episcopis, iuramento consueto ritu praestito.

Paulus III

Dilecto filio Alfonso de Fuen Major [1] electo Sancti Dominici et Conceptionis salutem etc. Apostolatus officium meritis licet impari-

[1] Alphonsus de Fonte maiore (Fuenmayor) die 31 martii 1540 in ecclesia cathedrali Sancti Dominici numus consecrationis suscepit; 1547 archiepiscopus. Mortuus est anno 1554. *Lopetegui-Zubillaga* 476, 479.

Testimonium de consecratione

Guidus Ascanius etc., camerarius. Universis et singulis presentes litteras inspecturis pariter et audituris, salutem etc. Universitati vestre et cuilibet vestrum, de mandato etc., et auctoritate etc., tenore presentium notum facimus et attestamur quod, cum reverendus in Christo pater et dominus dominus Illefonsus de Fumaior, Dei et Apostolice Sedis gratia episcopus Sancti Dominici et Conceptionis, insule Hispaniole, Indiarum maris Oceani, ex forma litterarum apostolicarum sub plumbo, anno Incarnationis Dominice millesimo quingentesimo trigesimo octavo, septimo idus octobris, pontificatus domini nostri domini Pauli, divina providentia papae tertii anno quarto, sub facultate sibi concessa, suscipiendi munus consecrationis, ac forma iuramenti prestandi expeditarum, teneretur formam huiusmodi ab eo tunc prestiti iuramenti ad Sedem Apostolicam de verbo ad verbum per suas patentes litteras eius sigillo munitas, per proprium nuncium quantotius destinare. Hinc fuit et est quod hodie, datum presentium, reverendus dominus Ludovicus de Torres, scriptor et secretarius apostolicus predicti reverendi domini Illefonsi episcopi actualis exhibuit et presentavit, ac divisit in Camera Apostolica litteras patentes manu propria, ac sigillo ipsius episcopi signatas, et per dominum Didacum de Herrera publicum auctoritate apostolica notarium inde rogatum, subscriptas attestativas qualis in civitate Santi Dominici, insule Hispaniole Indiarum, maris Oceani, die dominica pridie nonas aprilis millesimo quingentesimo quatragesimo, idem dominus Illefonsus episcopus ab episcopo Corensi provinciae de Veneguela continentis maioris Oceani, assistentibus aliis catholicis in dignitate ecclesiastica constitutis, iuxta litterarum apostolicarum dicte facultatis in hoc requisitis et servatis servandis iuxta ritum Sancte matris Ecclesie, munus consecrationis recepit et iuramentum iuxta formam in litteris apostolicis annotatam, de verbo ad verbum prestitit que quidem littere apostolice tam sub plumbo, ut prefertur, quam alie in forma brevis super eodem expedite unacum forma dicti universali in eisdem patentibus ad nos transmissis inserte sunt, heaque de mandato et auctoritate similibus eundem episcopum dicte sue obligationi satisfecisse, notum vobis facimus. In quorum fidem presentes litteras in Camera Apostolica etc. Datum et actum Rome in eadem Camera, presentibus ibidem discretis viris dominis Ioanne Petro de Covis domus S.D.N. papae computista, Ioanne Danielis clericis Cremonensi et Leodiensi, ac Simone Palutio Layco Sabinensi diocesi, testibus etc., sub anno Domini 1541, die veneris 29 aprilis, pontificatus S.D.N. Pauli papae tertii anno septimo (Arm. XXVIIII 119 fol. 147 rv).

Testimonium de visitatione ad limina rite peractae

Guidus Ascanius etc., camerarius. Universis et singulis presentes litteras inspecturis pariter et audituris, salutem etc. Universitati vestre et cuilibet vestrum, de mandato etc. et auctoritate etc., tenore presentium notum facimus et attestamur quod, cum reveren-

bus nobis ex alto commissum quo ecclesiarum omnium regimini divina dispositione presidemus utiliter exequi quo adiuvante domino cupientes soliciti corde reddimur et solertes ut cum de Ecclesiarum ipsarum regiminibus agitur comitendis tales eis in pastores preficere studeamus, qui populum sue cure creditum sciant non solum doctrina verbi, sed etiam exemplo boni operis informare comissasque sibi Ecclesias velint et valeant, auctore Domino, in spiritualibus et temporalibus salubriter regere et feliciter gubernare. Sane Sancti Dominici et Conceptionis in insula la Spagnola nuncupata in Indiis existentis Ecclesiis invicem unitis [2] que de iure patronatus carissimi in Christo filii Caroli Romanorum Imperatoris semper Augusti, qui Castelle et Legionis necnon Aragonum regnorum etiam Rex existit ex privilegio apostolico cui non est hactenus in aliquo derogatum fore dinoscuntur ex eo quod nos dudum venerabilem fratrem nostrum Sebastianum [3] Tuden. nuper Sancti Dominici et Conceptionis episcopum a vinculo quo dictis Ecclesiis quibus tunc preherat tenebatur de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes ipsum ad Ecclesiam Tuden. tunc certo modo pastoris solatio destitutam de simili consilio apostolica auctoritate transtulimus preficiendo eum illi in episcopum et pastorem pastoris solatio destitutis nos ad provisionem dictarum Sancti Dominici et Conceptionis Ecclesiarum celerem et fe-

---

dus in Christo pater et dominus Illefonsus de Fumaior, Dei et Apostolice Sedis gratia episcopus Sancti Dominici et Conceptionis, insule Hispaniole, maris Oceani ratione iuramenti tempore susceptionis sue muneris conservationis prestiti teneatur limina beatorum apostolorum et Sedem Apostolicam visitare, dictusque reverendus dominus Illefonsus sit etiam regius consiliarius et eius audientie sive fori regii in dicta insula constitutus preses, propterea que et ex aliis rationabilibus causis impeditus, nec personaliter venire possit. Hinc est quod prefatus reverendus dominus Illefonsus episcopus Sedem Apostolicam sive eadem limina apostolorum Petri et Pauli alme Urbis pro quatuor bienniis proxime futuris, a die eius consecrationis que fuit die dominica pridie nonas aprilis proxime preteriti incipiente, et ut sequitur finiente per reverendum dominum Ludovicum de Torres, scriptorem et secretarium apostolicum, procuratorem suum, prout in mandato publico per dominum Didacum de Herrera, publicum apostolica auctoritate notarium, sub die 28 decembris, feria tertia, anno a nativitate Domini 1541, subscripto et publicato, illoque in Camera Apostolica recognito et dimisso constat. Hodie, die datum presentium, cum honore et reverentia debitis et consuetis, visitavit. Nihil tamen huiusmodi visitationis gratia Camere Apostolice obtulit vel divisit. In quorum fidem etc. Datum et actum Romae ad limina basilice apostolorum ut supra presentibus ibidem discretis viris dominis Ioanne Petro de Covis domus S.D.N. papae computista, Ioanne Danielis clericis Cremonensi et Leodiensi, ac Simone Palutio Layco Sabinensi diocesi testibus etc., sub anno Domini 1541, die veneris 29 aprilis, pontificatus S.D.N. domini Pauli papae tertii anno septimo (ibid. fol. 146rv).

[2] Cfr. supra doc. 36.

[3] Sebastianus Ramírez de Fuenleal. Cfr. supra doc. 36.

licem, ne Ecclesie ipse Sancti Dominici et Conceptionis longe vacationis exponantur incomodis, paternis et solicitis studiis intendentes post deliberationem quam de preficiendo eisdem Sancti Dominici et Conceptionis Ecclesiis personam utilem et etiam fructuosam cum eisdem fratribus nostris habuimus diligentem demum ad te clericum Calaguritan. diocesis ex clericali caractere dumtaxat insignitum ac decretorum licentiatum et Audientie ac Cancellarie Regie presidentem quem prefatus Carolus Imperator et Rex nobis ad hoc per suas litteras presentavit et cui apud nos de vite munditia, honestate morum, spiritualium providentia et temporalium circumspectione, aliisque multiplicum virtutum donis fidedigna testimonia perhibentur dereximus oculos nostre mentis quibus omnibus debita meditatione pensatis de persona tua nobis et eisdem fratribus ob tuorum exigentiam meritorum accepta predictis Sancti Dominici et Conceptionis Ecclesiis de eorundem fratrum consilio apostolica auctoritate providemus teque illis in episcopum prefecimus et pastorem curam et administrationem ipsarum Sancti Dominici et Conceptionis Ecclesiarum tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo in illo qui dat gratias et largitur premia confidentes quod dirigente Domino actus tuos prefate Sancti Dominici et Conceptionis Ecclesie sub tuo felici regimine regentur utiliter et prospere dirigentur ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipient incrementa. Iugum igitur Domini tuis impositum humeris prompta devotione suscipiens curam et administrationem predictas, sic exercere studeas solicite, fideliter et prudenter quod ipse Sancti Dominici et Conceptionis Ecclesie gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeant se commissas, tuque preter eterne retributionis premium nostram ac dicte Sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo trigesimo octavo, nonis octobris anno quarto.

90b

Hodie Sancti Dominici

Reg. Lat. 1691 fol. 344v-345r die 7 octobris 1538

Dilectis filiis capitulo Sancti Dominici et Conceptionis ecclesiarum invicem unitarum salutem etc. Hodie Sancti Dominici et Conceptionis ecclesiis vestris invicem unitis tunc ex eo quod nos dudum venerabilem fratrem nostrum Sebastianum Tuden. olim Sancti Dominici et Conceptionis episcopum a vinculo quo dictis ecclesiis quibus tunc preherat tenebatur de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes ipsumque ad ecclesiam Tuden. tunc certo expresso modo pastoris solatio destitutam de eorundem fratrum consilio apostolica auctoritate transtulimus preficiendo ipsum eidem ecclesie Tuden. in episcopum et pastorem pastoris solatio destitutis de persona dilecti filii Alfonsi de Fuent major electi Sancti Dominici et Conceptionis nobis et dictis fratribus ob suorum exigentiam meritorum accepta de eorumdem fratrum consilio dicta auctoritate providimus ipsumque Alfonsum illis in episcopum prefecimus et pastorem curam et administrationem ipsarum Sancti Dominici et Conceptionis ecclesiarum sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Quocirca etc. mandamus quatinus eidem Alfonso electo tamquam patri et pastori animarum vestrarum humiliter intendentes ac exhibentes sibi obedientiam et reverentiam debitas et devotas illius salubria monita et mandata suscipiatis humiliter et efficaciter adimplere curetis alioquin sententiam ipsam quam idem Alfonsus electus rite tulerit in rebelles ratam habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum ut supra.

90c

Hodie Sancti Dominici

Reg. Lat. 1691 fol. 345rv — die 7 octobris 1538

Dilectis filiis clero civitatum et diocesis Sancti Dominici et Conceptionis salutem etc. Hodie Sancti Dominici et Conceptionis ecclesiis invicem unitis etc. ut supra usque continetur. Quocirca etc. manda-

mus quatenus eidem Alfonso electo tanquam patri et pastori animarum vestrarum humiliter intendentes ac exibentes sibi obedientiam et reverentiam debitas et devotas eius salubria monita et mandata suscipiatis humiliter et efficaciter adimplere curetis alioquin sententiam quam idem Alfonsus electus rite tulerit in rebelles ratam habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum ut supra.

90d

Hodie Sancti Dominici

Reg. Lat. 1691 fol. 345v — die 7 octobris 1538

Dilectis filiis populo civitatum et diocesis Sancti Dominici et Conceptionis salutem etc. Hodie Sancti Dominici et Conceptionis ecclesiis invicem unitis etc. ut supra usque continetur. Quocirca etc. mandantes quatinus eundem Alfonsum electum tanquam patrem et pastorem animarum vestrarum devote suscipientes et debita honorificentia pertractantes eius monitis et mandatis salubribus humiliter intendatis ita quod ipse Alfonsus electus in vobis devotionis filios et vos in eo per consequens patrem benivolum invenisse gaudeatis. Datum ut supra.

90e

Hodie Sancti Dominici

Reg. Lat. 1691 fol. 345v — die 7 octobris 1538

Dilectis filiis universis vassallis Sancti Dominici et Conceptionis ecclesiarum invicem unitarum salutem etc. Hodie Sancti Dominici et Conceptionis ecclesiis invicem unitis etc. ut supra usque continetur. Quocirca etc. mandamus quatenus eundem Alfonsum electum tanquam patrem et pastorem animarum vestrarum devote suscipientes et debita honorificentia prosequentes ei fidelitatem solitam necnon consueta servitia et iura sibi a vobis debita exibere integre studeatis alioquin sententiam sive penam quam idem Alfonsus electus rite tulerit sive statuerit in rebelles ratam habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum ut supra.

90f

Ad cumulum tuae cedit salutis

Reg. Lat. 1691 fol. 346rv — die 7 octobris 1538

Venerabili fratri archiepiscopo Ispalen. salutem etc. Ad cumulum tue cedit salutis si personas ecclesiasticas presertim pontificali dignitate preditas divine propitiationis intuitu opportuni presidii et favoris gratia prosequaris. Hodie siquidem Sancti Dominici et Conceptionis ecclesiis invicem unitis tunc ex eo quod nos dudum venerabilem fratrem nostrum Sebastianum Tuden. olim Sancti Dominici et Conceptionis episcopum a vinculo quo eisdem ecclesiis quibus tunc preherat tenebatur de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes ipsum ad ecclesiam Tuden. certo tunc expresso modo pastoris solatio destitutam de eorumdem fratrum consilio apostolica auctoritate transtulimus preficiendo ipsum eidem ecclesie Tuden. in episcopum et pastorem pastoris solatio destitutis de persona dilecti filii Alfonsi de Fonmajor electi Sancti Dominici et Conceptionis nobis et dictis fratribus ob suorum exigentiam etc. ut supra usque continetur. Cum igitur ut idem Alfonsus electus in commissa sibi predictarum Sancti Dominici et Conceptionis ecclesiarum cura facilius

proficere valeat tuus favor ei fore noscatur plurimum opportunus fraternitatem tuam rogamus et ortamur attente tibi per apostolica scripta mandantes quatinus eundem Alfonsum electum ad prefatas Sancti Dominici et Conceptionis ecclesias sibi comissas suffraganeas tuas habens pro nostra et apostolice sedis gratia propensius commendatos in ampliandis et conservandis iuribus suis sic eos tui favoris presidio prosequaris quod ipse Alfonsus electus tue auxilio gratie se possit in comisso sibi earundem Sancti Dominici et Conceptionis ecclesiarum regimine utilius exercere, tuque divinam misericordiam et nostram ac eiusdem sedis benivolentiam et gratiam exinde uberius promereri. Datum ut supra.

90g

Gratiae divinae praemium

Reg. Lat. 1691 fol. 346v-347r — die 7 octobris 1538

Carissimo in Christo filio Carolo Romanorum Imperatori semper augusto et carissime in Christo filie Iohanne Castelle et Legionis regine illustri salutem etc. Gratie divine premium et umane laudis preconium acquiritur si per seculares principes ecclesiarum prelatis presertim pontificali dignitate preditis opportuni favoris presidium et honor debitus impendatur. Hodie siquidem Sancti Dominici et Conceptionis ecclesiis invicem unitis tunc ex eo quod nos dudum venerabilem fratrem etc. ut supra usque continetur. Cum itaque filii carissimi sit virtutis opus Dei ministros benigno favore prosequi ac eos verbis et operibus pro regis eterni gloria venerari magestatem vestram regiam cum tu fili Carole etiam Castelle et Legionis rex existas rogamus et ortamur atente quatinus eundem Alfonsum electum ac Sancti Dominici et Conceptionis ecclesias predictas sue cura comissas habentes pro nostra et apostolice sedis reverentia propensius commendatos in ampliandis et conservandis iuribus suis sic eos benigno favoris auxilio prosequamini quod idem Alfonsus electus vestre celsitudinis fultus

presidio in comisso sibi ecclesiarum Sancti Dominici et Conceptionis ecclesiarum regimine possit, Deo propitio, prosperari ac vobis exinde a Deo perennis vite premium et a nobis condigna proveniat actio gratiarum. Datum ut supra.

90h

Apostolicae Sedis consueta clementia

Reg. Lat. 1691 fol. 347rv die 7 octobris 1538

Dilecto filio Alfonso de Fuent Major clerico Calagurritan. diocesis licentiato in decretis salutem etc. Apostolice Sedis consueta clementia ne dispositiones per eam de cathedralibus ecclesiis pro tempore facte valeant quomodolibet impugnari sed persone ad eas promovende illis puro corde et sincera conscientia presidere valeant remedia prout convenit adibet opportuna. Cum itaque hodie nos Sancti Dominici et Conceptionis ecclesiis invicem unitis ad praesens certo modo pastoris solatio destitutis de persona tua nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorumdem consilio apostolica auctoritate providere teque illis in episcopum et pastorem preficere intendamus nos ne si forsan aliquibus sententiis, censuris et penis ligatus sis provisio et prefectio predicte possint propterea quomodolibet impugnari providere volentes teque a quibusvis excommunicationis ad hoc dumtaxat ut provisio et prefectio predicte ac singule littere apostolice desuper conficiende suum sortiantur effectum auctoritate predicta tenore presentium absolvimus et absolutum fore censemus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac dictarum ecclesiarum iuramento confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus ceterisque, contrariis quibuscumque. Nulli ergo etc. nostre absolutionis, nuntiationis etc. Siquis etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo trigesimo octavo nonis octobris anno quarto.

90i

Cum nos pridem

Reg. Lat. 1691 fol. 347v-348r die 9 octobris 1538

Dilecto filio Alfonso electo Sancti Dominici et Conceptionis salutem etc. Cum nos pridem Sancti Dominici et Conceptionis ecclesiis invicem unitis tunc certo modo pastoris solatio destitutis de persona tua nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de eorumdem fratrum consilio apostolica auctoritate duxerimus providendum preficiendo te illi in episcopum et pastorem prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur nos ad ea que ad tue commoditatis augmentum cedere valeant favorabiliter annuentes tuis in hac parte supplicationibus inclinati tibi qui clericali caractere dumtaxat insignitus existis, ut a quocumque malueris catholico antistite gratiam et communionem apostolice sedis habenti accitis et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus catholicis episcopis similes gratiam et communionem habentibus munus consecrationis recipere valeas ac eidem antistiti ut recepto prius per eum a te, nostro et Romane Ecclesie nomine fidelitatis debite solito iuramento iuxta formam presentibus annotatam munus predictum auctoritate nostra impendere libere tibi possit plenam et liberam tenore presentium concedimus facultatem. Volumus autem et auctoritate predicta statuimus et decernimus quod si non recepto a te per ipsum antistitem predicto iuramento idem antistes munus ipsum tibi inpendere et tu illud suscipere presumpseritis dictus antistes a pontificalis officii exercitio et tam ipse quam tu ab administratione tam spiritualium quam temporalium ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso preterea volumus quod formam huiusmodi a te tunc prestiti iuramenti nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo munitas per proprium nuntium quantotius destinare procures quodque per hoc venerabili fratri nostro archiepiscopo Ispalen. cui ecclesie ipse metropolitico iure subesse dinoscuntur nullum in posterum preiuditium generetur. Forma autem iuramenti quod prestabis hec est: Ego Alfonsus electus etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo trigesimo octavo, septimo idus octobris anno quarto.

91

In Apostolatus culmine

Bull. Praed. IV 571-572
Hernáez II 438-439
BM II 1175

die 28 octobris 1538

UNIVERSITAS SANCTI DOMINICI IN EIUSDEM NOMINIS CIVITATE ET INSULA ERIGITUR

Summus Pontifex benigne excipit petitionem a superioribus Ordinis Praedicatorum ipsi exhibitam, ut in Civitate a *Sancto Dominico* nuncupata, ubi eorundem fratrum predicatione iam plurimi incolae ad fidem catholicam conversi sunt, et ad quam permulti homines etiam ex insulis vicinis affluere consueverunt et in qua Studium Generale apostolica auctoritate noviter erectum viget, Universitas Studiorum quoque cum omnibus insigniis et privilegiis concedi solitis erigatur et in perpetuum instituatur, ad instar quidem Universitatis oppidi de *Alcalá*, Toletanae dioecesis, *quae per unum Regentem seu Rectorem nuncupandum regi et gubernari debeat.*

Paulus III

Ad perpetuam rei memoriam. In Apostolatus culmine disponente Domino meritis licet imparibus constituti ac gratos Deo et Reipublice christiane fructus qui ex litterarum studio provenire noscuntur intra nostri cordis arcana revolventes ad ea per que singulis fidelibus etiam religiosis sub regulari observantia Altissimo famulantibus eorum prelatis id maxime requirentibus ut studio huiusmodi insistendo laborum suorum honores et premia consequi valeant opportune consulitur libenter intendimus et in his partes Apostolice providentie prout id in Domino conspicimus salubriter expedire favorabiliter impartimur. Sane pro parte dilectorum filiorum magistri provincialis provincie Sanc-

te Crucis nuncupate secundum morem Ordinis fratrum Predicatorum ac prioris et fratrum domus Sancti Dominici civitatis etiam Sancti Dominici dicti Ordinis nobis nuper exhibita petitio continebat quod alias ipsi attendentes quod habitatores insularum maris Oceani in quibus dicta civitas consistit infideles existebant et idola colebant unde cupientes infidelitatem huiusmodi radicitus extirpare ac arbores inibi fructiferas plantare ipsorumque infidelium civitatem predicationibus et vite exemplo illuminare innumerabiles utriusque sexus personas ex eisdem habitatoribus sub lavacro regenerationis ad christiane religionis cultum mediante divina gratia direxerunt ac ad fidem catholicam converti procurarunt et a tempore conversionis huiusmodi citra inibi verbum Dei incessanter predicando uberrimos in agro Domini fructus collegerunt. Et si in dicta civitate que admodum insignis existit et in regione valde remota ac sacrarum litterarum prorsus ignara consistit et ad quam ex circumvicinis insulis hominum multitudo copiosa tam inibi habitandi quam negotiandi causa confluere solet et in qua studium Apostolica auctoritate noviter erectum viget generale pro directione dicti studii quod caret privilegiis et indultis Apostolicis sufficientibus ad promotiones graduum concedi solitorum in Universitatibus studiorum generalium regnorum Hispanie quibus dicte insule subesse noscuntur similis Universitas generalis doctorum magistrorum et scholarium cum sigillo et arca aliisque solitis insigniis, preeminentiis, libertatibus, exemptionibus et immunitatibus adinstar oppidi de Alcala Toletane diocesis et aliarum Universitatum predictarum perpetuo erigeretur et institueretur ex hoc profecto dicta civitas multiplicatis propterea illius habitatoribus peramplius decoraretur ac illius et dictarum insularum incole et habitatores in religione christiana ferventius instruerentur ipsique provincialis ac prior et fratres ad maiora virtutum et caritatis opera impendendum promptius invitarentur eorumque honoribus et commoditatibus quamplurimum consuleretur. Quare pro parte provincialis prioris et fratrum nobis fuit humiliter supplicatum ut in eadem civitate unam similem Universitatem doctorum magistrorum et scholarium ad instar dicte Universitatis de Alcala ut prefertur que per unum regentem seu rectorem nuncupandum regi et gubernari debeat perpetuo erigere et instituere quodque illius pro tempore scholares tam seculares quam Ordinum quorumcumque regulares etiam undequaque venientes inibi in quacumque licita tamen litterarum facultate eorum cursibus peractis aliasque servatis servandis prout moris est in aliis Universitatibus predictis ad Baccalaureatus et licentie ac Doctoratus et Magisterii solitos gradus huiusmodi previo tamen debito examine et assistentibus ibidem quatuor in eadem facultate doctoribus per priorem prefatum ac dicte Universitatis Sancti Dominici re-

gentem pro tempore existentes nominandis seu deputandis et illorum votis iuratis se promoveri facere illorumque solita insignia recipere ac illius doctores et magistri in dicta facultate et illis non existentibus regens dicte Universitatis vel episcopus Sancti Dominici pro tempore existentes eosdem scholares ad dictos gradus promovere illorumque solita insignia sibi impendere necnon quoties opus fuerit lectores illuc conducere sibique lectores assignare et de salariis competentibus dummodo ad hoc facultates suppetant providere ac statuta et ordinationes desuper ad instar Universitatum predictarum concedere [1] illaque mutare, corrigere et reformare aliaque in premissis et circa ea necessaria et opportuna prout eis videbitur facere possint statuere et ordinare aliasque super his opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos provincialem, priorem et fratres prefatos et eorum singulos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum presentium duntaxat consequendum harum serie absolventes et absolutos fore censentes huiusmodi supplicationibus inclinati in eadem civitate unam similem Universitatem doctorum magistrorum et scholarium ad instar dicte Universitatis de Alcala que per unum regentem seu rectorem nuncupandum regi et gubernari debeat Apostolica auctoritate prefata tenore presentium erigimus et instituimus quodque illius scholares tam securales quam Ordinum quorumcunque regulares undecunque venientes inibi in quacunque licita tamen litterarum facultate eorum cursibus peractis aliasque servatis servandis prout moris est in Universitatibus predictis ad Baccalaureatus et Licentie ac Doctoratus et Magisterii gradus huiusmodi previo tamen debito examine et assistentibus ibidem in eadem facultate quatuor doctoribus per priorem ac dicte Universitatis Sancti Dominici regentem prefatos pro tempore nominatis seu deputatis et illorum votis iuratis se promovere facere illorumque solita insigna recipere necnon doctores et illis non existentibus regens vel episcopus Sancti Dominici prefati eosdem scholares ad dictos gradus promovere illorumque solita insignia sibi impendere ac quoties opus fuerit illuc lectores conducere sibique lectiones assignare ac de salariis competentibus dummodo ipsorum Universitatis Sancti Dominici facultates suppetant providere necnon statuta et ordinationes desuper ad instar universitatum predictarum concedere illaque mutare corrigere et reformare aliaque in premissis et

[1] Condere (?).

circa ea necessaria et opportuna prout eis videbitur facere libere et licite possint et valeant auctoritate et tenore predictis statuimus et ordinamus; et insuper quibusvis baccalaureis, licentiatis, doctoribus et magistris in ipsa Universitate Sancti Dominici ad dictos gradus respective pro tempore promotis quod omnibus et singulis privilegiis, indultis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, favoribus et gratiis quibus tam in de Alcala quam Salmanticen. seu alia quacunque dictorum regnorum Universitate iuxta illius ritus et mores ad singulos gradus predictos respective promoti utuntur potiuntur et gaudent seu uti potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum uti, potiri et gaudere similiter libere et licite valeant auctoritate et tenore premissis concedimus et indulgemus. Non obstantibus Apostolicis ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, privilegiis quoque indultis et litteris Apostolicis Universitatibus regnorum huiusmodi et illarum singulis sub quacunque verborum forma etiam motu proprio concessis, confirmatis et innovatis, ac regnorum eorundem pragmaticis sanctionibus et statutis municipalibus etiam confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis: quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quevis alia expressio habenda aut exquisita forma servanda foret et in eis caveatur expresse quod illis nullatenus derogari possit illorum omnium tenores ac si de verbo ad verbum insererentur presentibus pro sufficienter expressis ac modos et formas ad id servandos pro individuo servatis habentes illis alias in suo robore permansuris hac vice duntaxat specialiter et expresse derogamus ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre absolutionis, erectionis, institutionis, statuti, ordinationis, concessionis, indulti, derogationis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Romae apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominice Millesimo Quingentesimo Trigesimo Octavo, Quinto Kalendas novembris, Pontificatus nostri Anno Quarto [2].

---

[2] Cfr. *Sor Águeda María Rodríguez Crux, OP,* La Bula «In Apostolatus Culmen [sic]» Erectora de la Universidad de Santo Domingo, Primada de América: su autenticidad y legitimidad. In: Revista de Indias XXIII (Madrid 1963) N. 91/92 p. 13-28.

92

Tuae devotionis

Arm. XLI 11 fol. 359r die 1 novembris 1538

DE ORDINATIONE EPISCOPI ECCLESIAE SANCTI DOMINICI ET CONCEPTIONIS

Copia deficiente episcoporum in insula vulgariter *La Spagnola* nuncupata, Summus Pontifex benigne annuit precibus ipsi ab episcopo electo Sancti Dominici et Conceptionis exhibitis eique concedit, ut a quocumque catholico Antistite munus consecrationis aliaque cum ea munera connexa licite suscipere valeat, *accitis et sibi in hoc assistentibus duobus Abbatibus, aut duabus aliis personis in dignitate ecclesiastica constitutis.*

Paulus III

Dilecto filio Alfonso de Fuent Mayor [1] electo Sancti Dominici et Conceptionis.

Dilecte fili salutem etc. Tuae devotionis precibus benignum impartientes assensum illa tibi gratiose concedenda ducimus que ad tue commoditatis augmentum cedere dignoscuntur ea propter tibi de cuius persona nuper Ecclesiis invicem perpetuo unitis Sancti Dominici et Conceptionis in Insula vulgariter nuncupata «La Spagnola» in Indiis consistenti tunc certo expresso modo vacantibus Apostolica auctoritate providimus preficiendo te illis in Episcopum et Pastorem cum in illis partibus copia Episcoporum ut accepimus commode haberi non possit ut a quocumque malueris Catholico Antistite gratiam et communionem sedis Apostolice habente accitis et sibi in hoc assistentibus duobus Abbatibus aut duabus aliis personis in dignitate ecclesiastica constitutis munus consecrationis alias iuxta tenorem litterarum

tibi super munere huiusmodi impendendo sub plumbo concessarum suscipere libere et licite valeas ac eidem Antistiti ut illud tibi ut prefertur impendere licite possit. Quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis nequaquam obstantibus auctoritate predicta tenore presentium concedimus pariter et indulgemus. Datum Romae die primo Novembris 1538 Anno quarto.

[1] De Alphonso de Fonte maiore (Fuenmayor) cfr. supra doc. 90.

93

Inter multiplices curas

Reg. Lat. 1691 fol. 228r-229v die 19 martii 1539

ERECTIO ECCLESIAE CATHEDRALIS CIVITATIS REGALIS (*CHIAPAS*)

Inter provincias noviter repertas in partibus Indiarum Occidentalium est *Chiappa,* cuius incolae divinae legis expertes existunt. Carolus imperator incolas ad lucem veritatis perducere cupiens, desiderat, ut Civitas Regalis in eadem provincia in Ecclesiam Cathedralem erigatur. Precibus eius obsecundans, Summus Pontifex Ecclesiam Cathedralem erigit sub invocatione sancti Christophori pro uno episcopo qui verbum Dei praedicet et infideles ad orthodoxae fidei cultum convertat et beneficia ecclesiastica instituat ac archiepiscopo Hispalensi (*Sevilla*) iure metropolitico subsit. Episcopo insignia, iura, privilegia et gratiae conceduntur, quibus episcopi in Hispania gaudent. Imperatori circumscriptio dioecesis committitur et ius patronatus et praesentandi personas idoneas ei conceditur.

Paulus III

Ad perpetuam rei memoriam. Inter multiplices curas quibus Ro-

manus Pontifex Christi Vicarius ac beati Petri successor in eminenti specula militantis ecclesie divina dispositione constitutus ex iniuncto sibi pastoralis offitii onere iugiter distrahitur ad illa libenter aciem sue considerationis extendit per que gloriosisimi Christi nomen ubique terrarum collaudetur et continue exaltetur ac singuli mortales in tenebris constituti prout illorum necessitas exigit ac catholicorum regum et principum devotio exposcit ad veram lucem que est Christus sue provisionis auxilio ac venerabilium presulum doctrina et auctoritate valeant pervenire. Sane cum inter ceteras provincias in insulis Indiarum auspiciis charissimi in Christo filii nostri Caroli Romanorum Imperatoris semper Augusti, qui etiam Castelle et Legionis Rex existit, noviter repertis sit una Chiappa nuncupata cuius incole divine legis expertes existunt ac idem Carolus Imperator et Rex pio affectu desideret in dicta provincia eius temporali ditioni subiecta illius gloriosissimi nominis cultum cuius est orbis terrarum et plenitudo eius ac universi qui habitant in eo ampliari et eius incolas prefatos ad lucem veritatis perducere animarumque salutem propagari ac propterea opidum Civitatem Regalem nuncupatum in eadem provincia situm in civitatem, et in ea cathedralem ecclesiam erigi nos habita super hiis cum fratribus nostris deliberatione matura de illorum consilio prefato Carolo Imperatore super hoc nobis humiliter suplicante ad omnipotentis Dei laudem et gloriam ac eius gloriosissime genitricis virginis Marie totiusque curie celestis honorem et catholice fidei exaltationem opidum predictum in civitatem que Civitas Regalis nuncupetur et in ea cathedralem ecclesiam sub invocatione Sancti Cristophori pro uno episcopo qui illi presit ac ecclesiam ipsam construi facere procuret et in illa eiusque civitate et diocesi verbum Dei predicet ac earum incolas infideles ad orthodoxe fidei cultum convertat et conversos in eadem fide instruat et confirmet eisque baptismi gratiam impendat, et tam illis sic conversis quam aliis omnibus fidelibus in civitate et diocesi huiusmodi pro tempore degentibus et ad eam declinantibus sacramenta ecclesiastica et alia spiritualia ministret et ministrari faciat necnon in ecclesia ac civitate et diocesi predictis episcopalem iurisdictionem auctoritatem et potestatem libere exercere valeat ac dignitates, canonicatus et prebendas aliaque beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura erigat et instituat et alia episcopalia conferat et seminet prout divini cultus augmento et ipsorum incolarum animarum saluti expedire cognoverit et qui archiepiscopo Ispalen. pro tempore existenti iure metropolitico subsit ac ex omnibus inhibi pro tempore provenientibus preter quam ex auro et argento et aliis metallis, gemmis et lapidibus pretiosis que pro tempore existentibus Castelle et Legionis regibus quo ad hoc libera esse decernimus decimas et primicias de iure debi-

tas ceteraque episcopalia iura prout alii in Hispania episcopi de iure vel consuetudine exigunt et percipiunt exigere et percipere libere et licite valeat cum sede et mensa ac aliis insigniis et iurisdictionibus episcopalibus necnon privilegiis, immunitatibus et gratiis quibus alie cathedrales ecclesie et illarum presules in Hispania de iure vel consuetudine utuntur, potiuntur et gaudent ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum Apostolica auctoritate tenore presentium perpetuo erigimus et instituimus ac eidem ecclesie oppidum per nos in civitatem erectum pro civitate necnon partem provincie Chiappe nuncupate huiusmodi quam idem Carolus Imperator et Rex positis limitibus statuerit seu statui mandaverit pro diocesi illorumque incolas et habitatores pro clero et populo concedimus et assignamus ac illius mense episcopali predicte pro eius dote redditus annuos ducentorum ducatorum auri per ipsum Carolum Imperatorem et Regem ex redditibus annuis ad eum in dicta provincia spectantibus assignandos donec fructus ipsius mense ad valorem annuum ducentorum ducatorum similium ascendant aplicamus et apropriamus. Et insuper ius patronatus et presentandi infra annum propter loci distantiam personas idoneas ad dictam ecclesiam quotiens illius vacatio hac prima vice excepta pro tempore occurerit Romano pontifici pro tempore existenti per eum in eiusdem ecclesie episcopum et pastorem ad presentationem huiusmodi preficiendam necnon ad dignitates, canonicatus et prebendas et beneficia erigenda predicta tam a primeva eorum erectione postquam erecta fuerint quam ex tunc deinceps pro tempore vacatura episcopo Civitatis Regalis huiusmodi pro tempore existenti similiter per eum ad presentationem huiusmodi in ipsis dignitatibus, canonicatibus et prebendis ac beneficiis instituendis prefato Carolo et pro tempore existenti Castelle et Legionis Regi de simili consilio auctoritate et tenore predictis in perpetuum concedimus et assignamus. Nulli ergo etc. nostre erectionis, institutionis etc. Si quis etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo trigesimo octavo, quarto decimo kalendas aprilis anno quinto.

94a

Apostolatus officium

Reg. Lat. 1691 fol. 230r-231r — die 19 martii 1539

PROVISIO ECCLESIAE CIVITATIS REGALIS
(*CHIAPAS, SAN CRISTÓBAL DE LAS CASAS*)

Summus Pontifex Ecclesiae Civitatis Regalis in provincia *Chiappa* sub invocatione sancti Christophori eodem die erectae Ioannem de Ortega Fratrem Ordinis sancti Hieronymi episcopum et pastorem praeficit, curam et administrationem ipsius Ecclesiae ei in spiritualibus et temporalibus committens. Eandem provisionem Summus Pontifex simili modo populo civitatis et dioecesis, archiepiscopo Hispalensi (*Sevilla*) cui Ecclesia Civitatis Regalis iure metropolitico subest, et Carolo imperatori ac Ioannae reginae communicat. Episcopo electo vero facultas conceditur, ut a quocumque maluerit catholico Antistite munus consecrationis suscipere possit, assistentibus sibi duobus vel tribus episcopis, iuramento consueto ritu praestito. Tandem absolutio a censuris et poenis ecclesiasticis ei impertitur, ut litterae apostolicae de provisione suum effectum sortiantur.

Paulus III

Dilecto filio Iohanni [1] electo Civitatis Regalis [2] salutem etc. Apostolatus officium meritis licet imparibus nobis ex alto commissum quo ecclesiarum omnium regimini divina dispositione presidemus utiliter exequi quo adiuvante Domino cupientes soliciti corde reddimur et solertes ut cum de ecclesiarum ipsarum regiminibus agitur committendis tales eis in pastores preficere studeamus qui populum sue cure creditum sciant non solum doctrina verbi sed etiam exemplo boni operis informare commissasque sibi ecclesias velint et valeant auctore Domino salubriter regere et feliciter gubernare. Dudum siquidem provisiones omnium ecclesiarum apud sedem apostolicam tunc vacantium et in antea vacaturarum ordinationi et dispositioni nostre reservavimus decernentes extunc irritum et inane etc. attentari. Postmodum vero ecclesia Civitatis Regalis quam nos hodie in provincia Chiappa nuncupata in insulis Indiarum noviter repertis consistente sub invocatione Sancti Christofori ex certis causis de fratrum nostrorum consilio apostolica auctoritate ereximus et instituimus ac in oppidum Civita-

---

[1] Ioannes de Ortega, Ordinis Sancti Hieronymi; antequam munus consecrationis suscepit, munere se abdicavit. *Lopetegui-Zubillaga* 359.

[2] Civitas Regalis i.e. *Chiapas.* Nomen hodiernum dioecesis est *San Cristóbal de las Casas.*

tem Regalem nuncupatum ipsius provincie etiam per nos in civitatem tunc erectum pro civitate et certam partem eiusdem provincie pro eius diocesi eorumque incolas et habitatores pro clero et populo concessimus et assignamus et ad quam ius patronatus et presentandi personam idoneam quotiens illius vacatio ea prima vice excepta pro tempore occureret carissimo in Christo filio nostro Carolo Romanorum Imperatori semper Augusto qui etiam Castelle et Legionis Rex existit et pro tempore existenti Castelle et Legionis regi de simili consilio dicta auctoritate reservavimus per alias nostras litteras prout in illis plenius continetur ab eius primeva erectione huiusmodi apud sedem predictam vacante nos ad provisionem eiusdem ecclesie celerem et felicem de qua nullus preter nos hac vice se intromitere potuit sive potest reservatione et decreto obsistentibus supradictis ne ecclesia ipsa longe vacationis exponatur incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes post deliberationem quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem ac etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem demum ad te fratrem ordinis sancti Hieronimi ordinem ipsum expresse professum ex oppido de Pedraza Segobien. diocesis oriundum ac in presbiteratus ordine constitutum cui apud nos de vite mundicia, honestate morum, spiritualium providentia et temporalium circumspectione aliisque multiplicum virtutum donis fidedigna testimonia perhibentur direximus oculos nostre mentis quibus omnibus debita meditatione pensatis de persona tua nobis et eisdem fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta prefate ecclesie de simili consilio dicta auctoritate providemus teque illi in episcopum preficimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo in illo qui dat gratias et largitur premia confidentes quod dirigente Domino actus tuos prefata ecclesia sub tuo felici regimine regetur utiliter et prospere dirigetur ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Iugum igitur Domini tuis impositum humeris prompta devotione suscipiens curam et administrationem predictas sic exercere studeas solicite fideliter et prudenter quod ecclesia ipsa gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam tuque preter eterne retributionis premium nostram et dicte sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo trigesimo octavo, quarto decimo kalendas aprilis anno quinto.

94b

Hodie Ecclesiae Civitatis Regalis

Reg. Lat. 1691 fol. 231rv die 19 martii 1539

Dilectis filiis populo civitatis et diocesis Civitatis Regalis salutem etc. Hodie ecclesie Civitatis Regalis quam nos etiam hodie in provincia Chiappa nuncupata in insulis Indiarum noviter repertis consistente ex certis causis de fratrum nostrorum consilio apostolica auctoritate ereximus et instituimus et cui opidum Civitatem Regalem nuncupatum etiam per nos in civitatem tunc erectum pro civitate et certam partem eiusdem provincie pro eius diocesi illorumque incolas et habitatores pro clero et populo concessimus et assignavimus de persona dilecti filii Iohannis electi Civitatis Regalis nobis et eisdem fratribus ob suorum exigentiam meritorum accepta de simili consilio providimus ipsumque Iohannem in episcopum prefecimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Quocirca universitatem vestram monemus et hortamur attente vobis per apostolica scripta mandantes quatinus eundem Iohannem electum tanquam patrem et pastorem animarum vestrarum devote suscipientes et debita honorificentia prosequentes eius monitis et mandatis salubribus humiliter intendatis, ita quod ipse Iohannes electus in vobis devotionis filios et vos in eo per consequens patrem benivolum invenisse gaudeatis. Datum ut supra.

94c

Ad cumulum tuae cedit salutis

Reg. Lat. 1691 fol. 231v-232r die 19 martii 1539

Venerabili fratri archiepiscopo Ispalen. salutem etc. Ad cumulum tue cedit salutis et fame si personas ecclesiasticas presertim pontificali dignitate preditas divine propitiationis intuitu opportuni presidii et favoris gratia prosequaris. Hodie siquidem ecclesie Civitatis Regalis quam nos etiam hodie in provincia Chiappa nuncupata in insulis Indiarum noviter repertis consistente pro uno episcopo qui archiepiscopo Ispalen. pro tempore existenti metropolitico iure subesse ex certis causis de fratrum nostrorum consilio ereximus et instituimus tunc a primeva eius erectione huiusmodi vacanti de persona dilecti filii Iohannis electi Civitatis Regalis nobis et eisdem fratribus nostris ob suorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorumdem consilio apostolica auctoritate providimus ipsumque illi in episcopum prefecimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum igitur ut idem Iohannes electus in comissa sibi predicte ecclesie cura facilius proficere valeat tuus favor ei fore noscatur plurimum opportunus fraternitatem tuam rogamus et ortamur attente tibi per apostolica scripta mandantes quatinus eundem Iohannem electum et prefatam ecclesiam sibi commissam sufraganeam tuam habens pro nostra et apostolice sedis reverentia propensius commendatos in ampliandis et conservandis iuribus suis sic eos tui favoris presidio prosequaris quod idem Iohannes electus per tue auxilium gratie se possit in comisso sibi eiusdem ecclesie regimine utilius exercere, tuque divinam misericordiam et nostram ac eiusdem sedis benedictionem et gratiam exinde uberius valeas promereri. Datum ut supra.

94d

Gratiae divinae praemium

Reg. Lat. 1691 fol. 232v-233r — die 19 martii 1539

Carissimo in Christo filio Carolo Romanorum Imperatori semper augusto et carissime in Christo filie Iohanne Castelle et Legionis regi-

ne illustri salutem etc. Gratiae divine premium et umane laudis preconium acquiritur si per seculares principes ecclesiarum prelatis presertim cathedralium ecclesiarum regimini preditis opportuni favoris presidium et honor debitus impendatur. Hodie siquidem ecclesie Civitatis Regalis quam nos etiam hodie in provincia Chiappa nuncupata in insulis Indiarum consistente pro uno episcopo qui illi preessé ex certis causis de fratrum nostrorum consilio apostolica auctoritate ereximus et instituimus ac cui oppidum Civitatis Regalis etiam per nos in civitatem tunc erectum pro civitate et certam partem eiusdem provincie pro eius diocesi eorumque incolas et abitatores pro clero et populo concessimus et assignavimus tunc a primeva eius erectione vacanti de persona dilecti filii Iohannis electi Civitatis Regalis nobis et eisdem fratribus ob suorum exigentiam meritorum accepta de simili consilio auctoritate predicta providimus ipsumque illi in episcopum prefecimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum itaque filii carissimi sit virtutis opus Dei ministros benigno favore prosequi ac eos verbis et opperibus pro regis eterni gloria venerari serenitatem vestram cum tu fili Carole etiam Castelle et Legionis rex existas rogamus et ortamur attente quatinus eundem Iohannem electum et ecclesiam predictam sue cure commissam habentes pro nostra et apostolice sedis reverentia propensius commendatos in ampliandis et conservandis iuribus suis sic eos benigni favoris auxilio prosequamini quod ipse Iohannes electus vestri favoris fultus presidio in commisso sibi dicte ecclesie regimine possit, Deo propitio, prosperari ac vobis exinde perennis vite premium et a nobis condigna proveniat actio gratiarum. Datum ut supra.

94e

Apostolicae Sedis consueta clementia

Reg. Lat. 1691 fol. 234r — die 19 martii 1539

Dilecto filio Iohanni de Ortega fratri ordinis Sancti Hieronimi salutem etc. Apostolice Sedis consueta clementia ne dispositiones per eam de cathedralibus ecclesiis pro tempore facte valeant quomodolibet impugnari sed persone ad eas promovende illis puro corde et sincera conscientia presidere possint remedia prout convenit adibet opportuna. Cum itaque nos hodie ecclesie Civitatis Regalis quam etiam hodie in provincia Chiappa nuncupata in insulis Indiarum noviter repertis consistente ex certis causis de fratrum nostrorum consilio apostolica auctoritate ereximus et instituimus a primeva eius erectione huiusmodi ad presens vacanti de persona tua nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de simili consilio dicta auctoritate providere teque illi in episcopum et pastorem preficere intendamus nos ne si forsan aliquibus sententiis, censuris et penis ecclesiasticis ligatus sis provisio et prefectio predicte possint propterea quomodolibet impugnari te a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis a iure vel ab homine quavis ocasione vel causa latis si quibus quomodolibet innodatus existis ad hoc dumtaxat ut provisio et prefectio predicte ac singule littere desuper conficiende suum sortiantur effectum auctoritate predicta tenore presentium absolvimus et absolutum fore nuntiamus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo etc. nostre absolutionis et nuntiationis etc. Siquis etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo trigesimo octavo, quarto decimo kalendas aprilis anno quinto.

94f

Cum nos pridem

Reg. Lat. 1691 fol. 233rv — die 21 martii 1539

Dilecto filio Iohanni electo Civitatis Regalis salutem etc. Cum nos pridem ecclesie Civitatis Regalis in insulis Indiarum consistente

pro uno episcopo qui illi preesset et archiepiscopo Ispalen. pro tempore existente metropolitico iure subesset erecta tunc ab eius primeva erectione huiusmodi vacanti de persona tua nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorumdem consilio duxerimus providendum preficiendo te illi in episcopum et pastorem prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur nos ad ea que ad tue commoditatis augmentum cedere valeant favorabiliter annuentes tuis in hac parte supplicationibus inclinati tibi ut a quocumque malueris catholico antistite gratiam et communionem apostolice sedis habente accitis et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus catholicis episcopis similes gratiam et communionem habentibus munus consecrationis recipere valeas ac eidem antistiti ut recepto prius a te nostro et Romane Ecclesie nomine fidelitatis debite solito iuramento iuxta formam presentibus annotatam munus predictum auctoritate nostra impendere libere tibi possit plenam et liberam earumdem tenore presentium concedimus facultatem. Volumus autem et auctoritate predicta statuimus et decernimus quod si non recepto a te per ipsum antistitem predicto iuramento idem antistes munus ipsum tibi impendere et tu illud suscipere presumseritis dictus antistes a pontificalis officii exercitio et tam ipse quam tu ab administratione tam spiritualium quam temporalium ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso. Preterea volumus quod forma iuramenti huiusmodi a te tunc prestiti nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo munitas per proprium nuntium quantocius destinare procures quodque prefato archiepiscopo nullum in posterum preiuditium generetur. Forma autem iuramenti quod prestabis hec est: Ego Iohannes electus Civitatis Regalis etc. evangelia. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo trigesimo octavo, duodecimo Kalendas aprilis anno quinto.

95

Tuae devotionis

Arm. XLI 13 fol. 517r die 25 iunii 1539

DE ORDINATIONE EPISCOPI ECCLESIAE CIVITATIS REGALIS (*CHIAPAS, SAN CRISTÓBAL DE LAS CASAS*)

Ob difficultates in partibus Indiarum existentes Summus Pontifex oratori concedit ut munus consecrationis episcopalis a quocumque maluerit catholico Antistite suscipere libere et licite valeat, ipsi quidem in hoc assistentibus duobus abbatibus, aut duabus aliis personis in dignitate ecclesiastica constitutis.

Paulus III

Dilecto filio Iohanni de Ortega [1] electo civitatis Regalis.

Dilecte fili salutem etc. Tuae devotionis precibus benignum impartientes assensum illa tibi gratiose concedenda ducimus que ad tue commoditatis augmentum cedere dinoscuntur. Ea propter tibi de cuius persona nuper ecclesie Sancti Christophori civitatis Regalis in partibus Indiarum existenti, tunc a primeva eius erectione per nos facta vacanti Apostolica auctoritate providimus preficiendo te illi in episcopum et pastorem ut a quocumque malueris catholico Antistite gratiam et communionem Apostolice Sedis habente accitis et sibi in hoc assistentibus duobus abbatibus aut duabus aliis personis in dignitate ecclesiastica constitutis munus consecrationis alias iuxta tenorem litterarum tibi super munere huiusmodi impendendo sub plumbo concessarum suscipere libere et licite valeas ac eidem Antistiti ut illud tibi ut prefertur impendere licite possit quibusvis constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis nequaquam obstantibus cum in partibus illis episcoporum tam magna penuria existat ut requisitus ad hoc ipsorum numerus facile haberi non possit auctoritate predicta tenore presentium concedimus et pariter indulgemus. Datum Romae apud Sanctum Marcum 25 Iunii 1539, Anno 5°.

---

[1] Cfr. doc. 94f.

96

Romani Pontificis

Arm. XLI 14 fol. 64r-73r die 8 iulii 1539
Bull. Patr. I 170-174
BM XV 1032

CONFIRMATIO PRIMATIALIS DIGNITATIS
ECCLESIAE FUNCHALENSIS

Die 12 iunii anni 1514 dioecesis *Funchal* erecta fuerat, cui etiam Brasilia adscripta manebat. Clemens VII die 31 ianuarii anni 1534 Ecclesiam Funchalensem in metropolitanam Ecclesiam erexit et iterum *universas terras de Brasil... cum omnibus terrarum de Brasil castris, oppidis, villis, locis et districtibus, necnon clero, populo, ecclesiis, monasteriis et aliis piis locis ac beneficiis ecclesiasticis...* assignavit. Paulus III tandem primatialem dignitatem Ecclesiae Funchalensis confirmat, redditus mensae episcopalis definit, ius patronatus imperatoris sancit, limites dioecesium suffraganarum statuit.

Paulus III

Ad perpetuam rei memoriam. Romani Pontificis circumspectio provida nonnumquam per eius predecessores gesta suadentibus rationalibus causis alterat et immutat ac desuper disponit prout Catholicorum Regum vota exposcunt et locorum ac personarum qualitatibus pensatis conspicit in Domino salubriter expedire. Dudum siquidem postquam felicis recordationis Leo papa X predecessor noster procurante clare memorie Emanuele Portugalie et Algarbiorum Rege qui tunc in humanis agens multas terras provincias et insulas a capitibus de Forador [1] usque ad Indos possidebat in quibus nullus Episcopus,

[1] Id est *Bojador*.

qui ea que erant iurisdictionis Episcopalis exerceret habebatur, excepto vicario pro tempore existente oppidi de Thomar nullius diocesis, qui frater militie Ihesu Christi Cisterciensis Ordinis existebat, et iurisdictionem Episcopalem inter alia in diversis terris, provinciis et insulis ex privilegio Apostolico olim sibi concesso habebat vicariam eiusdem oppidi de Thomar de consensu bone memorie Didaci Pinheiro olim episcopi Funchalensis tunc in humanis agentis ipsius oppidi vicarii Apostolica auctoritate suppresserat et extinxerat, ac tunc parrochialem ecclesiam beate Marie per eundem Emanuelem Regem in civitate de Funchall in insula de Madeyra in mari Oceano sita consistente fundatam in qua unus vicarius frater dicte Militie et nonnulli beneficiati presbiteri seculares beneficia ecclesiastica portiones nuncupata obtinentes existebant in Cathedralem Ecclesiam cum sede Episcopali et Capitulari mensis aliisque cathedralibus insigniis, honoribus et preeminentiis ac in ea unum decanatum qui inibi post pontificalem maior pro uno decano qui curam Capituli haberet ac unum archidiaconatum pro uno archidiacono necnon unam cantoriam pro uno cantore et unam thesaurariam pro uno thesaurario et unam scolastriam pro uno scolastico non maiores post pontificalem inibi dignitates necnon duodecim canonicatus et totidem prebendas pro duodecim canonicis qui cum decano, archidiacono, cantore, thesaurario et scolastico prefatis Capitulum ipsius Ecclesie constituerat, erexerat et instituerat ipsique Ecclesie de Funchall omnia et singula fructus, redditus, proventus et emolumenta que vicarius de Thomar pro tempore existens ex iurisdictione et vicaria suppressa huiusmodi percipiebat necnon annuos redditus quingentorum ducati auri de Camera ex annuis redditibus ad ipsum Emanuelem Regem in ipsa insula de Madeyra spectantibus de ipsius Emanuelis Regis consensu necnon pro dignitatum ac canonicatum et prebendarum predictorum dote bona alias dictis beneficiis pro illorum dote assignata perpetuo applicaverat et appropriaverat ac civitatem predictam pro civitate necnon illius districtum seu territorium cum predicta de Madeyra ac omnibus aliis insulis, terris, provinciis et locis quibuscumque dicto vicario subiectis et que de iure, privilegio vel indulto apostolico subiici debebant ac castris et villis in dictis insulis, terris, provinciis et locis consistentibus pro diocesi necnon omnes et singulos clericos et quorumvis ordinum religiosos pro clero incolasque et habitatores ipsarum civitatis et diocesis de Funchall pro populo concesserat et assignaverat ac ius patronatus et presentandi Romano Pontifici pro tempore existenti personam idoneam ad Cathedralem Ecclesiam Funchalensem dum illa pro tempore vacare contingeret prefato Emanueli et pro tempore existenti Portugalie et Algarbiorum Regi ad effectum ut eidem Ecclesie de persona per Re-

gem nominanda huiusmodi et non alias per eundem Leonem et successores suos provideri deberet ad dignitates vero ac canonicatus et prebendas huiusmodi ius patronatus seu presentandi personas dicte Militie pro tempore existenti magistro dicte Milicie ad quem ius patronatus seu presentandi ad dicta beneficia dum pro tempore vacabant pertinebat institutionem autem eidem episcopo Funchalensi pro tempore existenti perpetuo reservaverat ac eidem ecclesie sic erecte ab eius primeva erectione huiusmodi tunc vacanti de persona prefati Didaci dicta auctoritate providerat preficiendo ipsum illi in episcopum et pastorem ecclesia Funchalensis predicta per obitum prefati Didaci episcopi extra Romanam curiam vita functi pastoris solatio destituta cum carissimus in Christo filius noster Iohannes modernus Portugalie et Algarbiorum Rex illustris prefati Emanuelis Regis natus, et successor pio affectu desideraret in diocesi Funchalensi huiusmodi in qua populi multitudo concedente domino relictis eorum prophanis ritibus et erroribus ad ortodoxe fidei cultum conversa fuisse dinoscebatur divinum cultum ampliari et animarum salutem propagari aliquas cathedrales necnon unam metropolitanam cui ille metropolitico iure subessent, ecclesias erigi pie memorie Clemens papa VII etiam predecessor noster habita super hiis cum venerabilibus fratribus nostris sancte Romane Ecclesie cardinalibus de quorum numero tunc eramus deliberatione matura ac de illorum consilio Ecclesiam Funchalensem predictam per obitum Didaci episcopi huiusmodi ut premittitur vacantem in metropolitanam ac Indiarum omniumque et singularum pro diocesi ipsius Ecclesie Funchalensis assignatarum ac ceterarum temporalis ditionis Portugalie insularum, provinciarum et terrarum novarum eatenus repertarum et in futurum reperiendarum ac ecclesiarum, civitatum et diocesium in eis pro tempore erigendarum primatialem cum archiepiscopali et primatiali dignitate, preeminentia, iurisdictione, superioritate, auctoritate et crucis delatione et aliis metropoliticis et primatialibus insigniis remanentibus in ea dignitatibus, canonicatibus et prebendis ac beneficiis et officiis, ceterisque omnibus et singulis inibi per dictum Leonem predecessorem institutis et ordinatis Apostolica auctoritate erexit et instituit illiusque presulem pro tempore existentem archiepiscopum necnon Indiarum, insularum, provinciarum et terrarum predictarum ac Ecclesiarum civitatis et diocesis in eis pro tempore eligendarum primatem constituit et deputavit; et insuper in tercia in illius oppido Angria [1] nuncupato Sancti Salvatoris sub Sancti Salvatoris, necnon in Sancti Iacobi de Caboverde in ea parte que Ri-

---

[1] Id est *Angra* vel *S. Salvador de Angra* in insula *Terceira*.

berra grande nuncupata Sancti Iacobi sub eiusdem Sancti Iacobi de Caboverde, necnon in Sancti Thome beate Marie de gratia sub Sancti Thome, et in de Goa nuncupatis in dicto mari Occeano consistentibus insulis que inter alia dicte Ecclesie Funchalensis in illius erectione huiusmodi pro eius diocesi assignate fuerant Sancte Catherine sub eiusdem Sancte Catherine de Goa invocationibus parrochiales in Cathedrales Ecclesias cum sede et episcopali et capitulari mensis ac certis dignitatibus necnon canonicatibus et prebendis aliisque cathedralibus insigniis tunc expressis et loca seu pagos, in quibus ipse parrochiales ecclesie consistebant in civitates que Sancti Salvatoris et Sancti Iacobi de Caboverde ac Sancti Thome et Sancte Catherine de Goa respective nuncuparentur similibus consilio et auctoritate erexit et instituit ac post flumen de Canayala in Aphrica prope capud seu promontorium viride omnes et singulas reliquas terras et provincias tam in Aphrica quam in Asia ac predictas et alias tunc expressas illis adiacentes insulas antes diocesim Funchalensem cum omnibus et singulis illarum castris ac villis, locis et districtibus, necnon clero et populo, personis ecclesiasticis, monasteriis, hospitalibus et aliis piis locis et beneficiis ecclesiasticis cum cura et sine cura secularibus et quorumvis ordinum regularibus ab eadem ecclesia seu archiepiscopali mensa Funchalense perpetuo dismembravit et separavit, ipsisque ecclesiis sic erectis loca seu pagos sic in civitates erecta vel erectos pro earum civitatibus, ac insulas et partes terre continentis dismembratas huiusmodi pro singularum earundem districtibus diocesis et territoriis ac omnes et singulos clericos et religiosos pro clero incolasque et habitatores illarum civitatum et diocesis pro populo respective concessit et assignavit necnon eisdem ecclesiis sic erectis omnia et singula redditus et emolumenta episcopalia que episcopus Funchalensis ex eisdem insulis percipiebat seu percipere poterat et tam illis quam dignitatibus ac canonicatibus et prebendis predictis pro illarum dote alios tunc expressos annuos redditus respective perpetuo applicavit et appropriavit; ac diocesis ipsius ecclesie Funchalensis dictis insulis terris, provinciis et locis ac iurisdictionibus vicarii huiusmodi a dicta ecclesia Funchalensi ut premittitur separatis ipsius diocesis per totam de Madeyra et de Porto Sancto has desertas et has salvagines illis adiacentes insulas ac eam partem terre continentis in Aphrica que a fine diocesis Zaphiensis usque ad predictum flumen de Canayala prope dictum caput seu promotorium viride ac prout a fine dicte diocesis Zaphiensis protendebatur necnon per universas terras de Brasil que e regione Aphrice protendebantur et vasto mari Occeani tractu dirimebantur tam repertas quam reperiendas ac per illi adiacentes que aliarum diocesium ab eadem Ecclesia Funchalensi separatarum huiusmodi non existebant si-

militer repertas et reperiendas insulas cum omnibus et singulis illarum et dicte partis Aphrice necnon terrarum de Brasil huiusmodi castris, oppidis, villis, locis et districtibus, necnon clero, populo, ecclesiis, monasteriis et aliis piis locis ac beneficiis ecclesiasticis cum cura vel sine cura secularibus et quorumvis ordinum regularibus de simili consilio eadem auctoritate terminavit et limitavit ac insulas et partem terre in Aphrica necnon terrarum de Brasil huiusmodi pro ipsius Ecclesie Funchalen diocesis ac illorum omnes et singulos clericos et quorumvis ordinum religiosos pro clero incolasque et habitatores pro populo ac eidem Ecclesie Funchalensis Indias insulas, provincias et terras repertas et reperiendas ac Sancti Salvatoris, Sancti Iacobi de Caboverde, Sancti Thome et Sancte Chaterine de Goa erectas et alias de novo in illis erigendas civitates et dioceses predictas pro eius archiepiscopali provincia ac primatia necnon ipsarum Sancti Salvatoris et Sancti Iacobi ac Sancti Thome et Sancte Chaterine de Goa erectarum et aliarum in eidem Funchalensi provincia de novo erigendarum ecclesiarum prelatos prefatos pro suis suffraganeis Episcopis, Capitula vero Ecclesiarum ac clerum et populum civitatum et diocesis huiusmodi pro suis provincialibus, clero et populo concessit et assignavit ac eos quoad omnia metropolitica archiepiscopalia et primatialia superioritatem, iurisdictionem et iura pro tempore existenti archiepiscopo Funchalensi in predictis erectis et alias pro tempore in Funchalensi et ipsius provincia, seu illius suffraganeorum huiusmodi diocesium ac illarum insulis, terris et locis, que tunc erant et alias fuerant erigendas Ecclesias earumque prelatos, officiales, vicarios generales et speciales ac personas non tamen exemptas necnon monasteria et illorum Capitula, conventus et beneficia ecclesiastica quecumque cuiuscumque qualitatis existentia et illa pro tempore obtinentes universosque clerum et populum singularumque civitatum et diocesium erectarum et aliarum de novo erigendarum Ecclesiarum huiusmodi omni superioritate, auctoritate, preeminentia, iurisdictione et potestate quibus alii archiepiscopi, episcopi et primates infra limites earundem archiepiscopalium et primatiarum de iure et consuetudine utebantur, potiebantur et gaudebant ac uti, potiri et gaudere poterant libere et licite uti, potiri et gaudere debere statuit et ordinavit ac decrevit ac eidem Ecclesie Funchalensi sic in metropolitanam et primatialem erecte, loco ab eo dismembratorum fructuum et reddituum huiusmodi antequam quingentorum ducatorum illi ut premittitur factam applicationem necnon pro decanatus preter illi perpetuo annexorum et reliquarum dignitatum huiusmodi ac canonicatuum et prebendarum uberiori dote annua alios tunc expressos redditus annuos ad ipsum Iohannem Regem tamquam dicte Milicie administratorem in dicta insula spectantes et perti-

nentes ipsius domini Regis administratoris ad id expresso accedente consensu respective modo et forma similiter tunc expressis perpetuo applicavit et appropriavit necnon eidem Iohanni et pro tempore existenti Portugalie et Algarbiorum Regi cui ius patronatus et presentandi personam idoneam ad dictam Ecclesiam Funchalensem ut prefertur per Sedem Apostolicam reservatum erat ius patronatus et presentandi infra annum propter loci distantiam, eidem Clementi predecessori et pro tempore existenti Romano Pontifici personam idoneam ad dictam Funchalensem Ecclesiam quotiens illius vacatio occurrerit per dictum Clementem predecessorem et pro tempore existentem Romanum Pontificem in ipsius Funchalensis archiepiscopum, primatem et pastorem, cum dictis primatiali dignitate, preeminentia et honore ad presentationem huiusmodi et non alias preficiendo; et similiter ius patronatus et presentandi archiepiscopo Funchalensi pro tempore existenti aut illius vicario in spiritualibus generali ab eodem archiepiscopo ad id specialem commissionem habenti seu uni vel pluribus personis ad id ab eo pro tempore specialiter deputandis de cetero perpetuis futuris temporibus seculares dumtaxat personas tam ad maiorem et alias quatuor dignitates huiusmodi non maiores post pontificales quam ad canonicatus et illorum prebendas predictos quotiens illos vacare contigerit necnon ad omnia alia et singula ipsius Ecclesie, civitatis et diocesis Funchalensis beneficia quecumque, quotcumque et qualiacumque ad que omnia antea dicte Militie magister seu administrator pro tempore existens regulares personas presentare consueverat quotiens illa ex tunc de cetero quibusvis modis et ex quorumcumque personis etiam apud Sedem Apostolicam vacare contigeret per dictum archiepiscopum seu eius vicarium aut personas ab eo deputatas huiusmodi etiam extra diocesim Funchalensem predictam constitutum seu constitutos ad presentationem huiusmodi instituendos perpetuo reservavit et concessit ac voluit et decrevit quod archiepiscopus et primas pro tempore existens crucem per totam suam provinciam deferre ipseque et eius vicarius seu persone predicte etiam extra dictam diocesim Funchalensem constitute presentationes ipsas admittere et ad illas instituere possent perinde ac si in eadem Funchalensi civitate et diocesi constituti essent quodque presentatus et institutus pro tempore ad decanatum huiusmodi infra annum a die illius assecutionis computandum novam provisionem a Sede Apostolica impetrare et iura Camere Apostolice ratione illius vacationis debita persolvere teneretur alioquin lapso dicto anno facte de illis presentationes nullius sint roboris vel momenti ipseque decanatus extunc vacare censeretur eo ipso inter alia similibus consilio et auctoritate perpetuo statuit et ordinavit; et insuper ut metropolitanorum ac ipsius et illi suffraganearum et aliarum per dictam

provinciam Funchalensem erigendarum Ecclesiarum huiusmodi ac illarum civitatum et diocesis tamquam capitis ad membra una et eadem esset proportio voluit quod singularum Sancti Salvatoris, Sancti Iacobi de Caboverde, ac Sancti Thome et Sancte Catherine de Goa, ac aliarum in dicta provincia erigendarum ecclesiarum et illarum civitatum et diocesis dignitates obtinentes canonici, beneficiati, ministri, officiales et persone quo ad divinorum celebrationem ministeria, precedentias, distributiones et alia quecumque Ecclesie metropolitane Funchalensis ac illius capitulo et personis se in omnibus et per omnia confirmare deberent et ad id tam ipsi quam illarum presules pro tempore existentes per archiepiscopum Funchalensem pro tempore existentem cogi et compelli necnon pro tempore existenti archiepiscopo Funchalensi sub interdicti ingressus Ecclesie ac excommunicationis late sententiae necnon mille ducatorum auri Camere Apostolice applicandorum eo ipso incurrendis penis districtius precipiendo mandavit quatinus eosdem suffraganeos et illorum capitula ac alias personas ad omnia et singula supradicta in omnibus et per omnia plenarie observanda compelleret necnon supradicta ac omnia et singula alia que dicte Militie pro tempore existentibus officialibus et personis ratione dicte Militie, quo ad premissorum effectuum quomodolibet incumbent per se vel alium seu alios irremissibiliter adimpleri; et cetera omnia et singula in erectione Ecclesie Funchalensis huiusmodi ex parrochiali in cathedralem Ecclesiam ut premittitur erecte per prefatum Leonem predecessorem concessa et disposita ac in ipsius Leonis desuper confectis litteris contenta penitus et omnino observari voluit decernens ex tunc irritum et inane quicquid secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigeret attemptari, prout in litteris ipsius predecessoris desuper confectis plenius continetur. Cum autem sicut prefatus Iohannes Rex nobis nuper exponi fecit intentionis sue non fuerit ut limites diocesis Goensis huiusmodi modo supradicto terminarentur et ante erectionem ipsius Ecclesie Funchalensis in metropolitanam ius patronatus et presentandi personas idoneas etiam dicte Milicie ad beneficia predicta dum pro tempore vacabant ad magistrum eiusdem Milicie pro tempore existentem ut prefertur pertineret et tam Funchalensis et alie erecte cathedrales Ecclesie quam beneficia predicta ex redditibus ipsius Milicie dotata fuerint nullaque rationabilis causa subsistat ut dictarum erectarum et aliarum in dicta provincia erigendarum Ecclesiarum et illarum civitatum et diocesis dignitates obtinentes canonici, beneficiati, ministri, officiales et persone quo ad divinorum celebrationem ministeria, precedentias, distributiones, aut quevis alia metropolitane Ecclesie Funchalensis, ac illius capitulo et personis in omnibus se conformare debeant, et illi ac illarum presules

pro tempore existentes ad id per ipsum archiepiscopum pro tempore existentem cogi possint prefatus Iohannes Rex nobis humiliter supplicari fecit quantinus super hiis ad hoc ut erectiones huiusmodi debitum iuxta eius votum sortiantur effectum opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur votis ipsius Iohannis Regis preclaris eius de sede predicta exigentibus meritis quantum cum Deo possumus favorabiliter annuere ac litterarum Clementis predecessoris huiusmodi tenores ac si de verbo ad verbum nichil penitus omisso inserti forent presentibus pro expressis haberi volentes huiusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate Apostolica tenore presentium perpetuo statuimus et ordinamus quod limites diocesis Goensis a capite de Boa Speranza usque ad Indiam inclusive et ab India usque ad Chinam cum omnibus locis tam in terra firma quam in insulis et terris repertis et reperiendis consistentibus in quibus dictus Iohannes Rex sicut accepimus fortalicia et plura oppida, castra et loca, ubi plures christiani ad fidem ortodoxam conversi et etiam multi portugalenses morantur et degunt habere dinoscitur eodem Iohanne Rege id volente et in hoc consentiente incipiant et terminentur ac constituti sint et esse censeantur quodque ius patronatus et presentandi archiepiscopo pro tempore existenti aut illius vicario prefato personam idoneam tam ad maiorem et alias quatuor dignitates non maiores post pontificales quam ad canonicatus et prebendas predictos quotiens illorum vacatio occurrerit necnon ad omnia et singula alia Funchalensis et singularum aliarum erectarum Ecclesiarum predictarum illarumque civitatum et diocesis beneficia ecclesiastica quecumque quotcumque et qualiacumque ad que antea dicte Militie magister seu administrator pro tempore existens presentare consueverat quotiens illa exnunc de cetero quibusvis modis et ex quoruncumque personis vacare contigerit per ipsius archiepiscopum seu vicarium ut prefertur instituendas non ad eundem Iohannem et pro tempore existentem Regem sed ad magistrum seu administratorem prefate Milicie pro tempore existentem pertineat ac reservatum sit et esse censeatur; ipseque magister seu administrator pro tempore existens ad maiorem et alias dignitates necnon canonicatus et prebendas predictas ac omnia et singula alia Funchalensis et singularum aliarum erectarum [Ecclesiarum] predictarum prout prius faciebat presentare libere et licite valeat et presentationes per eum ad illa etiam de clericis dicte Milicie ac institutiones in illis ad presentationem huiusmodi alias rite et recte facte valide et efficaces existant et suos effectus sortiri possint et debeant quodque Sancti Salvatoris et Sancti Iacobi de Caboverde ac Sancti Thome et Sancte Catherine de Goa et aliarum in dicta provincia erigendarum ecclesiarum episcopi sicut ceteri episcopi suffraganei Regni Portugalie suis metropolitanis

astricti existunt et alias quam prout de iure ac illarum civitatum et diocesis dignitates obtinentes canonici, beneficiati, ministri, officiales et persone pro tempore existentes quo ad divinorum celebrationem ministeria, precedentias, distributiones aut alia quecumque ecclesie metropolitane Funchalensis et illius archiepiscopo pro tempore, capitulo et personis existentis et alias quam prout de iure se conformare minime teneantur nec ad id aut alia premissa observanda seu adimplenda per dictum archiepiscopum pro tempore existentem huiusmodi cogi seu compelli neque propterea suspensionis a divinis excommunicationis late sententie ac mille ducatorum predictis aut aliis penis innodari possint nec debeant decernentes sic per quoscumque iudices quavis auctoritate fungentes sublata eis quavis aliter interpretandi et iudicandi facultate et auctoritate iudicari et diffiniri debere necnon irritum et inane quicquid secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari, non obstantibus premissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis necnon omnibus illis que prefatus Clemens predecessor in dictis suis litteris voluit non obstare et que presentibus pro expressis et repetitis haberi volumus ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Marcum VIII Iulii 1539, Anno 5.

97

Exponi nobis nuper

Arm. XLI 15 fol. 45r — die 13 octobris 1539

DE PROROGATIONE BIENNII SEU TRIENNII RELIGIOSORUM IN INDIIS OCCIDENTALIBUS

Supplicationis ab imperatore sibi porrectae ratione habita, Summus Pontifex concedit, ut fratres seu religiosi, qui ad corroborandam fidem in partes Indiae mittuntur, ultra biennium seu triennium a consuetudinibus vel constitutionibus suorum ordinum statutum ibidem stare et permanere libere et licite possint et valeant, ut desideratus ab his fructus uberius perveniat; dummodo expressus ipsorum religiosorum assensus accesserit.

Paulus III

Charissimo in Christo filio Nostro Carolo Romanorum Imperatori semper Augusto.

Charissime in Christo fili noster salutem etc. Exponi nobis nuper fecisti quod cum fratribus seu religiosis qui per eorum superiores ad partes insularum Indie maris Oceani nove Hispanie nuncupate tibi subiecti ad ipsarum partium populos in christiana fide corroborandum eosque divina dogmata et instituta edocendum mittuntur in qualibet ipsarum partium provincie per biennium seu triennium solum standi per superiores predictos eis longius tempus ita statutis, consuetudinibus vel constitutionibus suorum ordinum volentibus concedere forsan nequeuntes licentia concedatur sicque biennio seu triennio huiusmodi elapso fratres et religiosi predicti dum plures proficere possent inde discedere coguntur et de aliis religiosis in partibus illis providere necesse est qui sustinendum circa instructionem dictorum Indiorum magis proficere valerent inde abire coguntur. Verum si ipsis fratribus et religiosis quod per longius tempus in partibus predictis stare possent concederetur desideratus ab his fructus uberius proveniret. Quare nobis humiliter supplicari fecisti ut impremissis oportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur qui dictorum populorum in eadem fide directionem et coalescentiam sinceris desideramus affectibus mentis tue, vobis quantum cum Deo possumus annuere volentes huiusmodi supplicationibus inclinati fratribus seu religiosis ipsis ad dictas partes ad effectum huiusmodi mittendis ut in illis per tempus quod [...] illarum partium videbitur stare et manere libere et licite possint et valeant dummodo superiorum dictorum fratrum seu religiosorum ad hoc expressus accedat assensus Apostolica auctoritate concedimus per presentes. Non obstantibus premissis ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis necnon quorumvis ordinum quorum fratres seu religiosi predicti fuerint etiam iuramento confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus quibus illorum tenores presentibus pro sufficienter expressis habentes hac vice dumtaxat illis alias in suo robore permansuris specialiter et expresse derogamus ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum XIII octobris 1539, Anno quinto.

98

Cum sicut accepimus

Arm. XLI 15 fol. 361r-362r
Bull. Praed. IV 585-586
Hernáez I 520
BM II 1176

die 23 decembris 1539

DE PROVINCIA PERUANA ORDINIS FRATRUM PRAEDICATORUM CONSTITUENDA

Cum in partibus Indiarum ob earundem distantiam nonnulla in ipsius Ordinis constitutionibus expressa commode observari nequeant, Summus Pontifex Magistro Generali Ordinis Praedicatorum concedit, ut domus Ordinis in regione de *Perú* consistentes a provincia cuius hactenus fuerunt, separentur ac in eadem regione nova provincia erigatur. Insuper facultas conceditur, ut idem Magister Generalis provinciae sic erectae, hac prima vice dumtaxat, professorem Ordinis in priorem provincialem cum facultatibus aliis provincialibus magistris concedi solitis, ad tempus de quo ipsi videbitur, praeficere ac omnia et singula alia quaecumque necessaria vel opportuna pro augmento Ordinis instituere libere valeat.

Paulus III

Dilecto filio Magistro Generali Ordinis fratrum Praedicatorum.

Dilecte fili salutem etc. Cum sicut accepimus Ordo fratrum Predicatorum in partibus Indiarum ditioni Charissimi in Christo filii nostri Caroli Romanorum Imperatoris semper Augusti qui etiam Hispaniarum Rex existit subditis benedicente Domino augeri et dilatari ceperit expediatque que ad conservationem dicti Ordinis in illis partibus attinent a te ordinari et decerni et ob earundem partium distantiam nonnulla in ipsius Ordinis constitutionibus expressa commode obser-

vari nequeant similiterque expediat pro salubri eiusdem Ordinis directione ut domus dicti Ordinis in partibus de Perù nuncupatis earumdem Indiarum consistentes a provincia cuius hactenus fuerunt segregentur et separentur ac in eiusdem partibus nova provincia iuxta morem ipsius Ordinis erigatur illique sic erecte provincialis prior preficiatur et alia pro conservatione vite regularis in illis partibus statuantur. Nos ne ab aliquo de viribus tue facultatis et potestatis in premissis hesitari contingat providere volentes, tibi ut per te vel alium seu alios quem vel quos ad hec duxeris deputandum seu deputandos auctoritate nostra domos eiusdem Ordinis in partibus predictis consistentes ab earum provincia predicta segregare et separare ac in eisdem partibus novam provinciam sub invocatione de qua tibi videbitur iuxta morem dicti Ordinis erigere illique sic erecte hac prima vice dumtaxat eum de quo tibi videbitur ipsius Ordinis professorem in priorem provincialem cum facultatibus et auctoritatibus aliis provincialibus magistris concedi et per eos haberi solitis ad tempus de quo tibi videbitur preficere et si ille interim cedat vel decedat alium eius loco ad dictum tempus substituere et surrogare ac omnia et singula alia quecumque que tibi quomodolibet pro eiusdem Ordinis et regularium illius institutorum introductione, observatione et augmento tam circa ipsius Ordinis professorum institutionem et directionem quam etiam eorum studia noveris expedire, statuere et ordinare libere et licite valeas plenam et liberam auctoritate Apostolica tenore presentium concedimus facultatem. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ac ipsius Ordinis et illius provinciarum etiam iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris Apostolicis, per quoscumque Romanos Pontifices predecessores Nostros ac nos et Sedem Apostolicam sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis clausulis et decretis quomodolibet etiam motu proprio et ex certa scientia ac de Apostolice potestatis plenitudine etiam iteratis vicibus concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa mentio habenda foret illorum tenores ac si de verbo ad verbum insererentur presentibus pro expressis habentes illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die 23 decembris 1539 anno sexto.

99

Exponi nobis nuper

Bull. Praed. IV 592
Hernáez I 521
BM II 1177

die 10 aprilis 1540

CONFIRMATIO OMNIUM QUAE PRO PERUANA PROVINCIA SANCITA FUERUNT

Auctoritate apostolica confirmatur erectio provinciae Ordinis Fratrum Praedicatorum in *Perú,* a Sancto Ioanne Baptista nuncupata et ab aliis provinciis eiusdem Ordinis in partibus Indiarum iam erectis distincta.

Paulus III

Dilecto filio Thome de Sancto Martino Priori Provinciali Fratrum Ordinis Praedicatorum Provinciae Sancti Johannis Baptistae nuncupatae secundum morem ejusdem Ordinis. Ad futuram rei memoriam. Dilecte fili salutem et Apostolicam benedictionem. Exponi nobis nuper fecisti quod alias postquam carissimus in Christo filius noster Carolus Romanorum Imperator semper Augustus imperium suum in partibus Indiarum concedente Domino ampliando provinciam del Perù nuncupatam aliis provinciis per eum antea in eisdem partibus acquisitis addiderat dilectus filius Augustinus Recuperatus de Faventia fratrum Ordinis Predicatorum generalis magister dictam provinciam del Perù pro fratribus sui Ordinis huiusmodi a provinciis Sancte Crucis et Sancti Iacobi partium Indiarum predictarum habens super hoc per litteras apostolicas sufficientem facultatem pro domibus eiusdem Ordinis in illa construendis distinxit illique nomen

Sancti Iohannis Baptiste imposuit ac a portu Nominis Dei ad Panamam per litus maris usque ad portum de Guatimala inclusive insequendo ita tamen quod provincia de Nicaragua sit eiusdem provincie Sancti Iohannis cum provincia del Perú nuncupata usque ad flumen Argenteum [1] a mari quod dicitur del Norte usque ad mare quod del Sur nuncupatur cum suis insulis et terra firma repertis seu reperiendis ac a portu de Acla usque ad dictum flumen Argenteum exclusive eiusdem provincie Sancte Crucis intelligatur terminos apposuit teque in priorem provincialem eiusdem provincie del Perú cum auctoritate aliis prioribus provincialibus dicti Ordinis dari solita constituit tibique quod personas et loca dicti Ordinis in dicta provincia tam in capite quam in membris in spiritualibus et temporalibus regere et gubernare ac nova loca construere et edificare ac constructa confirmare novosque priores in illis instituere illosque ac fratres dicti Ordinis a censuris ecclesiasticis sive aliis penis prout idem magister generalis potest absolvere ac omnia et singula alia per priores provinciales eiusdem Ordinis fieri et exequi solita facere et exercere valeas indulsit officiumque provincialatus huiusmodi et octo annos a die habite per litteras eiusdem magistri generalis super indulto huiusmodi editas notitie inchoandos durare debere decrevit ac tibi si te antequam littere ipse tibi presentarentur seu ad tui notitiam deducerentur vel si dictis octo annis durantibus te vitam cum morte commutare vel ab officio huiusmodi amoveri contingeret dilectum filium Iohannem Olias dicti Ordinis professorem octo annis predictis durantibus in casibus prefatis duntaxat surrogavit, teque vel dicto Iohanne Olias ut prefertur decedente vel amoto electionem provincialis huiusmodi ad patres et socios seu vicarios domorum dicte provincie secundum tenorem constitutionum dicti Ordinis pertinere voluit et quatenus domus et loca eiusdem ordinis duodenarium numerum fratrum Ordinis predicti non haberent et numerum quatuor fratrum huiusmodi duntaxat continerent illorum voces pro electione huiusmodi prioris provincialis iuxta earundem constitutionum formam sufficere et sic electum reliqua omnia et singula que alii priores eiusdem Ordinis facere consueverunt tam circa negotia dicti Ordinis ut generalis vel provincialis capituli eiusdem pertractanda quam etiam alia gerere electionesque canonice et secundum earundem constitutionum formam factas pro confirmatis habere et sic electos suum officium cum omni iure et plena auctoritate aliis provincialibus dicti Ordinis sic electis et confirmatis concessis uti et potiri posse provisio tamen quod electores huiusmodi scrutinium ac decre-

[1] *Río de la Plata.*

tum electionis predicte quamprimum factum foret cum qualitate persone sic per eos electe ad prefatum generalem magistrum ut inde gestorum notitiam habere illaque confirmare seu irritare valeat transmittere tenerentur prioresque provinciales et conventuales sic electi iuxta morem provincie Hispanie scilicet provinciales per quatuor conventuales vero per tres annos in huiusmodi officio permanere et sua officia exercere valerent etiam inter alia decrevit ac tibi et tuis in dicto officio successoribus cum illegitime natis ad prelaturas et alia officia necnon cum fratribus ad penam gravioris culpe condemnatis dispensare prout idem magister generalis vel generale capitulum consueverunt possitis concessit; ita tamen quod tu processus dispensationis gravioris culpe huiusmodi ac omnia acta desuper habita necnon rationes et causas animum tuum ad sic faciendum moventes prefato generali magistro saltem in capitulo generali proxime subsequente intimare obligatus esses et quod alias huiusmodi dispensationes quoad penas privativas nullius essent prorsus roboris vel momenti. Quodque in civitate Regum nuncupata domus sub titulo et invocatione beate Marie del Rosario erigeretur et studium in artibus et theologia in eisdem civitate et domo seu alio loco de consilio discretorum dicti Ordinis per eundem provincialem institueretur et lectores in eodem studio actu legentes omnibus et singulis immunitatibus ac dispensationibus per te et successores tuos predictos declarandis potirentur et gauderent et nullus ex fratribus pro tunc ibidem ad magistratus officium promoveatur donec in dicta provincia numerus fratrum et locorum per capitulum generale ordinandus completus existere nec aliquis ex genere iudeorum originem quoquomodo trahens ad dictum Ordinem de cetero reciperetur et ex errore vel ignorantia forsan receptus ad professionem inibi emittendam nullatenus admitteretur et alias forsan professus ad prelaturas aliquas non assumeretur nisi cum eo ex vita exemplari et suis forsan exigentibus meritis per capitulum generale vel provinciale secum desuper dispensatum fuerit promoveri possit auctoritate Apostolica per easdem litteras desuper sibi concessas etiam inter alia statuit decrevit et inhibuit prout in litteris patentibus ipsius generalis magistri desuper confectis dicitur plenius contineri. Quare pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum ut premissis pro illorum subsistentia firmiori robur nostre confirmationis adiicere aliasque desuper opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur litterarum earundem veriores tenores presentibus pro sufficienter expressis habentes huiusmodi supplicationibus inclinati premissa omnia et singula ac quatenus licita et honesta sint alia in prefatis litteris quomodolibet contenta auctoritate Apostolica tenore presentium approbamus et confirmamus supplemusque omnes et singulos tam iuris

quam facti defectus si qui forsan intervenerint in eisdem illaque perpetue firmitatis robur obtinere et inviolabiliter observari et sic per quoscunque tam ordinaria quam delegata et mixta auctoritate fungentes iudices et personas ubique iudicari cognosci atque decidi debere sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi cognoscendi et decidendi facultate necnon irritum et inane quicquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus. Non obstantibus felicis recordationis Bonifatii papae VIII predecessoris nostri etiam de una et concilii generalis de duabus dietis dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate presentium non trahatur aliisque Apostolicis ac in provincialibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus ac ecclesiarum et locorum quorumcumque statutis et consuetudinibus, iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis ac litteris Apostolicis, etiam in forma brevis, per quoscunque Romanos Pontifices predecessores nostros et nos ac Sedem Apostolicam cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis clausulis irritantibusque et aliis decretis desuper quomodolibet etiam pluries concessis, confirmatis et innovatis quibus illorum omnium tenores presentibus pro sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis necnon modos et formas ad id servandas pro individuo servatis habentes hac vice duntaxat illis alias in suo robore permansuris harum serie specialiter et expresse derogamus contrariis quibuscumque aut si aliquibus communiter vel divisim ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici suspendi vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam et expressam, ac verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die X aprilis MDXL, Pontificatus nostri Anno Sexto.

100

Cum sicut charissimus

Arm. XLI 18 fol. 132r — die 27 iulii 1540
Monumenta Historica S.I. 49, 119-122

DEPUTATIO EVANGELII PRAECONUM AD PARTES INDIARUM

Duobus clericis, quos ad omnes Rubri, Persici et Oceani marium insulas et provincias Indiae sub temporali dominio regis Portugalliae et Algarbiorum consistentes earumque incolas noviter ad catholicam fidem conversos Apostolicae Sedis Nuntios destinandos duxit, Summus Pontifex mandat, ut ad loca ipsis assignata quantocius accedant et novellum gregem per Evangelii praedicationem ac bonorum operum exercitia in fide corroborare et confirmarè et eos qui fidem ipsam nondum agnoverunt ad illam agnoscendam et custodiendam invitare et inducere satagant. Ut vero in eodem munere magis proficere valeant, Pontifex plenam iisdem ex auctoritate apostolica facultatem concedit sive praedicandi et tuendi catholicam veritatem, sive absolvendi a peccatis et quibuslibet ecclesiasticis poenis vel censuris (exceptis in Bulla, quae in Coena Domini legitur) sive vota non excepta in alia pietatis opera commutandi necnon incolis aliisque eorum locorum habitatoribus eucharistiam et alia ecclesiastica sacramenta ministrandi et (una vice) plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem in Domino elargiendi.

Paulus III

Dilectis filiis Francisco de Savier et Simoni Roderici [1] clericis Pampilonen. et Visen. [2] diocesis respective nostris Apostolice Sedis nuntiis.

Dilecti filii salutem etc. Cum sicut carissimus in Christo filius noster Ioannes Portugallie et Algarbiorum Rex Illustris nobis nuper exponi fecit in nonnullis Rubri, Persici et Oceani marium insulis [3] nec non provinciis et locis Indie citra et ultra Gangen et ultra et citra promontorium caput Bone Spei nuncupatum sub temporali dominio ipsius Iohannis Regis consistentibus in quibus fides Christi de qua ante clare memorie Emanuelis prefati Iohannis Regis genitoris [regnum] in partibus illis nulla erat memoria noviter divina inspirante gratia recepta est et a quamplurimis coli et observari cepit illi ad quorum corda eiusdem fidei cognitio nondum penetravit conversos noviter ad illam falsis et infidelibus suasionibus ab eadem fide retrahere ac alias

[1] Sanctus Franciscus Xaverius et Simon Rodrigues, sacerdotes futurae Societatis Iesu.

[2] *Viseu* in Lusitania.

[3] Etsi de facto Indiam Orientalem petierunt, facultates eis concessae sunt etiam pro India Occidentali.

contaminare et pervertere conentur, nos qui ex pastoralis officii debito commissum nobis gregem presertim tenellum in pio suo proposito confovere et a rapacium luporum morsibus defendere ac dicte fidei conservationem, propagationem et incrementum omni studio curare debemus impremissis oportune providere cupientes, vos, de quorum fide, religione, probitate, pietate, prudentia et doctrina plurimum in Domino confidimus nostros et Apostolice Sedis nuntios ad omnes et singulas insulas, provincias et loca predicta illarumque populos, incolas et habitatores duximus destinandos ideoque vobis et vestrum cuilibet per presentes committimus et mandamus quatinus ad insulas, provincias et loca predicta quantocius accedere et dictum novellum gregem per Evangelii predicationem et illius ac aliarum sacrarum litterarum declarationem aliaque catholica documenta et monitiones ac bonorum operum exercitia in eadem fide corroborare et confirmare et eos qui fidem ipsam nondum agnoverant ad illam agnoscendum, colendum et custodiendum invitare et inducere auctoritate nostra curetis. Nos enim, ut impremissis eo magis proficere valeatis quo maior facultas vobis desuper attributa fuerit vobis et vestrum cuilibet predicandi, declarandi et docendi, ac hereticorum et scandalosorum librorum et scripturarum lectiones prohibendi et interdicendi confessionesque eorumdem populorum, incolarum et habitatorum quorumcumque existentium vobis eorum peccata confiteri volentium audiendi, et ipsis confessionibus diligenter auditis eos et eorum quemlibet ab omnibus et singulis peccatis, criminibus, excessibus et delictis etiam heresum et alias quantumcumque gravibus et enormibus etiam talibus propter que dicta sedes merito consulenda foret exceptis contentis in bulla que in die cene Domini solita est legi absolvendi eisque pro commissis penitentiam salutarem iniungendi vota vero quecumque per eosque pro tempore emissa ultramarino visitationis liminum beatorum Apostolorum Petri et Pauli et Sancti Iacobi in Compostella nec non religionis et castitatis votis dumtaxat exceptis in alia pietatis opera commutandi ac incolis et habitatoribus et aliis predictis eucharistie et alia ecclesiastica sacramenta ministrandi ac qui infra spatium octo dierum postquam hoc eis intimatum fuerit eorum conscientias debite examinaverint et vobis seu a vobis probatis idoneis eorum peccata confessi fuerint una vice tantum in vita etiamsi in mortis articulo fuerint plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem in Domino concedendi et elargiendi ac alios habiles et idoneos quorum tamen auctoritas in vestro ex partibus illis reditu cessare volumus ad premissa deputandi plenam auctoritate Apostolica tenore

presentium concedimus facultatem. Non obstantibus premissis ac Apostolicis in provincialibus [4] et sinodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus nec non quibusvis etiam iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Marcum die 27 Iulii 1540, Anno 6°.

---

[4] In minuta habetur «provincialibusque».

101

Hodie pro parte

Arm. XLI 18 fol. 183r-184r — die 2 augusti 1540
Monumenta Historica S.I. 49, 122-125

FACULTAS CREANDI TABELLIONES

Praeter nonnullas spirituales facultates, quas pro faciliore incolarum in fide confirmatione vel ad illam reductione per alias Litteras clericis concesserat, quos Apostolicae Sedis Nuntios destinavit, idem Summus Pontifex nunc, ut incolae et habitatores illorum locorum etiam aliqua temporalia commoda per ipsorum adventum consequi valeant, concedit, ut, servatis quidem servandis, tabelliones creare et tabellionatus officio investire possint. Facultatem insuper concedit, qua spurios aliosque illegitime procreatos legitimare valeant. Additur potestas dispensandi ab impedimentis matrimonialibus necnon a censuris aliisque poenis vel irregularitatibus quas personae etiam ecclesiasticae incurrerint, haereticos quoque et schismaticos vere paenitentes absolvendi et omnibus personis permittendi varia loca pia fundare et dotare.

Paulus III

Dilectis filiis Francisco de Xavier ac Simoni Roderici Pampilonen. et Visen. diocesis respective Nostris et Apostolice Sedis nunciis.

Dilecti filii salutem etc. Hodie pro parte carissimi in Christo filii nostri Iohannis Portugallie et Algarbiorum Regis illustris nobis exposito que in nonnullis Rubri, Persici et Oceani marium insulis nec non provinciis et locis Indie citra et ultra Gangen et ultra promontorium caput Bone Spei nuncupatum sub temporali dominio ipsius Iohannis Regis consistentibus in quibus fides Christi noviter recepta erat, hi qui fidem eam non agnoverant, eos qui ad fidem ipsam conversi erant corrumpere et contaminare conabantur, nos impremissis oportune providere cupientes, vos ad insulas, provincias et loca predicta nostros et Apostolice Sedis nuntios duximus destinandos vobisque nonnullas spirituales facultates quas erga populos, incolas et habitatores predictos faciliori illorum in dicta fide confirmatione et ad illam reductione exercere possetis per alias nostras in forma brevis litteras concessimus prout in illis plenius continetur. Ut autem populi, incole et habitatores predicti etiam aliqua temporalia commoda per vestrum ad illos adventum consequi possint, vobis in insulis, provinciis et locis predictis tabellionatus officium quibusvis personis idoneis recepto prius ab eis forma solita iuramento concedendi illosque tabelliones creandi et de tabellionatus officio alias iuxta formam in quinterno cancellarie Apostolice annotatam investiendi, nec non quoscumque utriusque sexus spurios mansures bastardos aliosque etiam ex quocumque illicito et damnato coitu procreatos viventibus vel mortuis eorum parentibus copulative vel disiunctive ita ut ad parentum et alias successiones quorumcumque bonorum sine preiuditio venientium ab intestato admitti et in illis succedere ac ad honores, dignitates, gradus et officia secularia publica et privata recipi, et assumi illaque gerere et exercere possint perinde ac si de legitimo matrimonio procreati essent legitimandi et ab eis omnem geniture maculam abolendi eosque ad primeve nature iura restituendi et cum his qui defectum natalium huiusmodi patientes militie clericali ascribi desideraverint ut clericali caractere insigniri ac unum beneficium ecclesiasticum etiam si illi cura immineat animarum obtinere et si arestati fuerint et aliud canonicum non obstiterit ad omnes etiam sacros et presbiteratus ordines promoveri valeant nec non cum quibuscumque personis quarto aut tertio et quinto consanguinitatis vel affinitatis ab eodem stipite descendentibus gradibus ac cognatione speciali coniunctis, dummodo inter levatum et levantem non agatur ut invicem matrimonialiter copulari et in con-

tractis per eos in talibus gradibus scienter vel ignoranter matrimoniis cum absolutione a censuris et penis ecclesiasticis, quas sic scienter contrahendo incurrerunt remanere possint, dummodo mulieres capte non fuerint, dispensandi prolem exinde susceptam legitimam decernendi, nec non ubi episcopi non fuerint vel si fuerint ipsi a vobis id requisiverint, quascumque ecclesiasticas personas que homicidii casualis vel voluntarii reatum incurrerint, aut aliquem mutilaverint, si id a vobis humiliter petierint ab homicidii et mutilationum huiusmodi reatibus nec non excommunicationis aliisque ecclesiasticis sententiis censuris et penis quas perpetuo quomodolibet incurrerint in forma ecclesiastica consueta, iniunctis eis pro modo culpe penitentia salutari et aliis, que de iure fuerint iniungenda, in utroque foro absolvendi ac cum eis super predicta ac quacumque alia quam quovis modo contraxerint non tamen homicidii voluntarii et bigamie irregularitate quodque dicta irregularitate non obstante ad omnes etiam sacros et presbiteratus ordines promoveri ac in illis etiam in altaris ministerio ministrare possint, etiam dispensandi omnemque inhabilitatis et infamie maculam sive notam per eos eadem occasione contracta abolendi. Ac quoscumque hereticos et scismaticos si id humiliter petierint et relapsi non fuerint recepti prius ab eis abiuratione heresum publice et legitima facienda, prestandoque per eos iuramento, quod talia deinceps non committent nec committendibus consilium, auxilium vel favorem prestabunt ab eos commissis excessibus ac omnibus et singulis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis, quos propterea incurrerint et in dicta forma absolvendi. Ac quibuslibet personis, monasteria, ecclesias, hospitalia pauperum et alia pia loca fundare, dotare aut collapsa reparare cupientibus ut illa sine tamen alicuius preiuditio absque alicuius licentia fundare, construere, dotare et reparare valeant concedendi. Nec non quecumque monasteria, domos, hospitalia et alia pia loca reformatione indigentibus superiorem aliquem non habuerint in melius reformandi auctoritate Apostolica tenore presentium licentiam et facultatem concedimus. Non obstantibus defectibus et aliis premissis necnon quibusvis aliis Apostolicis in universalibusque, provincialibus et sinodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ac quarumcumque ecclesiarum, monasteriorum et ordinum etiam iuramento confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Marcum etc. die secunda Aprilis 1540, Pontificatus Nostri Anno 6.

102

Tuae devotionis

Arm. XLI 18 fol. 269r | die 19 augusti 1540

DE ORDINATIONE EPISCOPI CIVITATIS REGALIS (*CHIAPAS, SAN CRISTÓBAL DE LAS CASAS*)

Cum in ea regione copia episcoporum commode haberi non possit, Summus Pontifex benigne annuit supplicationi episcopi electi Civitatis Regalis, ut a quocumque catholico Antistite gratiam et communionem Sedis Apostolicae habente, munus consecrationis suscipere libere et licite valeat, ipsi tamen assistentibus in hoc duobus abbatibus, aut duabus aliis personis in dignitate ecclesiastica constitutis, seu canonicis cathedralis ecclesiae.

Paulus III

Dilecto filio Iohanni [1] electo Civitatis Regalis.

Dilecte fili salutem etc. Tuae devotionis precibus benignum impartientes assensum illa tibi gratiose concedenda duximus que ad tue commoditatis augmentum cedere dignoscuntur. Qua propter tuis in hac parte supplicationibus inclinati tibi de cuius persona nuper Ecclesie Civitatis Regalis tunc certo modo vacanti Apostolica auctoritate providimus preficiendo te illi in episcopum et pastorem, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum ut asseris in illis partibus copia episcoporum commode haberi non possit, ut a quocumque malueris catholico Antistite gratiam et communionem Sedis Apostolice habente accitis et sibi in hoco assistentibus duo-

[1] Ioannes de Arteaga mortuus est in civitate *Veracruz* antequam Sedem Ecclesiae suae occuparet. *Lopetegui-Zubillaga* 359.

bus abbatibus aut duabus aliis personis in dignitate ecclesiastica constitutis seu canonicis cathedralis ecclesie munus consecrationis alias iuxta tenorem litterarum tibi super munere huiusmodi impendendo sub plumbo concessarum suscipere libere et licite valeas. Ac eidem Antistiti ut illud tibi ut prefertur impendere licite possit quibusvis constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis nequaquam obstantibus, dummodo in ipso actu impendendi munus consecrationis abbates seu in dignitate ecclesiastica constituti aut canonici predicti mitris et aliis pontificibus insigniis muniti sint, auctoritate predicta tenore presentium concedimus pariter et indulgemus. Datum Romae apud Sanctum Marcum etc. 19 Augusti 1540, Anno 6°.

103a

Apostolatus officium

Reg. Lat. 1730 fol. 101rv — die 11 februarii 1541

PROVISIO ECCLESIAE TRUGILIENSIS (*COMAYAGUA, HONDURAS*)

Alfonsus de Guzmán alias de Talavera, episcopus Trugiliensis, munus abdicavit. Summus Pontifex Christophorum de Pedraza presbyterum Hispalensem, praesentatum ab imperatore, novum episcopum Trugiliensem constituit, committendo ei curam et administrationem ipsius Ecclesiae in spiritualibus et temporalibus. Provisio haec capitulo Ecclesiae Trugiliensis, clero et populo civitatis et dioecesis necnon *univeris vasallis* eiusdem Ecclesiae, imperatori et archiepiscopo Hispalensi communicatur. Electo episcopo vero absolutio a censuris et poenis ecclesiasticis impertitur, quibus forsan ligatus est, ut litterae apostolicae de provisione suum sortiantur effectum, eique facultas conceditur, ut a quocumque maluerit catholico Antistite munus consecrationis suscipere possit, assistentibus sibi duobus vel tribus episcopis, iuramento consueto ritu praestito.

Paulus III

Dilecto filio Christoforo [1] electo Trugilien. [2] salutem etc. Apostolatus officium meritis licet imparibus nobis ex alto commissum quo ecclesiarum omnium regimini divina dispositione presidemus utiliter exequi coadiuvante Domino cupientes solliciti corde reddimur et solertes ut cum de ecclesiarum ipsarum regiminibus agitur commitendis tales eis in pastores preficere studeamus qui populum sue cure creditum velint et valeant auctore Domino salubriter regere et feliciter gubernare. Sane ecclesie Trugilien. provincia de Higueras et Cabo de Honduras in insulis Indiarum maris Oceani que de iure patronatus carissimi in Christo filii nostri Caroli Romanorum Imperatoris semper Augusti ratione Castelle et Legionis regnorum quorum ipse Carolus Imperator et rex existit ex privilegio apostolico cui non est hactenus in aliquo derogatum fore dinoscitur ex eo quod venerabilis frater noster Alfonsus de Guzman alias de Talavera episcopus nuper Trugilien. regimini et administrationi illius cui illorum possessione per eum non habita preerat in manibus nostris sponte et libere cessit nosque cessionem ipsam duximus admittendi pastoris solatio destitute nos ad provisionem dicte ecclesie celerem et felicem ne ecclesia ipsa longe vacationis exponatur incommodis paternis et sollicitis studiis intendentes post deliberationem quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem demum ad te presbiterum Ispalen. theologie professorem quem prefatus Carolus Imperator et rex nobis ad hoc per suas litteras presentavit et cui apud nos de vite mundicia, honestate morum, spiritualium providentia et temporalium circumspectione aliisque multiplicum virtutum donis fidedigna testimonia perhibentur direximus oculos nostre mentis quibus omnibus debita meditatione pensatis de persona tua nobis et eisdem fratribus ob tuorum exigentiam meritorum accepta eidem ecclesie de eorumdem fratrum consilio auctoritate apostolica providemus teque illi in episcopum preficimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo in illo qui dat gratias et largitur premia confidentes quod dirigente Domino actus tuos prefata ecclesia sub tuo feli-

---

[1] Christophorus de Pedraza oriundus est probabiliter ex civitate *Sevilla*. Tempore ipsius Hernán Cortés in *México* pervenit. Anno 1537 nominatus est «Protector Indorum de Honduras» (cfr. BM II 537).

[2] Cfr. supra doc. 52.

ci regimine regetur utiliter et prospere dirigetur ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Iugum igitur Domini tuis impositis humeris prompta devotione suscipiens curam et administrationem predictas sic exercere studeas sollicite, fideliter et prudenter quod ecclesia gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam tuque preter eterne retributionis premium nostram et dicte sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo quadragesimo, tertio idus februarii etc. anno septimo.

103b

Hodie Ecclesiae vestrae

Reg. Lat. 1730 fol. 101v — die 11 februarii 1541

Dilectis filiis capitulo ecclesie Trugilien. salutem etc. Hodie ecclesie vestre Trugilien. tunc ex eo quod venerabilis frater noster Alfonsus de Guzman alias de Talavera episcopus nuper Trugilien. regimini et administratione illius cui tunc illorum possessione per eum non habita preerat in manibus nostris sponte ac libere cessit nosque cessionem ipsam duximus admittendi pastoris solatio destitute de persona dilecti filii Cristofori electi Trugilien. nobis et fratribus nostris ob suorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorumdem consilio auctoritate apostolica providimus ipsumque illi in episcopum preficimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Quocirca etc. mandamus quatinus eidem Cristoforo electo tamquam patri etc. curetis alioquin sententiam quam idem Cristoforus electus etc. observari. Datum ut supra.

103c

Hodie Ecclesiae Trugilien.

Reg. Lat. 1730 fol. 101v die 11 februarii 1541

Dilectis filiis clero civitatis et diocesis Trugilien. salutem etc. Hodie ecclesie Trugilien. tunc ex eo etc. usque continetur. Quocirca etc. mandamus quatinus eidem Cristofo electo etc. curetis alioquin etc. observari. Datum ut supra.

103d

Hodie Ecclesiae Trugilien.

Reg. Lat. 1730 fol. 101v-102r die 11 februarii 1541

Dilectis filiis populo civitatis et diocesis Trugilien. salutem etc. Hodie ecclesie Trugilien. tunc etc. continetur. Quocirca universitatem vestram etc. mandantes quatinus eundem Cristoforum electum etc. intendatis ita quod ipse Cristoforus electus etc. gaudeatis. Datum ut supra.

103e

Hodie Ecclesiae Trugilien.

Reg. Lat. 1730 fol. 102r die 11 februarii 1541

Dilectis filiis universis vassallis ecclesie Trugilien. salutem etc. Hodie ecclesie Trugilien. tunc ex eo etc. continetur. Quocirca universitati vestrae etc. mandamus quatinus eundem Cristoforum electum etc. studeatis alioquin sententiam sive penam quam idem Cristoforus electus etc. observari. Datum ut supra.

103f

Gratiae divinae praemium

Reg. Lat. 1730 fol. 102r — die 11 februarii 1541

Carissimo in Christo filio Carolo Romanorum Imperatori semper Augusto et carissime in Christo filie Iohanne Castelle et Legionis regine illustri salutem etc. Gratie divine etc. impendatur. Hodie siquidem ecclesie Trugilien. tunc etc. continetur. Cum itaque fili carissimi sit virtutis etc. venerari maiestatem vestram regiam cum tu fili Carole etiam Castelle et Legionis rex existas rogamus et hortamur attente quatinus eundem Cristoforum electum et ecclesiam predictam etc. prosequamini quod idem Cristoforus electus etc. actio gratiarum. Datum ut supra.

103g

Ad cumulum tuae

Reg. Lat. 1730 fol. 102r — die 11 februarii 1541

Venerabili fratri archiepiscopo Ispalen. salutem etc. Ad cumulum tue etc. prosequaris. Hodie siquidem ecclesie Trugilien. tunc etc. continetur. Cum igitur ut idem Cristoforus electus in commissa sibi predicte ecclesie cura etc. oportunus fraternitatem tuam rogamus etc. attente etc. quatinus eundem Cristoforum electum et predictam ecclesiam etc. prosequaris quod ipse Cristoforus electus tuo etc. promereri. Datum ut supra.

103h

Apostolicae Sedis consueta clementia

Reg. Lat. 1730 fol. 102v — die 11 februarii 1541

Dilecto filio Cristoforo de Pedraza presbitero Ispalen. Theologie professori salutem etc. Apostolice Sedis consueta etc. oportuna. Cum itaque nos hodie ecclesie Trugilien. ad presens certo modo pastoris solatio destitute de persona tua nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorumdem consilio apostolica auctoritate providere teque illi in episcopum et pastorem preficere intendamus nos ne si forsan aliquibus sententiis, censuris et penis ligatus sis provisio et prefectio predicte possint propterea quomodolibet impugnari, providere volentes te a quibusvis excommunicationis etc. innodatus existis ad hoc dumtaxat ut provisio et prefectio predicte ac singule littere apostolice desuper conficiende suum sortiantur effectum auctoritate apostolica tenore presentium absolvimus et absolutum fore nuntiamus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ac dicte ecclesie iuramento etc. roboratis, statutis et consuetudinibus ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo etc. nostre absolutionis et nuntiationis infringere etc. Si quis etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo quadragesimo, tertio idus februarii anno septimo.

103i

Cum nos pridem

Reg. Lat. 1730 fol. 102v-103r die 13 februarii 1541

Dilecto filio Cristoforo electo Trugilien. salutem etc. Cum nos pridem ecclesie Trugilien. provincia de Higueras et Cabo de Honduras in insulis Indiarum maris Oceani tunc certo modo pastoris solatio destitute de persona tua nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorumdem consilio apostolica auctoritate duxerimus providendum preficiendo te illi in episcopum et pastorem prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur nos ad ea que ad tue commoditatis augmentum cedere valeant favorabiliter annuentes tuis etc. inclinati tibi ut postquam ad dictas insulas promereris ut a quocumque malueris catholico antistite gratiam et communionem apostolice sedis habente accitis et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus catholicis episcopis similem gratiam et communionem habentibus munus consecrationis recipere valeas ac eidem antistiti ut recepto prius per eum a te nostro et Romane Ecclesie nomine fidelitatis debite solito iuramento iuxta formam presentibus annotatam munus predictum auctoritate nostra impendere licite tibi possit plenam et liberam, ita quod antequam ad dictas insulas perveneris munus huiusmodi nullo modo suscipere possis tenore presentium concedimus facultatem; volumus autem et auctoritate predicta statuimus et decernimus quod si non recepto a te per ipsum antistitem predicto iuramento idem antistes munus ipsum tibi impendere et tu illud suscipere presumpseritis dictus antistes a pontificalis officii exercitio et tam ipse quam tu ab administratione tam spiritualium quam temporalium ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso. Preterea volumus quod formam huiusmodi a te tunc prestiti iuramenti nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo munitas per proprium nuntium quantocius destinare procures quodque per hoc venerabili fratri nostro archiepiscopo Ispalen. cui ecclesia ipsa metropolitico

iure subesse dinoscitur nullum in posterum preiudicium generetur. Forma autem iuramenti quod prestabis hec est: Ego Cristoforus electus Trugilien. ab hac hora in antea fidelis et obediens etc. evangelia. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo quadragesimo, idibus februarii anno septimo.

104

Tuae devotionis

Arm. XLI 21 fol. 31r die 9 aprilis 1541

DE ORDINATIONE EPISCOPI ECCLESIAE TRUGILIENSIS

Summus Pontifex benigne assentitur precibus ab episcopo electo Ecclesiae Trugiliensis porrectis, ut a quocumque catholico Antistite, gratiam et communionem Sedis Apostolicae habente, munus consecrationis suscipere libere et licite valeat, dummodo eidem in hoc duo abbates assistant, aut duae aliae personae in dignitate ecclesiastica constitutae, cum in illis partibus provinciae de *Higueras* et *Cabo de Honduras* nuncupatae copia episcoporum commode haberi non possit.

Paulus III

Dilecto filio Christoforo electo Trugilien.

Dilecte fili, salutem etc. Tuae devotionis precibus benignum impartientes assensum illa tibi gratiose concedenda ducimus que ad tui commoditatis augmentum cedere dignoscuntur. Quapropter tibi de cuius persona nuper ecclesie Trugiliensis provincie de Higueras et Cabo de Honduras nuncupate in Indiis maris Oceani consistenti tunc certo expresso modo vacanti Apostolica auctoritate providimus preficiendo te illi in episcopum et pastorem prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Ac cum in illis partibus copia episcoporum

commode haberi non possit, ut a quocumque malueris catholico Antistite gratiam et communionem Sedis Apostolice habente accitis et sibi in hoc assistentibus duobus episcopis, si commode haberi poterunt alias duobus abbatibus aut duabus aliis personis in dignitate ecclesiastica constitutis munus consecrationis alias iuxta tenorem litterarum tibi super munere huiusmodi impendendo sub plumbo concessarum suscipere libere et licite valeas. Ac eidem Antistiti ut illud tibi ut prefertur impendere licite possit quibusvis constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis nequaquam obstantibus auctoritate predicta tenore presentium concedimus pariter et indulgemus. Datum Romae apud Sanctum Petrum 9 Aprilis, Anno 7°.

105

Illius fulciti praesidio

Hernáez II 156-158 die 14 maii 1541

ERECTIO DIOECESIS LIMENSIS

Summus Pontifex in oppido de *los Reyes* (*Lima*) in provincia *Perú*, ubi quamplures Hispani et Indi christiani habitant et ecclesiae constructae sunt, precibus Caroli imperatoris Ecclesiam Cathedralem sub invocatione sancti Ioannis Evangelistae erigit et oppidum civitatis titulo insignit, pro uno episcopo, qui ibi verbum Dei praedicare, infideles convertere et in fide instruere atque sacramenta administrare debet. Dioecesis suffraganea de *Sevilla* erit. Proventus, iurisdictio et privilegia dioecesis definiuntur. Iuspatronatus super eam imperatori conceditur.

Paulus III

Ad perpetuam rei memoriam. Illius fulciti praesidio, cujus sunt terrae cardines, et cui cogitationes hominum praeparantur, ac cujus

providentia ordinationem suscipiunt universa, partes officii nobis desuper commissi ad ea libenter interponimus, per quae singulis in tenebris constitutis, ut ad verum lumen, quod est Christus, pervenire possint, lucis radii resplendeant. Unde in singulis locis, prout illorum necessitas et aliae rationabiles causae id exigunt, novas Episcopales Sedes Ecclesiasque pro excellenti Sedis Apostolicae praeeminentia, plantamus: ut per novas plantationes nova populorum adhaesio militanti Ecclesiae accrescat, Religionisque Christianae et Catholicae Fidei professio ubique consurgat, dilatetur et floreat: ac loca etiam humilia illustrentur, et eorumdem locorum incolae et habitatores, novarum Sedium et honorabilium Praesulum assistentia circumfulti, auctore Domino, felicitatis aeternae praemia facilius valeant adipisci.

Sane, cum inter caeteras Provincias in Insulis Indiarum, superioribus annis, auspiciis Charissimi in Christo Filii nostri, Caroli, Romanorum Imperatoris, semper Augusti (qui etiam Castellae et Legionis Rex existit), repertis, existentes, sit una del Perú nuncupata, cujus incolae Divinae legis expertes existunt: et licet in ea quamplures Hispani ac Indi Christiani habitent, nonnullaeque Ecclesiae, in quibus Divina celebrantur, constructae sint, nulla tamen Cathedralis Ecclesia adhuc erecta est: ac idem Carolus Imperator et Rex pio affectu desideret in dicta Provincia del Perú, ejus temporali ditioni subjecta, illius gloriosissimi nominis cultum, cujus est orbis terrarum et plenitudo ejus, ac universi qui habitant in eo, ampliari, et ejus incolas praedictos ad lucem veritatis perduci, animarumque salutem propagari; ac propterea Oppidum de los Reyes nuncupatum, in eadem Provincia situm, in Civitatem et in eo Cathedralem Ecclesiam erigi.

Nos, habita super his cum Fratribus Nostris matura deliberatione, de illorum consilio praefato Carolo Imperatore et Rege nobis humiliter super hoc supplicante, ad Omnipotentis Dei laudem et gloriam, ac gloriosissimae ejus Genitricis Virginis Mariae totiusque curiae coelestis honorem et Fidei Catholicae exaltationem, Oppidum praedictum Civitatis titulo, auctoritate Apostolica, tenore praesentium, insignimus, illudque in Civitatem quae de los Reyes nuncupetur, ac in ea Cathedralem Ecclesiam, sub invocatione Sancti Joannis Evangelistae pro uno Episcopo [1], qui Ecclesiam ipsam construi faciat, et illi, postquam constructa sit praesit: ac in illa ejusque Civitate et Dioecesi verbum Dei praedicare procuret, ac earum incolas Infideles ad Orthodoxae Fidei cultum convertat, ac conversos in eadem Fide

[1] Primus episcopus nominatus est Hieronymus Loaysa, usque tunc episcopus Ecclesiae Carthaginensis. De eo cfr. supra doc. 85.

instruat et confirmet, eisque Baptismi gratiam impendat, et tam illis conversis quam aliis omnibus Fidelibus in Civitate et Dioecesi praedictis pro tempore degentibus, et ad eas declinantibus, Sacramenta Ecclesiastica et alia spiritualia ministret et ministrari faciat: necnon in Ecclesia ac Civitate et Dioecesi hujusmodi Episcopalem jurisdictionem, auctoritatem et potestatem libere exercere valeat: ac Dignitates, Canonicatus et Praebendas aliaque Beneficia Ecclesiastica, cum cura et sine cura, erigat et instituat, ac alia spiritualia conferat et seminet, prout Divini cultus augmento et ipsorum incolarum animarum saluti expedire cognoverit: et qui Archiepiscopo Hispalensi, pro tempore existenti, jure metropolitano subsit: ac ex omnibus inibi pro tempore provenientibus, praeter quam ex auro et argento, et aliis metallis, gemmis et lapidibus pretiosis, quae pro tempore existentibus Castellae et Legionis Regibus (quoad haec libera esse decernimus), decimas et primitias de jure debitas, caeteraque Episcopalia iura, prout alii in Hispania Episcopi de jure vel consuetudine exigunt et percipiunt, exigere et percipere libere et licite valeant, cum sede et mensa, ac aliis insigniis et iurisdictionibus Episcopalibus: necnon privilegiis, immunitatibus et gratiis, quibus aliae Cathedrales Ecclesiae ac illarum Praesules in Hispania de jure vel consuetudine utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, auctoritate Apostolica et tenore praedictis, perpetuo erigimus et instituimus, ac eidem Ecclesiae Oppidum in Civitatem erectum pro civitate, ac partem Provinciae del Perú hujusmodi quam ipse Carolus Imperator et Rex, positis limitibus statuerit et statui mandaverit pro Dioecesi, illarumque incolas et habitatores pro Clero et Populo concedimus et assignamus. Ac illius mensae Episcopali praedictae pro ejus dote redditus annuos ducentorum ducatorum auri per ipsum Carolum Imperatorem et Regem ex redditibus annuis, ad eum in dicta Provincia spectantibus, assignandos; donec fructus ipsius mensae ad valorem ducentorum ducatorum similium ascendant annuatim, etiam perpetuo applicamus et appropriamus. Et insuper jus patronatus et praesentandi infra annum personas idoneas ad dictam Ecclesiam erectam, quoties illius vacatio (hac prima vice excepta), pro tempore occurrerit, Romano Pontifici, pro tempore existenti, per eum in ejusdem Ecclesiae Episcopum et Pastorem ad praesentationem hujusmodi praeficiendum; necnon ad Dignitates, Canonicatus et Praebendas ac alia Beneficia erigenda hujusmodi, tam ad eorum primaeva erectione postquam erecta fuerint, quam ex tunc deinceps pro tempore vacantia, Episcopo de los Reyes pro tempore existenti, similiter per eum ad praesentationem hujusmodi, in ipsis Dignitatibus, Canonicatibus et Praebendis ac Beneficiis instituendis, praefato Carolo et pro

tempore existenti Castellae et Legionis Regi, de simili consilio, auctoritate et tenore praedictis, in perpetuum reservamus, concedimus et assignamus.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostram insignationis, decreti, erectionis, institutionis, concessionis assignationis, applicationis, appropriationis et reservationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli, Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo quadragesimo primo, pridie idus Maji, Pontificatus nostri anno septimo.

106a

Romani Pontificis

Reg. Lat. 1730 fol. 143r-144r — die 6 iulii 1541

PROVISIO ECCLESIAE SANCTI IOANNIS (*PUERTO RICO*)

Post mortem Alfonsi Manso primi episcopi Ecclesiae sub invocatione Sancti Ioannis, sub quo nomine iste episcopatus primitus comprehendebatur, Rodericus de Bastidas episcopus nuper Corensis (*Caracas*), *consideratis grandium virtutum meritis* eiusdem, successor nominatur et a vinculo, quo Ecclesiae Corensi tenebatur, absolvitur. Carolus imperator eum pro Ecclesia Sancti Ioannis quae de iure patronatus est, Summo Pontifici praesentaverat. Provisionem hanc Pontifex etiam capitulo Ecclesiae Sancti Ioannis et simili modo clero, populo ac *universis vasallis* civitatis et dioecesis communicat. Notitiam quoque archiepiscopo Hispalensi, cuius Ecclesia Sancti Ioannis suffraganea est, detulit, quem rogat, ut Rodericum sibi commendatum habeat *in ampliandis et conservandis iuribus suis*. Etiam imperatorem et reginam de provisione certiores facit, quos rogat, ut episcopum et Ecclesiam *benigni favoris auxilio* prosequantur. Tandem Roderico absolutio a censuris et poenis ecclesiasticis quibus fortasse ligatus est impertitur, ne translatio et provisio impugnari possint. Episcopis Cubensi et Sancti Dominici vero Pontifex mandat ut ipsi vel

alter eorum fidelitatis iuramentum a Roderico recipiant, avertere volens ab eo labores et expensas itineris.

Paulus III

Venerabili fratri Roderico [1] episcopo Sancti Iohannis salutem etc. Romani pontificis quem pastor ille celestis et episcopus animarum potestatis plenitudine sibi tradita ecclesiis pretulit universis solicitudo requirit ut circa cuiuslibet ecclesie statum sic vigilanter excogitet sicque prospiciat diligenter quod per eius providentiam circumspectam nunc per simplicis provisionis officium nunc per ministerium translationis accomode prout personarum, locorum et temporum qualitas exigit et ecclesiarum utilitas persuadet ecclesiis singulis pastor accedat idoneus et rector providus deputetur per quem ecclesie ipse superno auxilio suffragans in spiritualibus et temporalibus votive prosperitatis successibus gratulentur. Sane ecclesie Sancti Iohannis insule eiusdem Sancti Iohannis in Indiis maris Oceani consistentis que de iure patronatus carissimi in Christo filii nostri Caroli Romanorum Imperatoris semper Augusti ratione Castelle et Legionis regnorum quorum etiam Rex existit ex privilegio apostolico cui non est hactenus in aliquo derogatum fore dinoscitur et cui bone memorie Alfonsus Mansus episcopus Sancti Iohannis dum viveret presidebat per obitum eiusdem Alfonsi qui extra Romanam curiam debitum nature persolvit pastoris solatio destituta nos vacationi huiusmodi fide dignis relatibus intellecta ad provisionem eiusdem ecclesie celerem et felicem ne ecclesia ipsa longe vacationis exponatur incommodis paternis et sollicitis studiis intendentes post deliberationem quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem demum ad te episcopum nuper Coren. consideratis grandium virtutum meritis quibus illarum largitor altissimus personam tuam multipliciter insignivit ac quod tu qui ecclesie Coren. in insulis Indiarum huiusmodi provincie de Benezuela actenus laudabiliter prefuisti prefatam ecclesiam Sancti Iohannis sciens, volens et potens, auctore Domino, salubriter regere et feliciter gubernare direximus oculos nostre mentis intendentes igitur tam ipse ecclesie Sancti Iohannis quam eius gregi dominico salubriter providere te licet absentem a vinculo

---

[1] De Roderico de Bastidas cfr. supra doc. 51.

quo eidem ecclesie Coren. cui tunc preeras tenebaris de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes et ad prefatam ecclesiam Sancti Iohannis ad quam dictus Carolus Imperator et Rex nobis per suas litteras ex dicto indulto presentavit de simili consilio aúctoritate apostolica transferimus teque illi in episcopum preficimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie Sancti Iohannis tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo liberamque tibi ad eandem ecclesiam Sancti Iohannis transferendi licentiam tribuendo firma spe fiduciaque conceptis quod dextera Domini tibi assistenti propitia prefata ecclesia Sancti Iohannis per tue circumspectionis industriam et studium fructuosum regetur utiliter et prospere dirigetur ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa; volumus autem quod antequam regimini et administrationi dicte ecclesie Sancti Iohannis te in aliquo immisceas in manibus venerabilium fratrum nostrorum Cuben. et Sancti Dominici episcoporum seu alicuius eorum fidelitatis debite solitum prestet iuramentum iuxta formam quam sub bulla nostra mitimus introclusam, quibus et cuilibet eorum per alias nostras litteras mandamus ut a te nostro et Romane ecclesie huiusmodi nomine recipiant seu alter eorum recipiat iuramentum quo circa fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus ad prefatam ecclesiam Sancti Iohannis cum gratia nostre benedictionis accedens curam et administrationem prefatas sic exercere studeas solicite, fideliter et prudenter quod exinde experati fructus adveniant ac tue bone fame odor ex laudabilibus tuis actibus latius difundatur ipsaque ecclesia Sancti Iohannis gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam ac tu preter eterne retributionis premium nostram et apostolice Sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis. Datum Romae apud Sanctum Marcum anno etc. millesimo quingentesimo quadragesimo primo, pridie nonas iulii anno septimo.

106b

Hodie venerabilem fratrem

Reg. Lat. 1730 fol. 144r — die 6 iulii 1541

Dilectis filiis capitulo ecclesie Sancti Iohannis salutem etc. Hodie venerabilem fratrem nostrum Rodericum episcopum Sancti Iohannis nuper Coren. a vinculo quo ecclesia Coren. in insulis Indiarum cui tunc preerat tenebatur de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes ipsum ad ecclesiam vestram Sancti Iohannis tunc per obitum bone memorie Alfonsi Mansi olim episcopi Sancti Iohannis extra Romanam curiam defuncti pastoris solatio destitutam de simili consilio apostolica auctoritate transtulimus ipsumque in episcopum prefecimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie Sancti Iohannis sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie commitendo prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Quocirca etc. mandamus quatinus eidem Roderico episcopo tamquam patri et pastori animarum vestrarum humiliter intendentes ac exhibentes sibi obedientiam et reverentiam debitas et devotas illius salubria monita et mandata suscipiatis humiliter et efficaciter adimplere curetis alioquin sententiam quam idem Rodericus episcopus rite tulerit in rebelles ratam habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum ut supra.

106c

Hodie venerabilem fratrem

Reg. Lat. 1730 fol. 144rv — die 6 iulii 1541

Dilectis filiis clero civitatis et diocesis Sancti Iohannis salutem etc. Hodie etc. ut supra usque continetur. Quocirca etc. mandamus quatinus eidem Roderico episcopo tamquam patri et pastori animarum vestrarum humiliter intendentes ac exhibentes sibi obedientiam et reverentiam debitas et devotas eius salubria monita et mandata suscipiatis humiliter et efficaciter adimplere curetis alioquin sententiam quam idem Rodericus episcopus rite tulerit in rebelles ratam habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum ut supra.

106d

Hodie venerabilem fratrem

Reg. Lat. 1730 fol. 144v die 6 iulii 1541

Dilectis filiis populo civitatis et diocesis Sancti Iohannis salutem etc. Hodie etc. ut supra usque continetur. Quocirca etc. mandantes quatinus eundem Ro[dericum] episcopum tamquam patrem et pastorem animarum vestratum devote suscipientes et debita honorificentia pertractantes eius monitis et mandatis salubribus humiliter intendatis ita quod idem Rodericus episcopus in vobis devotionis filios et vos in eo per consequens patrem benivolum invenisse gaudeatis. Datum ut supra.

106e

Hodie venerabilem fratrem

Reg. Lat. 1730 fol. 144v die 6 iulii 1541

Dilectis filiis universis vassallis ecclesie Sancti Iohannis salutem etc. Hodie etc. ut supra usque continetur. Quocirca etc. mandamus quatinus eundem Rodericum episcopum tamquam patrem et pastorem animarum vestrarum devote suscipientes et debita honorificentia prosequentes ei fidelitatem solitam nec non consueta servitia et iura sibi

a vobis debita exhibere integre studeatis alioquin sententiam sive penam quam idem Rodericus episcopus rite tulerit sive statuerit in rebelles ratam habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum ut supra.

106f

Ad cumulum tuae cedit salutis

Reg. Lat. 1730 fol. 144v-145r — die 6 iulii 1541

Venerabili fratri archiepiscopo Ispalen. salutem etc. Ad cumulum tue cedit salutis et fame si personas ecclesiasticas presertim pontificali dignitate preditas divine propitiationis intuitu opportuni presidii et favoris gratia prosequaris. Hodie etc. ut supra usque continetur. Cum igitur ut idem Rodericus episcopus in commissa sibi predicte ecclesie Sancti Iohannis cura facilius preficere valeat tuus favor fore noscatur plurimum opportunus fraternitatem tuam rogamus et hortamur attente tibi per apostolica scripta mandantes quatenus eundem Rodericum episcopum et prefatam ecclesiam Sancti Iohannis sibi commissam suffraganeam tuam habens pro nostra et apostolice Sedis reverentia propensius commendatos in ampliandis et conservandis iuribus suis sic eos tui favoris presidio prosequaris quod ipse Rodericus episcopus tue auxilio gratie se possit in commisso sibi eiusdem ecclesie Sancti Iohannis regimine utilius exercere tuque divinam misericordiam et nostram ac eiusdem Sedis benivolentiam et gratiam valeas exinde uberius promereri. Datum ut supra.

106g

Gratiae divinae praemium

Reg. Lat. 1730 fol. 145r — die 6 iulii 1541

Carissimo in Christo filio Carolo Romanorum Imperatori semper Augusto et carissime in Christo filie Iohanne Castelle et Legionis Regine illustri salutem etc. Gratie divine premium et umane laudis preconium acquiritur si per seculares principes ecclesiarum prelatis presertim pontificali dignitate preditis opportuni favoris presidio et honor debitus impendatur. Hodie etc. ut supra usque continetur. Cum itaque filii carissimi sit virtutis opus Dei ministros benigno favore prosequi ac eos verbis et operibus pro regis eterni gloria venerari magestatem vestram regiam cum tu fili Carole etiam Castelle et Legionis Rex existas rogamus et ortamur attente quatinus eundem Rodericum episcopum et ecclesiam Sancti Iohannis predictam sue cure commissam habentes pro nostra et apostolice Sedis reverentia propensius commendatos in ampliandis et conservandis iuribus suis sic eos benigni favoris auxilio prosequamini quod idem Ro[dericus] episcopus vestre celsitudinis fultus presidio in commisso sibi dicte ecclesie regimine possit Deo propitio prosperari ac vobis exinde a Deo perennis vite premium et a nobis condigna proveniat actio gratiarum. Datum ut supra.

106h

Apostolicae Sedis consueta clementia

Reg. Lat. 1730 fol. 145v — die 6 iulii 1541

Venerabili fratri Roderico episcopo Coren. salutem etc. Apostolice Sedis consueta clementia ne dispositiones per eam de cathedralibus ecclesiis pro tempore facte valeant quomodolibet impugnari sed persone ad eas promovende illis puro corde et sincera conscientia presidere valeant remedia prout convenit adhibet opportuna. Cum itaque nos hodie te a vinculo quo ecclesie Coren. in insulis Indiarum cui preesse dinosceris teneris de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolvere et ad ecclesiam Sancti Iohannis ad presens certo modo pastoris solatio destitutam de simili consilio apostolica auctoritate transferre et te illi in episcopum et pastorem prefi-

cere intendamus nos ne si forsan aliquibus sententiis, censuris et penis ecclesiasticis ligatus sis absolutio, translatio et prefectio predicte possint propterea quomodolibet impugnari providere volentes te a quibusvis excommunicationis etc. ad hoc dumtaxat ut absolutio, translatio et prefectio predicte ac singule littere apostolice desuper conficiende suum sortiantur effectum auctoritate prefata et tenore presentium absolvimus et absolutum fore nuntiamus non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis necnon dicte ecclesie Sancti Iohannis iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo etc. nostre absolutionis et nuntiationis etc. Datum Romae apud Sanctum Marcum anno etc. millesimo quingentesimo quadragesimo primo, pridie nonas iulii anno septimo.

106i

Cum nos hodie

Reg. Lat. 1730 fol. 146r — die 6 iulii 1541

Venerabilibus fratribus Cuben. et Sancti Dominici episcopis salutem etc. Cum nos hodie venerabilem fratrem nostrum Rodericum episcopum Sancti Iohannis nuper Coren. a vinculo quo ecclesie Coren. in insulis Indiarum cui tunc preerat tenebatur de fratrum nostro[rum] consilio apostolice potestatis plenitudine absolventes ipsum ad ecclesiam Sancti Iohannis tunc per obitum bone memorie Alfonsi Mansi olim episcopi Sancti Iohannis extra Romanam curiam defuncti pastoris solatio destitutam de simili consilio apostolica auctoritate transtulerimus ipsumque illi in episcopum prefecerimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie Sancti Iohannis sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur nos ipsius Roderici episcopi in partibus illis degentis ne propter hoc ad Sedem apostolicam accedendo personaliter laborare cogatur volentes parcere laboribus et expensis, fraternitati

vestre tenore presentium commitimus et mandamus quatinus vos vel alter vestrum ab eodem Roderico episcopo nostro et Romane ecclesie nomine fidelitatis debite solitum recipiatis iuramentum iuxta formam quam sub bulla nostra mitimus introclusam; formam autem iuramenti quod dictus Rodericus episcopus prestabit nobis de verbo ad verbum per eius patentes litteras suo sigillo munitas per proprium nuntium quantocius destinare curetis. Datum Romae apud Sanctum Marcum anno etc. millesimo quingentesimo quadragesimo primo, pridie nonas iulii anno septimo.

107a

Apostolatus officium

Reg. Lat. 1730 fol. 146v-147v — die 20 iulii 1541

PROVISIO ECCLESIAE CARTHAGINENSIS

Ecclesia Carthaginensis (*Cartagena*) in *Columbia*, quae est de iurepatronatus imperatoris et regis Hispaniae, translatione Hieronymi de Loaysa Ordinis Praedicatorum ad Sedem Limanam seu Civitatis Regum (*de los Reyes*), episcopo destituta est. Imperator Carolus sacerdotem Franciscum de Benavides Ordinis sancti Hieronymi ut novum episcopum pro sede Carthaginensi praesentavit, quem Summus Pontifex sedi vacanti in episcopum praeficit ac monet, ut curam animarum et administrationem dioecesis sic exercere studeat ut Ecclesia Carthaginensis provido et fructuoso gubernatori gaudere possit.

Provisio haec capitulo Ecclesiae et simili modo clero et populo civitatis et dioecesis eiusque Ecclesiae atque universis eius vasallis nuntiatur. Archiepiscopo Hispalensi quoque, cui Ecclesia Carthaginensis ut suffraganea subest, provisio communicatur, cui Summus Pontifex episcopum electum enixe commendat. Simili modo imperator et regina de electione episcopi certiores fiunt, pro quo Pontifex favorem regium et tutamen expetit. Electo episcopo vero absolutio a censuris et poenis ecclesiasticis quibus forsan ligatus est impertitur, ut litterae apostolicae de provisione conficiendae suum sortiantur effectum, eique facultas conceditur, ut a quocumque maluerit catholico Antistite munus consecrationis suscipere valeat, assistentibus sibi duobus vel tribus episcopis, iuramento fidelitatis consueto ritu praestito.

Paulus III

Dilecto filio Francisco [1] electo Cartajan. salutem etc. Apostolatus officium meritis licet imparibus nobis ex alto commissum quo ecclesiarum omnium regimini divina dispositione presidemus utiliter exequi quo adiuvante Domino cupientes solicite corde reddimur et solertes ut cum de ecclesiarum ipsarum regiminibus agitur committendis tales eis in pastores presidere studeamus qui populum sue cure creditum sciant non solum doctrina verbi sed etiam exemplo boni operis informare commissasque sibi ecclesias velint et valeant auctore Domino in spiritualibus et temporalibus salubriter regere et feliciter gubernare. Sane ecclesia Cartajan. in provincia Carthajan. in insulis Indiarum existenti que de iure patronatus carissimi in Christo filii nostri Caroli Romanorum Imperatoris semper Augusti qui etiam Castelle et Legionis Rex existit ex privilegio apostolico cui non est actenus in aliquo derogatum fore dinoscitur ex eo quod nos dudum venerabilem fratrem nostrum Geronimum episcopum de Los Reyes tunc Cartajan. a vinculo quo eidem ecclesie Cartajan. cui tunc preerat tenebatur de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes ipsum ad ecclesiam de Los Reyes tunc ab eius primeva erectione vacantem de simili consilio apostolica auctoritate transtulimus preficiendo eum ipsi ecclesie de Los Reyes in episcopum et pastorem pastoris solatio destituta nos ad provisionem eiusdem ecclesie Carthajan. celerem et felicem ne ecclesia ipsa Cartajan. longe vacationis exponatur incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes post deliberationem quam de preficiendo eidem ecclesie Cartajan. personam utilem et etiam fructuosam cum eisdem fratribus habuimus diligentem, demum ad te fratrem ordinis Sancti Geronimi secundum instituta Sancti Augustini ordinem ipsum expresse professum in presbiteratus ordine constitutum et de nobili genere ex utroque parente procreatum quem prefatus Carolus Imperator et Rex nobis ad hoc per suas litteras presentavit et cui apud nos de vite munditia, honestate morum, spiritualium providentia et temporalium circumspectione aliisque multiplicum virtutum donis fidedigna testimonia perhibentur direximus oculos nostre mentis quibus omnibus debita meditatione pensatis de persona tua nobis et eisdem fratribus ob tuorum exigentiam meritorum accepta dicte ecclesie Cartajan. de simili consilio prefata

---

[1] Franciscus de Benavides, Ordinis Sancti Hieronymi, nominatus est episcopus Carthaginensis die 20 iulii 1541; mortuus est die 15 maii 1560. *Egaña* 28-29.

auctoritate providemus teque illi in episcopum prefecimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie Cartajan. tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo in illo qui dat gratias et largitur premia confidentes dirigente Domino actus tuos prefata ecclesia Cartajan. sub tuo felici regimine regetur utiliter et prospere dirigetur ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Iugum igitur Domini tuis impositum humeris paterna devotione suscipiens curam et administrationem predictas sic exercere studeas sollicite, fideliter et prudenter quod ipsa ecclesia Cartajan. gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam tuque preter eterne retributionis premium nostram et dicte Sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis. Datum Romae apud Sanctum Marcum anno etc. millesimo quingentesimo quadragesimo primo, tertio decimo kalendas augusti anno septimo.

107b

Hodie Ecclesiae vestrae

Reg. Lat. 1730 fol. 147v — die 20 iulii 1541

Dilectis filiis capitulo ecclesie Cartajan. salutem etc. Hodie ecclesie vestre Cartajan. tunc ex eo quod nos dudum venerabilem fratrem nostrum Ieronimum episcopum de Los Reyes tunc Cartajan. a vinculo dicte ecclesie cui tunc preerat tenebatur de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes ipsumque ad ecclesiam de Los Reyes tunc ab eius primeva erectione vacantem de simili consilio apostolica auctoritate transtulimus preficiendo eum ipsi ecclesie de Los Reyes in episcopum et pastorem pastoris solatio destituta de persona dilecti filii Francisci electi Cartajan. nobis et dictis fratribus ob suorum exigentiam meritorum accepta de simili consilio dicta auctoritate providimus ipsumque illi in episcopum prefecimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie Cartajan. sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo prout in nostris

inde confectis litteris plenius continetur. Quocirca etc. mandamus quatinus eundem Franciscum electum tamquam patrem et pastorem animarum vestrarum humiliter intendentes ac exhibentes sibi obedientiam et reverentiam debitis et devotis illius salubria monita et mandata suscipiatis humiliter et efficaciter adimplere curetis alioquin sententiam quam idem Franciscus electus rite tulerit in rebelles ratam habebimus et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum ut supra.

107c

Hodie Ecclesiae Cartajan.

Reg. Lat. 1730 fol. 147v-148r die 20 iulii 1541

Dilectis filiis clero civitatis et diocesis Cartajan. salutem etc. Hodie ecclesie Cartajan. tunc ex eo etc. ut supra usque continetur. Quocirca etc. mandamus quatinus eidem Francisco electo tamquam patri et pastori animarum vestrarum humiliter intendentes ac exhibentes sibi obedientiam et reverentiam debitas et devotas eius salubria monita et mandata suscipiatis humiliter et efficaciter adimplere curetis alioquin sententiam quam idem Franciscus electus rite tulerit in rebelles ratam habebimus et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum ut supra.

107d

Hodie Ecclesiae Cartajan.

Reg. Lat. 1730 fol. 148r die 20 iulii 1541

Dilectis filiis populo civitatis et diocesis Cartajan. salutem etc. Hodie ecclesie Cartajan. tunc ex eo etc. usque continetur. Quocirca universitatem vestram monemus et hortamur attente vobis per apostolica scripta mandantes quatinus eundem Franciscum electum tamquam patrem et pastorem animarum vestrarum devote suscipientes et debita honorificentia pertractantes eius monitis et mandatis salubribus humiliter intendatis ita quod ipse Franciscus electus in vobis devotionis filios et vos in eo per consequens patrem benivolum invenisse gaudeatis. Datum ut supra.

107e

Hodie Ecclesiae Cartajan.

Reg. Lat. 1730 fol. 148rv — die 20 iulii 1541

Dilectis filiis universis vassallis ecclesie Cartajan. salutem etc. Hodie ecclesie Cartajan. tunc ex eo etc. usque continetur. Quocirca universitati vestre per apostolica scripta mandamus quatinus eundem Franciscum electum tamquam patrem et pastorem animarum vestrarum devote suscipientes et debita honorificentia prosequentes ei fidelitatem solitam necnon consueta servitia et iura sibi a vobis debita exhibere integre studeatis alioquin sententiam sive penam quam idem Franciscus electus rite tulerit sive statuerit in rebelles ratam habebimus et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum ut supra.

107f

Ad cumulum tuae cedit salutis

Reg. Lat. 1730 fol. 148v — die 20 iulii 1541

Venerabili fratri archiepiscopo Ispalen. salutem etc. Ad cumulum tue cedit salutis et fame si personas ecclesiasticas presertim pontificali dignitate preditas divine propitiationis intuitu opportuni presidii et favoris gratia prosequaris. Hodie siquidem ecclesie Cartajan. tunc ex eo etc. usque continetur. Cum igitur ut idem Franciscus electus in commissa sibi predicte ecclesie Cartajan. cura facilius presidere valeat tuus favor ei fore noscatur plurimum opportunus fraternitatem tuam rogamus et ortamur attente tibi per apostolica scripta mandantes quatinus eundem Franciscum electum et prefatam ecclesiam Cartajan. sibi commissam sufraganeam tuam habens pro nostra et apostolice Sedis reverentia propensius commendatos in ampliandis et conservandis iuribus suis sic eos tui favoris presidio prosequaris quod ipse Franciscus electus tue auxilio gratie se possit in commisso sibi eiusdem ecclesie Cartajan. regimine utilius exercere tuque divinam misericordiam et nostram ac eiusdem Sedis benedictionem et gratiam valeas exinde uberius promereri. Datum ut supra.

107g

Gratiae divinae praemium

Reg. Lat. 1730 fol. 148v-149r — die 20 iulii 1541

Carissimo in Christo filio Carolo Romanorum Imperatori semper Augusto et carissime in Christo filie Iohanne Castelle et Legionis Regine illustri salutem etc. Gratie divine premium et humane laudis preconium acquiritur si per seculares principes ecclesiarum prelatis presertim pontificali dignitate preditis opportuni favoris presidium et honor debitus impendatu:. Hodie siquidem ecclesie Cartajan. tunc ex eo etc. usque continetur. Cum itaque filii carissimi sit virtutis opus Dei ministros benigno favore prosequi ac eos verbis et operibus pro regis eterni gloria venerari magestatem vestram regiam cum tu fili Carole etiam Castelle et Legionis Rex existas rogamus et hortamur attente quatenus eundem Franciscum electum et ecclesiam Cartajan. predic-

tam sue cure commissam habentes pro nostra et apostolice Sedis reverentia propensius commendatos in ampliandis et conservandis iuribus suis sic eos benigni favoris auxilio prosequaris quod idem Franciscus electus vestre celsitudinis fultus presidio in commisso sibi dicte ecclesie Cartajan. regimine possit Deo propitio prosperari ac vobis exinde a Deo perennis vite premium et a nobis condigna proveniat actio gratiarum. Datum ut supra.

107h

Apostolicae Sedis consueta clementia

Reg. Lat. 1730 fol. 149rv die 20 iulii 1541

Dilecto filio Francisco de Benavides fratri ordinis Sancti Ieronimi secundum instituta Sancti Augustini salutem etc. Apostolice Sedis consueta clementia ne dispositiones per eam de cathedralibus ecclesiis pro tempore facte valeant quomodolibet impugnari sed persone ad eas promovende illis puro corde et sincera conscientia presidere valeant remedia prout convenit adhibet opportuna. Cum itaque nos hodie ecclesie Cartajan. ad presens certo modo pastoris solatio destitute de persona tua nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorundem consilio apostolica auctoritate providere teque illi in episcopum et pastorem preficere intendamus nos ne si forsan aliquibus sententiis, censuris et penis ecclesiasticis ligatus sis provisio et prefectio predicte possint propterea quomodolibet impugnari providere volentes te a quibusvis excommunicationis etc. ad hoc dumtaxat ut provisio et prefectio predicte ac singule littere apostolice desuper conficiende suum sortiantur effectum auctoritate predicta tenore presentium absolvimus et absolutum fore nuntiamus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac dicte ecclesie iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et constitutionibus ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo etc. nostre absolutionis et nuntiationis etc.

Siquis etc. Datum Romae apud Sanctum Marcum anno etc. millesimo quingentesimo quadragesimo primo, tertio decimo kalendas augusti anno septimo.

107i

Cum nos pridem

Reg. Lat. 1730 fol. 149v-150r die 21 iulii 1541

Dilecto filio Francisco electo Cartajan. salutem etc. Cum nos pridem ecclesie Cartajan. tunc certo modo pastoris solatio destitute de persona tua nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de eorumdem fratrum consilio apostolica auctoritate duxerimus providendum preficiendo te illi in episcopum et pastorem, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur nos ad ea que ad tue commoditatis augmentum cedere valeant favorabiliter annuentes tuis in hac parte suplicationibus inclinati tibi ut a quocumque malueris catholico antistite gratiam et communionem apostolice Sedis habente accitis et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus catholicis episcopis similes gratiam et communionem habentibus munus consecrationis recipere valeas, ac eidem antistiti ut recepto prius per eum a te, nostro et Romane ecclesie nomine fidelitatis debite solito iuramento iuxta formam presentibus annotatam munus predictum auctoritate nostra impendere libere tibi possit plenam et liberam tenore presentium concedimus facultatem, volumus autem et auctoritate predicta statuimus et decernimus quod si non recepto a te per ipsum antistitem predicto iuramento idem antistes munus ipsum tibi impendere et tu illud suscipere presumseritis dictus antistes a pontificalis officii exercitio, et tam ipse quam tu ab administratione tam spiritualium quam temporalium ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso propterea volumus quod forma huiusmodi a te tunc prestiti iuramenti nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo munitas per proprium nuntium quantocius destinare procures per hoc venerabili fratri nostro archiepiscopo Ispalen. cui ecclesia ipsa Cartajan. metropolitico

iure subesse dignoscitur nullum in posterum preiuditium generetur. Forma autem iuramenti quod prestabis hec est: Ego Franciscus electus Cartajan. ab hac ora. Datum Romae apud Sanctum Marcum anno etc. millesimo quingentesimo quadragesimo primo, duodecimo kalendas augusti anno septimo.

108

Meritis tuae devotionis

Arm. XLI 22 fol. 8r — die 2 augusti 1541

DE ORDINATIONE EPISCOPI CARTHAGINENSIS
(*CARTAGENA*)

Cum in partibus Indiarum Occidentalium copia episcoporum haberi nequit, Summus Pontifex concedit, ut episcopus electus de *Cartagena*, Franciscus Benavides Ordinis s. Hieronymi, munus consecrationis suscipere possit ab uno episcopo assistentibus sibi duobus abbatibus.

Paulus III

Dilecto filio Francisco electo Cartazen. [1]

Dilecte fili salutem et apostolicam benedictionem. Meritis tue devotionis inducimur ut commoditatibus tuis quantum cum Deo possumus favorabiliter annuamus. Cum itaque tu de cuius persona nuper Ecclesie Cartazan. provincie Cartazan. in insulis Indiarum consistenti tunc certo expresso modo vacanti per alias nostras sub plumbo confectas litteras Apostolica auctoritate providimus preficiendo te illi in

[1] Id est Carthaginensis (*Cartagena, Columbia*).

episcopum et pastorem ac curam regimen et administrationem dicte Ecclesie plenam committendo tibi in spiritualibus et temporalibus munus consecrationis ad quod nomine dicte Ecclesie teneris suscipere cupias et episcoporum numerum qui in consecrationibus huiusmodi requiritur commode haberi posse non speres, cum in illis partibus copia Episcoporum non sit, nos indennitati tuae providere volentes tuis in hac parte supplicationibus inclinati tibi ut a quoqunque malueris catholico Antistite gratiam et communionem Sedis Apostolice habente accitis et sibi in hoc assistentibus duobus abbatibus usum mitre et baculi ex privilegio Apostolico habentibus munus consecrationis predictum alias iuxta tenore litterarum tibi super munere huiusmodi impendendo sub plumbo concessarum suscipere et illo sic suscepto uti libere et licite valeas ac eidem Antistiti ut illud tibi ut prefertur impendere libere et licite possit. Quibusvis constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscunque nequaquam obstantibus Auctoritate predicta tenore presentium concedimus pariter et indulgemus. Datum Romae apud Sanctum Marcum sub annulo Piscatoris, die 2 augusti 1541, Pontificatus nostri anno 7.

109

Cupientes Iudaeos et alios infideles

Bull. Rom. (ed. Taurinensis) VI 336-337 die 21 martii 1542
Hernáez I 97-99

IN DEFENSIONEM ET PROTECTIONEM NEOPHYTORUM

Ad impediendum, ne Iudaei et alii infideles a proposito sese convertendi timore aut praetexto perdendi bona sua temporalia, arceantur, Summus Pontifex declarat, neophytos bonorum suorum tam mobilium quam immobilium et legitima haereditate privari non posse a parentibus suis, etiam si contra eorum voluntatem ad fidem conversi fuerint. Et si bona illa ex usura vel alio illicito quaestu acquisita fuerant, nec restitui possunt, ideoque ab Ecclesia in pios usus convertenda essent, neophyti propter susceptum baptismum ea retinere possunt. Et si neophyti pauperes sunt, episcopi et fideles eos sustentare

debent, etiam redditibus Ecclesiae. Neophyti privilegiis et libertatibus ac immunitatibus ceterorum fidelium pariter gaudent. Curent sacerdotes, neophytos in articulis fidei diligenter instruere, a commercio cum ceteris infidelibus defendere, cum christianis matrimonio copulare. Contemptores autem praedictorum puniantur et qui tales neophytos ab observatione ritus christiani arcent, poenas contra fautores haereticorum promulgatas ipso facto incurrunt.

Paulus III

Ad perpetuam rei memoriam. Cupientes iudaeos et alios infideles quoslibet ad fidem catholicam converti, et praetextu bonorum per eos antea possessorum ab eadem fide non distrahi, motu proprio et ex certa nostra scientia, auctoritate apostolica, tenore praesentium, hac in posterum valitura constitutione sancimus quod cuicumque eorumdem iudaeorum et infidelium ad dictam fidem converti volenti, etiam si in patria potestate constitutus fuerit, bona sua quaecumque, tam mobilia quam immobilia, intacta et illaesa permaneant. Ita ut etiam filiifamilias et in patria potestate, ut praefertur, constituti, legitima et quacumque portione bonorum patrimonialium aut maternorum, eis de iure seu successione bonorum eis alias debitorum, per eorum parentes fraudari aut privari non possint neque debeant, sed eis integre, etiam si contra voluntatem parentum suorum ad fidem ipsam conversi fuerint, etiam eorum parentibus viventibus, debeantur.

Et si bona ipsa ex usura aut illicito quaestu fuerint acquisita, et notae sint personae, quibus eorum fuerit de iure facienda restitutio (quia non dimittitur peccatum, nisi restituatur male ablatum), illa eisdem personis omnino restituantur; personis vero non extantibus praedictis, quia bona ipsa essent per manus ecclesiae in pios usus convertenda, bona huiusmodi eisdem iudaeis et aliis infidelibus, in favorem suscepti baptismatis, tamquam in pium usum libere concedimus, eaque apud ipsos sic conversos iudaeos et alios infideles remanere decernimus. Interdicentes, sub divini anathematis poena, quibusvis tam ecclesiasticis quam saecularibus personis, ne ullam super bonis huiusmodi, quovis quaesito colore, molestiam inferant, aut inferri patiantur; sed magnum se fecisse lucrum existiment, dum tales Christo lucrati fuerint.

Et quoniam, ut scriptum est, qui habuerit substantiam mundi huius et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in ipso? si ipsi conversionis

tempore inopes aut indigentes fuerint, omnes, tam ecclesiasticos quam saeculares, per viscera misericordiae Dei nostri exhortamur ut ipsis conversis manus porrigant adiutrices; ipsi quoque dioecesani non solum christianos ad subveniendum ipsis exhortentur, sed etiam, tam de redditibus ecclesiarum, prout poterunt, quam de his, quae ad pauperum usus per ipsos convertendos devolvuntur, huiusmodi neophitos substentare non negligant, ipsosque a detractionibus et contumeliis paterna affectione defendant.

Et quoniam per gratiam baptismi cives sanctorum et domestici Dei efficiuntur, longeque dignius existit regnare spiritu, quam nasci carne, eadem constitutione statuimus ut civitatum et locorum, in quibus sancto baptismate pro tempore regenerabuntur, vere cives sint, et privilegiis ac libertatibus et immunitatibus, quae alii, ratione nativitatis et originis dumtaxat, consequuntur, gaudeant.

Curent insuper sacerdotes baptizantes et alii sacro fonte eos suscipientes, tam ante baptismum quam post, illos in articulis fidei, ac legis novae praeceptis catholicaeque ecclesiae ritibus diligenter instruere; et tam ipsi quam dioecesani operam dent ne cum aliis iudaeis seu infidelibus saltem per longum tempus conversentur, ne, sicut quandoque contingit, ab infirmitate curatis, modica occasio ad pristinam damnationem recidivam efficiat.

Et quoniam, experientia teste, compertum est mutuam ipsorum neophitorum inter se conversationem ipsos in fide nostra fragiliores reddere, ac saluti ipsorum plurimum officere, hortamur locorum ordinarios ut, quantum pro incremento fidei viderint expedire, curent et studeant neophitos ipsos cum originariis christianis matrimonio copulare.

Et prohibeant eisdem, sub gravibus poenis, ne mortuos more iudaeorum sepeliant, aut sabbata aliasque solemnitates, et antiquae sectae ritus quoquomodo observent, sed et ecclesias et praedicationes, prout alii catholici, frequentent, et in omnibus christianorum moribus se conformes reddant.

Contemptores autem praedictorum, per sacerdotes, in quorum parochiis degent, aut alios, ad quos, de iure vel antiqua consuetudine, de talibus inquirere spectat, aut etiam per alios quoscumque, dioecesanis seu inquisitoribus haereticae pravitatis deferant, et invocato, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis, per eos taliter puniantur, quod aliis transeat in exemplum. Et insuper de his omnibus in provincialibus et synodalibus conciliis diligens fiat inquisitio, et tam circa episcopos et sacerdotes in praemissis negligentes, quam ipsos neophitos et infideles praedictos contemptores, opportunum adhibeatur remedium.

Si quis autem, cuiuscumque gradus vel praeeminentiae fuerit, huiusmodi neophitos, ne observationem ritus christiani et aliorum praedictorum complectantur, foverit aut defenderit, poenas contra fautores haereticorum promulgatas ipso facto incurrant; neophiti vero si se corrigere post monitionem canonicam neglexerint, et ad vomitum, iudaizantes, redire comperti sint, contra eos, tamquam perfidos haereticos, per odinarios locorum, secundum sacrorum canonum instituta, procedatur.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis privilegiis, indultis et literis, etiam apostolicis, seu etiam regiis vel imperialibus eisdem iudaeis vel infidelibus quomodolibet concessis, quae, quatenus in detrimentum catholicae fidei, aut nominis christiani, seu aliquorum ex praemissis quomodolibet vergerent, et ad effectum praesentium, cassamus et irritamus, ac cassa et irrita esse decernimus, aliis decretis et constitutionibus apostolicis, quae super praemissis sunt condita, in suo robore duraturis.

Et ut huiusmodi sanctae constitutionis iugis memoria habeatur, et ne quisquam ipsius ignorantiam praetendere possit, illam per singulas cathedrales et collegiatas ecclesias, aliaque pia loca, in quibus uberior erit fidelium concursus, semel in anno, ad minus, infra divina publicari volumus et decernimus.

Et quia difficile foret etc.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXI martii, millesimo quingentesimo quadragesimo secundo, pontificatus nostri anno VIII.

110a

Apostolatus officium

Reg. Lat. 1736 fol. 290rv — die 19 decembris 1543

PROVISIO ECCLESIAE CIVITATIS REGALIS (*CHIAPAS, SAN CRISTÓBAL DE LAS CASAS*)

Post obitum Ioannis de Arteaga episcopi Civitatis Regalis, Bartholomaeus de Las Casas Ordinis Praedicatorum, ab imperatore praesentatus, eidem Ecclesiae praeficitur, et cura atque administratio Ecclesiae in spiritualibus et temporalibus ei plenarie committitur.

Provisio haec capitulo Ecclesiae Civitatis Regalis et simili modo clero et populo civitatis et dioecesis nuntiatur, necnon archiepiscopo Hispalensi electio Bartholomaei communicatur, pro quo Summus Pontifex favorem fraternum et praesidium archiepiscopi rogat, cuius suffraganea Ecclesia Civitatis Regalis existit. Etiam Carolo Romanorum imperatori et Ioannae reginae electio Bartholomaei nuntiatur, pro quo Pontifex favorem regium et tutamen in conservandis iuribus expetit.

Electo episcopo vero absolutio a censuris et poenis ecclesiasticis quae forsan obstant ne litterae apostolicae de provisione conficiendae suum effectum sortiantur, impertitur, eique facultas conceditur, ut a quocumque maluerit catholico Antistite munus consecrationis suscipere possit, assistentibus sibi duobus vel tribus episcopis, et iuramento consueto ritu praestito.

Paulus III

Dilecto filio Bartholomeo de Las Casas [1] electo Civitatis Regalis salutem etc. Apostolatus officium meritis licet imparibus nobis ex alto commisso quo ecclesiarum omnium regimini divina dispositione presidemus utiliter exequi quo adiuvante Domino cupientes solertia reddimur indefessa solliciti ut cum de ecclesiarum ipsarum regiminibus agitur committendis tales eis in pastores preficere studeamus qui populum sue cure creditum sciant non solum doctrina verbi sed etiam exemplo boni operis informare commissasque sibi ecclesias in statu pacifico et tranquillo velint et valeant auctore Domino salubriter regere et feliciter gubernare. Sane ecclesia Civitatis Regalis in insulis de Chiapa nuncupatis Indiarum maris Occeani que de iure patronatus carissimi in Christo filii nostri Caroli Romanorum Imperatoris semper Augusti qui etiam Ispaniarum Rex existit ex privilegio Apostolico

[1] Bartholomaeus de Las Casas natus est anno 1474 in civitate Sevilla, anno 1502 in insulam Hispaniolam profectus et anno 1510 sacerdos ordinatus est ac Ordini Fratrum Praedicatorum nomen dedit; mortuus est mense iulii anni 1566 in Madrid. BM II 96; *Lopetegui-Zubillaga* 106-108.

cui non est actenus in aliquo derogatum fore dinoscitur et cui bone memorie Iohannes Artheaga [2] olim episcopus Civitatis Regalis dum viveret presidebat per obitum eiusdem Iohannis episcopi qui extra Romana curia debitum nature persolvit pastoris solatio destitute nos vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta ad provisionem eiusdem ecclesie celerem et felicem ne ecclesia ipsa longe vacationis exponatur incommodis paternis et sollicitis studiis intendentes post deliberationem quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te ordinis fratrum praedicatorum professorem in presbiteratus ordine constitutum quem prefatus Carolus Imperator et Rex nobis ad hoc per suas litteras presentavit et cui apud nos de litterarum scientia, vite munditia, honestate morum, spiritualium providentia et temporalium circumspectione aliisque multiplicum virtutum donis fidedigna testimonia perhibentur direximus oculos nostre mentis. Quibus omnibus debita meditatione pensatis de persona tua nobis et eisdem fratribus ob tuorum exigentiam meritorum accepta prefate ecclesie cum limitibus et diocesis per eundem Carolum Imperatorem et Regem pro sibi assidue videlicet illi assignatis vel assignandis de fratrum eorundem consilio Apostolica auctoritate providemus teque illi in episcopum preficimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo in illo qui dat gratias et largitur premia confidentes quod prefata ecclesia sub tuo felici regimine regetur utiliter et prospere dirigetur ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa; iugum igitur Domini tuis impositum humeris prompta devotione suscipiens curam et administrationem predictas sic exercere studeas sollicite, fideliter et prudenter quod ecclesia ipsa gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam tuque preter eterne retributionis premium nostram et Apostolice Sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo quadragesimo tertio, quarto decimo kalendas ianuarii anno decimo.

---

[2] De Ioanne de Arteaga cfr. supra doc. 102.

110b

Hodie Ecclesiae vestrae

Reg. Lat. 1736 fol. 290v-291r die 19 decembris 1543

Dilectis filiis capitulo ecclesie Civitatis Regalis salutem etc. Hodie ecclesie vestre Civitatis Regalis tunc per obitum bone memorie Iohannis Artiaga olim episcopi Civitatis Regalis extra Romana curia defuncti pastoris solatio destitute de persona dilecti filii Bartholomei electi Civitatis Regalis nobis et fratribus nostris ob suorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorumdem consilio apostolica auctoritate providimus ipsumque illi in episcopum preficimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Quocirca etc. mandamus quatinus eidem Bartholomeo electo tamquam patrem et pastorem animarum vestrarum humiliter intendentes ac exhibentes sibi obedientiam et reverentiam debitas et devotas eius salubria monita et mandata suscipiatis humiliter et efficaciter adimplere curetis alioquin sententiam quam idem Bartholomeus electus rite tulerit in rebelles ratam habebimus et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum ut supra.

110c.

Hodie Ecclesiae Civitatis Regalis

Reg. Lat. 1736 fol. 291r die 19 decembris 1543

Dilectis filiis clero civitatis et diocesis Civitatis Regalis salutem etc. Hodie ecclesie Civitatis Regalis tunc per obitum bone memorie Iohannis Artiaga olim episcopi Civitatis Regalis extra Romana curia defuncti pastoris solatio destitute de persona etc. ut supra usque continetur. Quocirca etc. mandamus quatinus eidem Bartholomeo electo tamquam patri et pastori animarum vestrarum humiliter intendentes honore ac exhibentes sibi obedientiam et reverentiam debitas et devotas eius salubria monita et mandata suscipiatis humiliter et efficaciter adimplere curetis alioquin sententiam quam idem Bartholomeus electus rite tulerit in rebelles ratam habebimus et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum ut supra.

110d

Hodie Ecclesiae Civitatis Regalis

Reg. Lat. 1736 fol. 291r — die 19 decembris 1543

Dilectis filiis populo civitatis et diocesis Civitatis Regalis salutem etc. Hodie ecclesie Civitatis Regalis tunc per obitum bone memorie Iohannis Artiaga olim episcopi Civitatis Regalis extra Romana curia defuncti pastoris solatio destitute de persona etc. ut supra usque continetur. Quocirca universitatem vestram monemus et ortamur attente vobis per Apostolica scripta mandamus quatinus eundem Bartholomeum electum tamquam patrem et pastorem animarum vestrarum devote suscipientes et debita honorificentia prosequentes eius monitis et mandatis salubribus humiliter intendatis ita quod dictus Bartholomeus electus in vobis devotionis filios et vos in eo per consequens patrem benivolum invenisse gaudeatis. Datum ut supra.

110e

Hodie Ecclesiae Civitatis Regalis

Reg. Lat. 1736 fol. 291rv die 19 decembris 1543

Dilectis filiis universis vassallis ecclesiae Civitatis Regalis salutem etc. Hodie ecclesie Civitatis Regalis tunc per obitum bone memorie Iohannis Arthiaga olim episcopi Civitatis Regalis extra Romana curia defuncti pastoris solatio destitute de persona etc. ut supra usque continetur. Quocirca universitati vestre per apostolica scripta mandamus quatinus eundem Bartholomeum electum tanquam patrem et pastorem animarum vestrarum devote suscipientes et debita honorificentia prosequentes ei fidelitatem solitam necnon consueta servitia et iura sibi a vobis debita integre exhibere studeatis alioquin sententiam sive penam quam dictus Bartholomeus electus rite tulerit sive statuerit in rebelles ratam habebimus et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum ut supra.

110f

Ad cumulum tuae cedit salutis

Reg. Lat. 1736 fol. 291v die 19 decembris 1543

Venerabili fratri archiepiscopo Ispalen. salutem etc. Ad cumulum tue cedit salutis et fame si personas ecclesiasticas presertim pontificali dignitate preditas divine propitiationis intuitu opportuni presidii et favoris gratia prosequaris. Hodie siquidem ecclesie Civitatis Regalis

tunc per obitum bone memorie Iohannis Arthiaga olim episcopi Civitatis Regalis extra Romana curia defuncti pastoris solatio destitute de persona etc. ut supra usque continetur. Cum igitur ut idem Bartholomeus electus in commissa sibi dicte ecclesie cura facilius preficere valeat tuus favor sibi fore noscatur plurimum opportunus fraternitatem tuam rogamus et ortamur attente tibi per Apostolica scripta mandamus quatinus eundem Bartholomeum electum et prefatam ecclesiam suffraganeam tuam habens pro nostra et Apostolice Sedis reverentia propensius commendatos in ampliandis et conservandis iuribus sic eos tui favoris presidio prosequaris quod idem Bartholomeus electus per tue auxilium gratie se possit in commisso sibi dicte ecclesie regimine utilius exercere tuque divinam misericordiam ac nostram et dicte Sedis benedictionem et gratiam valeas exinde uberius provideri. Datum ut supra.

110g

Gratiae divinae praemium

Reg. Lat. 1736 fol. 291v-292r die 19 decembris 1543

Carissimo in Christo filio Carolo Romanorum Imperatori semper Augusto et carissime in Christo filie Iohanne Castelle et Legionis Regine illustri salutem etc. Gratie divine premium et humane laudis preconium acquiritur si per seculares principes personis ecclesiasticis presertim pontificali dignitate preditis opportuni favoris presidium et honor debitus impendatur. Hodie siquidem ecclesie Civitatis Regalis tunc per obitum bone memorie Iohannis Artiaga olim episcopi Civitatis Regalis extra Romana curia defuncti pastoris solatio destitute de persona etc. ut supra usque continetur. Cum itaque filii carissimi sit virtutis opus Dei ministros benigno favore prosequi ac eos verbis et operibus pro regis eterni gloria venerari serenitatem vestram [cum] tu fili Carole etiam Castelle et Legionis Rex existas rogamus et ortamur attente quatinus eundem Bartholomeum electum et ecclesiam pre-

dictam sue cure commissam habentes pro nostra et Apostolice Sedis reverentia propensius commendatos in ampliandis et conservandis iuribus suis sic eos benigni favoris auxilio prosequamini quod ipse Bartholomeus electus vestri favoris suffultus presidio in commisso sibi dicte ecclesie regimine possit Deo propitio prosperari ac vobis exinde a Deo perennis vite premium et a nobis condigna proveniat actio gratiarum. Datum ut supra.

110h

Apostolicae Sedis consueta clementia

Reg. Lat. 1736 fol. 292v die 19 decembris 1543

Dilecto filio Bartholomeo de Las Casas ordinis fratrum praedicatorum professori salutem etc. Apostolice Sedis consueta clementia ne dispositiones per eam de cathedralibus ecclesiis pro tempore facte valeant quomodolibet impugnari sed persone ad eas promovende illis puro corde et sincera conscientia presidere valeant remedia prout convenit adibet opportuna. Cum itaque nos hodie ecclesie Civitatis Regalis ad presens certo modo pastoris solatio destitute de persona tua nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorundem consilio Apostolica auctoritate providere teque illi in episcopum et pastorem preficere intendamus nos ne si forsan aliquibus sententiis, censuris et penis ecclesiasticis ligatus sis provisio et prefectio predicte possint propterea quomodolibet impugnari providere volentes te a quibusvis excommunicationis etc. ad hoc dumtaxat ut provisio et prefectio predicte ac singule littere Apostolice desuper conficiende suum sortiantur effectum auctoritate Apostolica tenore presentium absolvimus et absolutum fore nuntiamus non obstantibus consitutionibus et ordinationibus Apostolicis ac dicte ecclesie iuramento confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo etc. nostre absolutionis et nunciationis etc. Si quis etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo quadragesimo tertio, quarto decimo kalendas ianuarii anno decimo.

110i

Cum nos pridem

Reg. Lat. 1736 fol. 293rv — die 20 decembris 1543

Dilecto filio Bartholomeo electo Civitatis Regalis salutem etc. Cum nos pridem ecclesie Civitatis Regalis tunc certo modo pastoris solatio destitute de persona tua nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorundem consilio Apostolica auctoritate duxerimus providendum preficiendo te illi in episcopum et pastorem, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Nos ad ea que ad tue commoditatis augmentum cedere valeant favorabiliter intendentes tuis in hac parte supplicationibus inclinati tibi ut a quocumque malueris catholico antistite gratiam et communionem Apostolice Sedis habente accitis et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus catholicis episcopis similes gratiam et communionem habentibus munus consecrationis recipere valeas ac eidem antistiti ut recepto prius per eum a te nostro et Romane Ecclesie nomine fidelitatis solito iuramento iuxta formam presentibus annotatam munus predictum auctoritate nostra impendere libere tibi possit plenam et liberam earundem tenore presentium concedimus facultatem. Volumus autem et auctoritate predicta statuimus et decernimus quod si non recepto a te per ipsum antistitem predicto iuramento idem antistes munus ipsum tibi impendere et tu illud suscipere presumpseritis dictus antistes a pontificalis officii exercitio et tam ipse quam tu ab administratione tam spiritualium quam temporalium ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso. Preterea volumus quod formam huiusmodi a te tunc prestiti iuramenti nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo munitas per proprium nuncium quantocius destinare procures. Quodque per hoc venerabili fratri nostro archiepiscopo

Ispalen. cui ecclesia ipsa metropolitico iure subesse dinoscitur nullum imposterum preiuditium generetur. Forma autem iuramenti talis est: Ego Bartholomeus electus etc. Datum Romae apud Sanctum Marcum anno etc. millesimo quingentesimo quadragesimo tertio, tertio decimo kalendas ianuarii anno decimo.

111a

Apostolatus officium

Reg. Lat. 1736 fol. 293v-294r die 19 decembris 1543

PROVISIO ECCLESIAE SANCTAE MARTHAE

Post mortem Ioannis de Angulo, episcopi Sanctae Marthae, quae ex privilegio apostolico de iure patronatus regis Hispaniae existit, Martinus de Calatayud, Ordinis Sancti Hieronymi, quem Carolus imperator et rex praesentaverat, novus episcopus eiusdem Ecclesiae Sanctae Marthae constituitur.

Provisio haec capitulo Ecclesiae Sanctae Marthae, clero civitatis et dioecesis ac simili modo populo et universis vasallis eiusdem Ecclesiae nuntiatur. Archiepiscopus Hispalensis (*Sevilla*) cuius suffraganea Ecclesia Sanctae Marthae existit, monetur ut novum episcopum et ipsam Ecclesiam commendatos sibi habeat. Carolo Romanorum imperatori et Ioannae reginae quoque provisionem hanc Summus Pontifex communicat eisque episcopum Martinum commendat. Electo episcopo vero absolutio a censuris et poenis ecclesiasticis quibus forsan ligatus est impertitur, ut litterae apostolicae de provisione conficiendae effectum suum sortiantur, eique facultas conceditur, ut a quocumque maluerit catholico Antistite munus consecrationis suscipere possit, assistentibus sibi duobus vel tribus episcopis, debito iuramento fidelitatis praestito.

Paulus III

Dilecto filio Martino de Calatayud [1] electo Sancte Marthe salutem etc. Apostolatus officium meritis licet imparibus nobis ex alto commissum quo ecclesiarum omnium regimini divina dispositione presidemus utiliter exequi quo adiuvante Domino cupientes solliciti corde reddimur indefessa solliciti ut cum de ecclesiarum ipsarum regiminibus agitur committendis tales eis in pastores preficere studeamus qui populum sue cure creditum sciant non solum doctrina verbi sed etiam exemplo boni operis informare commissasque sibi ecclesias in statu prospero et tranquillo velint et valeant auctore Domino salubriter regere et feliciter gubernare. Sane ecclesia Sancte Marthe in insulis Indiarum maris Occeani que de iure patronatus carissimi in Christo filii nostri Caroli Romanorum Imperatori semper Augusti qui etiam Ispaniarum Rex existit ex privilegio Apostolico cui non est actenus in aliquo derogatum fore dinoscitur et cui bone memorie Iohannis de Angulo [2] olim episcopus Sancte Marthe dum viveret presidebat per obitum ipsius Iohannis episcopi qui extra Romana curia debitum nature persolvit pastoris solatio destituta nos vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta ad provisionem eiusdem ecclesie celerem et felicem ne ecclesia ipsa longe vacationis exponatur incommodis paternis et sollicitis studiis intendentes post deliberationem quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem. Demum ad te fratrem ordinis Sancti Ieronimi sub regula Sancti Augustini in presbiteratus ordine constitutum quem prefatus Carolus Imperator et Rex nobis ad hoc per suas litteras presentavit et cui apud nos de litterarum scientia vite munditia, honestate morum, spiritualium providentia et temporalium circumspectione aliisque multiplicum virtutum donis fidedigna testimonia perhibentur dreximus oculos nostre mentis quibus omnibus debita meditatione pensatis de persona tua nobis et eiusdem fratribus ob tuorum exigentiam meritorum accepta prefate ecclesie cum limitibus et diocesi per eundem Carolum Imperatorem et Regem prout sibi expedire videbitur illi assignatis vel assignandis de fratrum eorundem consilio auctoritate Apostolica providemus teque illi in episcopum preficimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie tibi

[1] Martinus de Calatayud, Ordinis Sancti Hieronymi; mortuus est die 9 novembris 1548. *Egaña* 17-20; *Mesanza,* Carta importante y curiosa.

[2] De Ioanne de Angulo cfr. supra doc. 73.

in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo in illo qui dat gratias et largitur premia confidentes quod prefata ecclesia sub tuo felici regimine regetur utiliter et prospere dirigetur ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa; iugum igitur Domini tuis impositum humeris prompta devotione suscipiens curam et administrationem predictas sic exercere studeas sollicite, fideliter et prudenter quod ecclesia ipsa gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam tuque preter eterne retributionis premium nostram et dicte Sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo quadragesimo tertio, quarto decimo kalendas ianuarii anno decimo.

111b

Hodie Ecclesiae vestrae

Reg. Lat. 1736 fol. 294rv — die 19 decembris 1543

Dilectis filiis capitulo ecclesie Sancte Marthe salutem etc. Hodie ecclesie vestre Sancte Marthe tunc per obitum bone memorie Iohannis de Angulo olim episcopi Sancte Marthe extra Romana curia defuncti pastoris solatio destitute de persona dilecti filii Martini de Calatayud electi Sancte Marthe nobis et fratribus nostris ob suorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorundem consilio Apostolica auctoritate providimus ipsumque illi in episcopum prefecimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Quocirca etc. mandamus quatinus eidem Martino electo tamquam patri et pastori animarum vestrarum humiliter intendentes ac exhibentes sibi obedientiam et reverentiam debitas et devotas eius salubria monita et mandata suscipiatis humiliter et efficaciter adimplere curetis alioquin sententiam quam idem Martinus electus rite tulerit in rebelles ratam habebimus et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum ut supra.

111c

Hodie Ecclesiae Sanctae Marthae

Reg. Lat. 1736 fol. 294v die 19 decembris 1543

Dilectis filiis clero civitatis et diocesis Sancte Marthe salutem etc. Hodie Ecclesie Sancte Marthe tunc per obitum bone memorie Iohannis de Angulo olim episcopi Sancte Marthe extra Romana curia defuncti pastoris solatio destitute de persona etc. ut supra usque continetur. Quocirca etc. mandamus quatinus eidem Martino electo tamquam patrem et pastorem animarum vestrarum humiliter intendentes ac exhibentes sibi obedientiam et reverentiam debitas et devotas eius salubria monita et mandata suscipiatis humiliter et efficaciter adimplere curetis alioquin sententiam quam idem Martinus electus rite tulerit in rebelles ratam habebimus et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum ut supra.

111d

Hodie Ecclesiae Sanctae Marthae

Reg. Lat. 1736 fol. 294v die 19 decembris 1543

Dilectis filiis populo civitatis et diocesis Sancte Marthe salutem etc. Hodie ecclesie Sancte Marthe tunc per obitum bone memorie Io-

hannis de Angulo episcopi Sancte Marthe extra Romana curia defuncti pastoris solatio destitute de persona etc. ut supra usque continetur. Quocirca universitatem vestram monemus et ortamur attente vobis per Apostolica scripta mandantes quatinus eundem Martinum electum tamquam patrem et pastorem animarum vestrarum devote suscipientes et debita honorificentia prosequentes eius monitis et mandatis salubribus humiliter intendatis ita quod dictus Martinus electus in vobis devotionis filios et vos in eo per consequens patrem benivolum invenisse gaudeatis. Datum ut supra.

111e

Hodie Ecclesiae Sanctae Marthae

Reg. Lat. 1736 fol. 294v-295r die 19 decembris 1543

Dilectis filiis universis vassallis ecclesie Sancte Marthe salutem etc. Hodie ecclesie Sancte Marthe tunc per obitum bone memorie Iohannis de Angulo olim episcopi Sancte Marthe extra Romana curia defuncti pastoris solatio destitute de persona etc. ut supra usque continetur. Quocirca universitati vestre etc. mandamus quatinus eundem Martinum electum tamquam patrem et pastorem animarum vestrarum devote suscipientes et debita honorificentia prosequentes ei fidelitatem solitam necnon consueta servitia et iura sibi a vobis debita integre exhibere studeatis alioquin sententiam sive penam quam dictus Martinus electus rite tulerit sive statuerit in rebelles ratam habebimus et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum ut supra.

111f

Ad cumulum tuae cedit salutis

Reg. Lat. 1736 fol. 295r die 19 decembris 1543

Venerabili fratri archiepiscopo Ispalen. salutem etc. Ad cumulum tue cedit salutis et fame si personas ecclesiasticas presertim pontificali dignitate preditas divine propitiationis intuitu opportuni presidii et favoris gratia prosequaris; hodie siquidem ecclesie Sancte Marthe tunc per obitum bone memorie Iohannis de Angulo olim episcopi Sancte Marthe extra Romana curia defuncti pastoris solatio destitute de persona etc. ut supra usque continetur. Cum igitur ut idem Martinus electus in commissa sibi dicte ecclesie cura facilius preficere valeat tuus favor sibi fore noscatur plurimum opportunus fraternitatem tuam rogamus et ortamur attente tibi per Apostolica scripta mandantes quatinus eundem Martinum electum et prefatam ecclesiam sufraganeam tuam habens pro nostra et Apostolice Sedis reverentia propensius commendatos in ampliandis et conservandis iuribus suis sic eos tui favoris presidio prosequaris quod idem Martinus electus per tue auxilium gratie se possit in commisso sibi dicte ecclesie regimine utilius exercere tuque divinam misericordiam et nostram et dicte Sedis benedictionem et gratiam uberius promereri. Datum ut supra.

111g

Gratiae divinae praemium

Reg. Lat. 1736 fol. 295rv die 19 decembris 1543

Carissimo in Christo filio Carolo Romanorum Imperatori semper Augusto et carissime in Christo filie Iohanne Castelle et Legionis Regine illustri salutem etc. Gratie divine premium et humane laudis preconium acquiritur si per seculares principes personis ecclesiasticis presertim pontificali dignitate preditis opportuni favoris presidium et honor debitus impendatur. Hodie siquidem ecclesie Sancte Marthe tunc per obitum bone memorie Iohannis de Angulo olim episcopi Sancte Marthe extra Romana curia defuncti pastoris solatio destitute de persona etc. ut supra usque continetur. Cum igitur fili carissimi sit virtutis opus Dei ministros benigno favore prosequi et eos verbis et operibus pro regis eterni gloria venerari serenitatem vestram cum tu fili Carole etiam Castelle et Legionis Rex existas rogamus et ortamur attente quatinus eundem Martinum electum et ecclesiam predictam sue cure commissam habens pro nostra et Apostolice Sedis reverentia propensius commendatos in ampliandis et conservandis iuribus suis sic eos benigni favoris auxilio prosequamini quod ipse Martinus electus vestri favoris fultus presidio in commisso sibi dicte ecclesie regimine possit Deo propitio prosperari ac vobis exinde a Deo perennis vite premium et a nobis condigna proveniat actio gratiarum. Datum ut supra.

111h

Apostolicae Sedis consueta clementia

Reg. Lat. 1736 fol. 295v-296r — die 19 decembris 1543

Dilecto filio Martino de Calatayud fratri ordinis fratrum Sancti Ieronimi sub regula Sancti Augustini salutem etc. Apostolice Sedis consueta clementia ne dispositiones per eam de cathedralibus ecclesiis pro tempore facte valeant quomodolibet impugnari sed persone ad eas promovende illis puro corde et sincera conscientia presidere valeant remedia prout convenit adibet opportuna. Cum itaque nos hodie ecclesie Sancte Marthe ad presens certo modo pastoris solatio de-

stitute de persona tua nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorundem consilio Apostolica auctoritate providere teque illi in episcopum et pastorem preficere intendamus nos ne si forsan aliquibus sententiis, censuris et penis ecclesiasticis ligatus sis provisio et prefectio predicte possint propterea quomodolibet impugnari providere volentes te a quibusvis excommunicationis etc. innodatus existis ad hoc dumtaxat ut provisio et prefectio predicte ac singule littere Apostolice desuper conficiende suum sortiantur effectum auctoritate Apostolica tenore presentium absolvimus et absolutum fore nuntiamus non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ac dicte ecclesie iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo etc. nostre absolutionis et nuntiationis etc. Siquis etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo quadragesimo tertio, quarto decimo kalendas ianuarii anno decimo.

111i

Cum nos pridem

Reg. Lat. 1736 fol. 296rv — die 20 decembris 1543

Dilecto filio Martino electo Sancte Marthe salutem etc. Cum nos pridem ecclesie Sancte Marthe tunc certo modo pastoris solatio destitute de persona tua nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorundem consilio Apostolica auctoritate duxerimus providendum preficiendo te illi in episcopum et pastorem prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Nos ad ea que ad tue commoditatis augmentum cedere valeant favorabiliter intendentes tuis in hac parte supplicationibus inclinati tibi ut a quocumque malueris catholico antistite gratiam et communionem Apostolice Sedis habente accitis et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus catholicis episcopis similes gratiam et communionem habentibus

munus consecrationis recipere valeas, ac eidem antistiti ut recepto prius per eum a te nostro et Romane ecclesie nomine fidelitatis debite solito iuramento iuxta formam presentibus annotatam munus predictum auctoritate nostra impendere libere tibi possit plenam et liberam earundem tenore presentium concedimus facultatem volumus autem et auctoritate predicta statuimus et decernimus quod si non recepto a te per ipsum antistitem predicto iuramento idem antistes munus ipsum tibi impendere et tu illud suscipere presumseritis dictus antistes a pontificalis officii exercitio et tam ipse quam tu ab administratione tam spiritualium quam temporalium ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso preterea volumus quod formam huiusmodi a te tunc prestiti iuramenti nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo munitas per proprium nuntium quantocitius destinare procures. Quodque per hoc venerabili fratri nostro archiepiscopo Ispalen. cui ecclesia ipsa metropolitico iure subesse dinoscitur nullum in posterum preiuditium generetur. Forma autem iuramenti per te prestandi talis est: Ego Martinus electus etc. Datum Romae apud Sanctum Marcum anno etc. millesimo quingentesimo quadragesimo tertio, tertio decimo kalendas ianuarii anno decimo.

112

Cum sicut accepimus

Arm. XLI 29 fol. 171r-172r — die 14 februarii 1544

DE NOVELLIS MISSIONARIIS AB IMPERATORE IN INDIAS OCCIDENTALES DESTINATIS

Carolus imperator episcopum electum Bartholomaeum de Las Casas, Dominicum de Betanzos et Ioannem de la Magdalena et duodecim alios Dominicanos ad propagandam fidem in partibus Indiarum Occidentalium destinavit. Summus Pontifex eum propterea laudat, et missionarios *tamquam nostri et Apostolicae Sedis praedicatores* benedicit, eisque privilegia, gratias et indulgentias missionariis concedi solita, elargitur, quibus etiam in itinere uti possunt. Horas canonicas et divina officia recitare possunt, etiam iuxta brevia-

rium nuper correctum, *extra tamen chorum*. Episcopus cum liquore balsamo consecrari potest, si in illis partibus aliud balsamum haberi nequit. A visitatione ad limina episcopus dispensatur.

Paulus III

Venerabili fratri Moderno episcopo Mexicanen. [1]

Venerabilis frater salutem etc. Cum sicut accepimus carissimus in Cristo filius noster Carolus Romanorum Imperator semper Augustus et Hispaniarum Rex Catolicus fraternitatem tuam et dilectos filios Dominicum de Betanzos [2] ac Iohannem de la Magdalena [3] et certos alios religiosos ordinis fratrum predicatorum professores usque ad numerum duodecim ad certas terras et Indias in partibus meridianis noviter repertas ac illarum Reges, principes et rempublicam fidem Cristi non agnoscentes ad divini nominis honorem et gloriam eiusque fidei exaltationem in fide Cristi eiusque saluberrimis dogmatibus instruendos ac in salutis semitas dirigendos destinaverit, nos pium et laudabile ipsius Caroli Imperatoris propositum plurimum in Domino commendantes vobis et vestrum cuilibet ut onus huiusmodi vestris impositum humeris pro Regis eterni gloria devote suscipientes etiamsi vos filii Dominice et Iohannes ac alii religiosi aliquibus prioratibus vel collegiis seu lecturis aut aliis officiis vel regiminibus in eodem ordine astricti sitis ad partes et Indias predictas tamquam nostri et Apostolice Sedis predicatores cum gratia nostre benedictionis superiorum eiusdem ordinis generalis aut provincialium vel cuiusvis alterius licentia desuper requisita licet non obtenta accedentes interim omnibus et singulis privilegiis, gratiis et indulgentiis etiam plenariis ordinibus mendicantium ac illorum religiosis et predicatoribus verbum Dei in quibus-

---

[1] Bartholomaeus de Las Casas. Nominatur hoc loco «episcopus Mexicanensis». De eo cfr. supra doc. 110.

[2] Dominicus de Betanzos natus est anno 1480 in Hispania, Ordini Fratrum Praedicatorum nomen dedit, anno 1526 cum aliis Dominicanis in Novam Hispaniam se contulit, 1532 nominatus est provincialis; nominationem ad sedem episcopalem Ecclesiae *Guatemala* recusavit; anno 1549 in Hispaniam reversus est ut assumeret munus procuratoris generalis sui Ordinis, sed eodem anno, die 10 septembris mortuus est in *Valladolid*. BM II 549; *Carreño*, Fr. Domingo de Betanzos.

[3] Ioannes de la Magdalena, OP, anno 1544 cum aliis subscripsit «Parecer de los Frailes de la orden de Santo Domingo de la Nueva España sobre repartimientos». BM II 525.

vis mundi partibus infidelibus predicantes per felice recordatione Adrianum VI et quoscumque alios Romanos Pontifices predecessores nostros ac nos et Sedem Apostolicam in generalem vel in specialem et ad ipsius Caroli Imperatoris instantiam concessis uti, potiri et gaudere tuque et dicti religiosi ac alii clerici te committantes in itinere huiusmodi et [...] ducentes horas canonicas diurnas pariter et nocturnas, ac alia divina officia secundum usum et morem Romane Ecclesie etiam iuxta breviarium nuper correctum extra tamen chorum dicere et recitare ac tu cum liquore balsamo inibi nuncupato si aliud balsamum in partibus ipsis commode haberi non possit crisma consecrari libere et licite valeatis auctoritate Apostolica tenore presentium de speciali gratia indulgemus ac omnibus et singulis dicti ordinis fratrum predicatorum superioribus tam generali quam provincialibus ac aliis cristifidelibus cuiuscumque dignitatis, status et conditionis existentibus per universum orbem constitutis ne generalis vel alii superiores prefati eosdem religiosos ne tecum accedere valeant impedire vel postquam tecum accesserint ut prefertur ad alium locum transferre ipsive aut alii quicunque vos seu vestrum aliquem directe vel indirecte quovis quesito colore impedire, perturbare aut molestare audeant vel presumant sub excommunicationis late sententie pena per quemlibet contravenientem ipso facto incurrenda a qua non nisi per Sedem predictam seu vos preterquam in mortis articulo absolvi posse volumus districtius inhibemus ac iuramentum per te de limina Apostolorum de urbe visitando prestitum quamdiu in dicta tua Ecclesia et aliis illarum partium provinciis resederis dumtaxat tibi auctoritate Apostolica et tenore predictis relaxamus quodque interim eadem limina visitare minime tenearis concedimus et indulgemus. Non obstantibus premissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis necnon dicti ordinis iuramento confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus necnon privilegiis, indultis et litteris Apostolicis ordini predicto ac illius superioribus etiam generali et fratribus per nos et dictam Sedem concessis et confirmatis quibus illorum veriores tenores presentibus pro sufficienter expressis habentes illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus ceterisque contrariis quibuscumque decernentes presentium litterarum transumptis manu notarii publici subscriptis et sigillo alicuius curie ecclesiastice aut persone in dignitate ecclesiastica constitute munitis eandem prorsus fidem que adhibere aut eisdem originalibus litteris si forent exhibite vel ostense adhiberi debere firma spe freti quod dextera Domini vobis assistente propicia vestrum laudabile studium gratos divine maiestati fructus impendet et a nobis merito poterit commendari. Datum Romae 14 Februarii 1544, Anno Xmo.

113

Cum nos nuper

Arm. XLI 29 fol. 168r-170r die 14 februarii 1544

EPISCOPO ELECTO IN *MÉXICO* PROFICISCENTI PRIVILEGIA CONCEDUNTUR

Bartholomaeus de Las Casas, electus episcopus Civitatis Regalis, *Chiapa in partibus Mexicanis*, quae ad iuspatronatus imperatoris pertinet, supplicavit Summum Pontificem, ut aliquos Fratres sui Ordinis Praedicatorum secum ducere posset, qui christifidelibus novellae illae Ecclesiae verbum Dei predicarent. Paulus III benigne annuit ut Rodericum de Andrade OP, imperatoris fratrem, ac quinque aut sex alios Dominicanos secum ducat, omnibusque privilegia, gratias, indulgentias, missionariis concedi solita, elargitur, ut in illis partibus vitam religiosam introducant et divina officia in choro recitent. Uti possunt etiam breviario nuper correcto, sed extra chorum tantum. Episcopus munus consecrationis *cum liquore balsamo inibi nuncupato* suscipere potest, si verum crisma haberi nequit. Poenae contra inobedientes statuuntur.

Paulus III

Dilecto filio Bartholomeo de Las Casas electo Civitatis Regalis, provincie de Chiapa in partibus Indiarum maris Occeani.

Dilecte fili salutem etc. Cum nos nuper Ecclesie Civitatis Regalis provinciae de Chiapa in partibus Indiarum maris Occeani que ut asseritur de iure patronatus carissimi in Christo filii nostri Caroli Romanorum Imperatoris semper Augusti ac Hispaniarum Regis existit, tunc certo modo vacanti de persona tua quam prefatus Carolus Imperator nobis per suas litteras presentavit de fratrum nostrorum consilio Apostolica auctoritate duxerimus providendum preficiendo te eidem Ecclesie in episcopum et pastorem prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur et sicut nobis nuper exponi fecisti tu ad Ecclesiam ipsam te conferre et aliquos religiosos ordinis Fratrum Predicatorum cuius professor existis ut dextera Domini tibi assistens propitia po-

pulum tue cure creditum et alios christifideles illarum partium qui tamquam novelle plante in vinea Domini religiosis verbi Dei predicatoribus qui eos [...] celesti pabulo reficiant et in viam eterne salutis dirigant plurimum indigent tecum ducere desideres nobis humiliter supplicari fecisti ut votis tuis in premissis annuere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur qui ex debito pastoralis officii religionis augmentum et animarum salutem sinceris exoptamus affectibus supplicationibus etiam carissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum principis illustris qui nobis super hoc scripta inclinati fraternitati tue ut ad dictam tuam Ecclesiam cum gratia nostre benedictionis accederis dilectum filium Rodericum de Andrada Imperatoris fratrem et cum eo quinque aut sex alios dicti ordinis professores ad verbum Domini huiusmodi predicandum idoneos et sufficientes per te nominandos etiamsi aliquibus prioratibus vel collegiis seu lecturis aut aliis officiis vel regiminibus in eodem ordine astricti sint ad civitatem et tuam diocesim ac alias civitates et provincias illarum partium pro predicatione dicti verbi Dei ac instructione fidelium in fide Cristi superiorum suorum licentia desuper petita licet non obtenta adducere tuque et dicti alii religiosi quos nominandos et ducendos duxeris ut prefertur [...] in dictis partibus [...] effectum predicandum [...] omnibus et singulis privilegiis, gratiis et indulgentiis etiam plenariis fratrum predicatorum huiusmodi ac aliis mendicantium ordinibus illorumque fratribus et professoribus intra claustra monasteriorum viventibus ac verbum Dei christifidelibus et de nova ad fidem conversis in quibusvis mundi partibus predicantibus per quoscumque alios Romanos Pontifices predecessores nostros ac nos et Sedem Apostolicam etiam ad ipsius Caroli Imperatoris instantiam in genere vel in specie pro tempore concessis uti, potiri et gaudere tuque et dicti religiosi ac alii clerici te committantes horas canonicas diurnas pariter et nocturnas ac alia divina officia secundum usum et morem Romane Ecclesie, etiam iuxta breviarium nuper correctum extra tamen chorum dicere et recitare, ac tu [...] munus consecrationis suscipere cum liquore balsamo inibi nuncupato si aliud balsamum in partibus ipsis commode haberi non possit crisma consecrari libere et licite valeatis auctoritate Apostolica tenore presentium de speciali gratia indulgemus ac omnibus et singulis dicti ordinis Fratrum Predicatorum superioribus tam generali quam provincialibus ac aliis christifidelibus cuiuscumque dignitatis, status et conditionis existentibus per universum orbem constitutis ne generalis vel alii superiores prefati eosdem religiosos ne tecum accedere valeant impedire vel postquam tecum accesserint ut prefertur ad alium locum transferre ipsive aut alii quicumque vos seu vestrum aliquem directe vel indirecte quovis quesito colore impedire, perturbare aut molestare

audeant vel presumant, sub excommunicationis late sententie pena per quemlibet contravenientem ipso facto incurrenda a qua non nisi per Sedem predictam seu vos preterquam in mortis articulo absolvi posse volumus districtius inhibemus ac iuramentum per te de limina Apostolorum de Urbe visitando prestitum quamdiu in dicta tua ecclesia et aliis illarum partium provinciis resederis dumtaxat tibi auctoritate Apostolica et tenore predictis relaxamus quodque interim eadem limina visitare minime tenearis concedimus et indulgemus. Non obstantibus premissis ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis necnon dicti ordinis iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus necnon privilegiis, indultis et litteris Apostolicis ordini predicto ac illius superioribus et generali et fratribus per nos et dictam Sedem concessis confirmatis quibus illorum veriores tenores presentibus pro sufficienter expressis habentes illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus ceterisque contrariis quibuscumque decernentes presentium litterarum transumptis manu notarii publici subscriptis et sigillo alicuius curie ecclesiastice aut persone in dignitate ecclesiastica constitute munitis eandem prorsus fidem que adhibere aut eisdem originalibus litteris si forent exhibite vel ostense adhiberi debere firma spe freti quod dextera Domini vobis assistente propicia vestrum laudabile studium gratos divine maiestati fructus impendet et a nobis merito poterit commendari. Datum Romae 14 februarii 1544, anno decimo.

114a

Apostolatus officium

Reg. Lat. 1736 fol. 28v-29r — die 29 februarii 1544

PROVISIO ECCLESIAE LEGIONENSIS (*NICARAGUA*)

Francisco de Mendavia, episcopo Ecclesiae de *Nicaragua* seu Legionensis vita functo, Antonius de Valdivieso, Ordinis Praedicatorum sodalis, ab impe-

ratore de iure patronatus ut dignus praesentatus, eidem Ecclesiae praeficitur. Electioni ita peractae Summus Pontifex opportuna addit consilia et exhortationes de munere cum auxilio divino quam apte gerendo. Provisio haec simili modo capitulo Ecclesiae Legionensis nuntiatur, necnon clero ac populo civitatis et dioecesis universisque eius vasallis. Etiam archiepiscopo Hispalensi institutio novi episcopi in Ecclesia Legionensi, quae Ecclesiae Hispalensis suffraganea existit, communicatur, cui Summus Pontifex ipsum Franciscum commendat, necnon Carolo Romanorum imperatori et Iohannae reginae. Ipso Antonio electo episcopo autem absolutio a censuris et poenis ecclesiasticis impertitur, ut litterae apostolicae de provisione suum sortiantur effectum, eique facultas conceditur, ut a quocumque maluerit catholico Antistite munus consecrationis suscipere valeat, assistentibus sibi duobus vel tribus episcopis, iuramento fidelitatis consueto ritu praestito.

Paulus III

Dilecto filio Antonio de Valdivieso [1] electo Legionen. salutem etc. Apostolatus officium meritis licet imparibus nobis ex alto commissum quo ecclesiarum omnium regimini divina dispositione presidemus utiliter exequi coadiuvante Domino cupientes, solertia reddimur indefessa solliciti ut cum de ecclesiarum ipsarum regiminibus agitur committendis tales eis in pastores preficere studeamus qui populum sue cure creditum sciant non solum doctrina verbi sed etiam exemplo boni operis informare commissasque sibi ecclesias in statu prospero et tranquillo velint et valeant auctore Domino salubriter regere et feliciter gubernare. Sane ecclesia Legionen. in Indiis provincia de Nicaragua nuncupatis partium maris Oceani que de iure patronatus carissimi in Christo filii nostri Caroli Romanorum Imperatoris semper Augusti qui etiam Hispaniarum Rex existit ex privilegio apostolico cui non est hactenus in aliquo derogatum fore dignoscitur et cui bone memorie Franciscus de Mendavia episcopus Legionensis dum viveret presidebat per obitum eiusdem Francisci episcopi qui extra Romanam curiam debitum nature persolvit pastoris solatio destituta nos vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta ad provisionem eiusdem ecclesie celerem et felicem, ne ecclesia ipsa longe vacationis exponatur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes post deliberationem

---

[1] Antonius de Valdivieso natus est in oppido *Villahermosa* (*Burgos*, Hispania), Ordini Fratrum Praedicatorum nomen dedit, anno 1544 nominatus est episcopus Ecclesiae Legionensis (*Nicaragua*); mortuus est die 26 februarii 1549.

quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem. Demum ad te ordinis fratrum Predicatorum professorem in presbiteratus ordine constitutum quam prefatus Carolus Imperator et Rex nobis ad hoc per suas litteras presentavit et cui apud nos de litterarum scientia, vite mundicia, honestate morum, spiritualium providentia et temporalium circumspectione aliisque multiplicum virtutum donis fidedigna testimonia perhibentur direximus oculos nostre mentis quibus omnibus debita meditatione pensatis de persona tua nobis et eisdem fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta prefate ecclesie cum limitibus et diocesi per eundem Carolum Imperatorem et Regem prout sibi expedire videbitur illi assignatis vel assignandis de fratrum eorundem consilio auctoritate apostolica providemus teque illi in episcopum preficimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo in illo qui dat gratias et largitur premia confidentes quod prefata ecclesia sub tuo felici regimine regetur utiliter et prospere dirigetur ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa; iugum igitur Domini tuis impositum humeris prompta devotione suscipiens curam et administrationem predictas sic exercere studeas sollicite, feliciter et prudenter quod ecclesia ipsa gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam tuque preter eterne retributionis premium nostram et Apostolice Sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo quadragesimo tertio, pridie kalendas martii anno decimo.

114b

Hodie Ecclesiae vestrae

Reg. Lat. 1736 fol. 29rv — die 29 februarii 1544

Dilectis filiis capitulo ecclesie Legionen. salutem etc. Hodie ecclesie vestre Legionen. tunc per obitum bone memorie Francisci de Mendavia olim episcopi Legionen. extra Romana curia defuncti pastoris solatio destitute de persona dilecti filii Antonii de Valdivieso electi Legionen. nobis et fratribus nostris ob suorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorundem consilio apostolica auctoritate providimus ipsumque illi in episcopum preficimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Quocirca etc. mandamus quatinus eidem Antonio electo tamquam patri et pastori animarum vestrarum humiliter intendentes ac exhibentes sibi obedientiam et reverentiam debitas et devotas eius salubria monita et mandata suscipiatis humiliter et efficaciter adimplere curetis alioquin sententiam quam idem Antonius electus rite tulerit in rebelles ratam habebimus et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum ut supra.

114c

Hodie Ecclesiae Legionen.

Reg. Lat. 1736 fol. 29v — die 29 februarii 1544

Dilectis filiis clero civitatis et diocesis Legionen. salutem etc. Hodie ecclesie Legionen. tunc per obitum bone memorie Francisci de Mendavia olim episcopi Legionen. extra Romana curia defuncti pastoris solatio destitute de persona dilecti filii Antonii de Valdivieso electi Legionen. nobis et fratribus nostris ob suorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorundem consilio apostolica auctoritate providimus ipsum illi in episcopum prefecimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Quocirca etc. mandamus quatinus eidem Antonio electo tamquam patri et pastori animarum vestrarum humiliter intendentes

ac exhibentes sibi obedientiam et reverentiam debitas et devotas eius salubria monita et mandata suscipiatis humiliter et efficaciter adimplere curetis alioquin sententiam ipsam quam idem Antonius electus rite tulerit in rebelles ratam habebimus et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum ut supra.

114d

Hodie Ecclesiae Legionen.

Reg. Lat. 1736 fol. 29v-30r die 29 februarii 1544

Dilectis filiis populo civitatis et diocesis Legionen. salutem etc. Hodie ecclesie Legionen. tunc per obitum bone memorie Francisci de Mendavia, olim episcopi Legionen., extra Romana curia defuncti pastoris solatio destitute de persona dilecti filii Antonii de Valdivieso electi Legionen. nobis et fratribus nostris ob suorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorundem consilio apostolica auctoritate providimus ipsumque illi in episcopum prefecimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Quocirca universitatem vestram monemus et hortamur attente vobis per apostolica scripta mandantes quatinus eundem Antonium electum tamquam patrem et pastorem animarum vestrarum devote suscipientes et debita honorificentia prosequentes eius monitis et mandatis salubribus humiliter intendatis ita quod dictus Antonius electus in vobis devotionis filios et vos in eo per consequens patrem benivolum invenisse gaudeatis. Datum ut supra.

114e

Hodie Ecclesiae Legionen.

Reg. Lat. 1736 fol. 30rv die 29 februarii 1544

Dilectis filiis universis vassallis ecclesie Legionen. salutem etc. Hodie ecclesie Legionen. tunc per obitum bone memorie Francisci de Mendavia, olim episcopi Legionen., extra Romana curia defuncti pastoris solatio destitute de persona dilecti filii Antonii de Valdivieso electi Legionen. nobis et fratribus nostris ob suorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorundem consilio apostolica auctoritate providimus ipsum illi in episcopum prefecimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Quocirca universitati vestre per apostolica scripta mandamus quatinus eundem Antonium electum tamquam patrem et pastorem animarum vestrarum devote suscipientes et debita honorificentia prosequentes ei fidelitatem solitam necnon consueta servitia et iura sibi a vobis debita integre exhibere studeatis alioquin sententiam sive penam quam dictus Antonius electus rite tulerit sive statuerit in rebelles ratam habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum ut supra.

114f

Ad cumulum tuae cedit salutis

Reg. Lat. 1736 fol. 30v die 29 februarii 1544

Venerabili fratri archiepiscopo Ispalen. salutem etc. Ad cumulum tue cedit salutis et fame si personas ecclesiasticas presertim pontificali dignitate preditas divine propitiationis intuitu opportuni presidii et favoris gratia prosequaris. Hodie siquidem ecclesie Legionens. tunc per obitum bone memorie Francisci de Mendavia olim episcopi Legionen. extra Romana curia defuncti pastoris solatio destitute de persona dilecti filii Antonii de Valdivieso electi Legionen. nobis et fratribus nostris ob suorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorundem consilio apostolica auctoritate providimus ipsumque illi in episcopum prefecimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum igitur ut idem Antonius electus in commissa sibi dicte ecclesie cura facilius proficere valeat tuus favor sibi fore noscatur plurimum opportunus fraternitatem tuam rogamus et hortamur attente tibi per apostolica scripta mandantes quatinus eundem Antonium electum et prefatam ecclesiam suffraganeam tuam habens pro nostra et Apostolice Sedis reverentia propensius commendatos in ampliandis et conservandis iuribus suis sic eos tui favoris presidio prosequaris quod idem Antonius electus per tue auxilium gratie se possit in commisso sibi dicte ecclesie regimine utilius exercere, tuque divinam misericordiam ac nostram et dicte Sedis benedictionem et gratiam valeas exinde uberius promereri. Datum ut supra.

114g

Gratiae divinae praemium

Reg. Lat. 1736 fol. 30v-31r — die 29 februarii 1544

Carissimo in Christo filio Carolo Romanorum Imperatori semper Augusto et carissime in Christo filie Iohanne Castelle et Legionis Regine illustri salutem etc. Gratie divine premium et humane laudis preconium acquiritur si per seculares principes personis ecclesiasticis pre-

sertim pontificali dignitate preditis opportuni favoris presidium et honor debitus impendatur. Hodie siquidem ecclesie Legionen. tunc per obitum bone memorie Francisci de Mendavia, olim episcopi Legionen., extra Romana curia defuncti pastoris solatio destitute de persona dilecti filii Antonii de Valdivieso electi Legionen., nobis et fratribus nostris ob suorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorundem consilio apostolica auctoritate providimus ipsumque illi in episcopum prefecimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum itaque fili carissime sit virtutis opus Dei ministros benigno favore prosequi ac eos verbis et operibus pro regis eterni gloria venerari serenitatem vestram cum tu fili Carole etiam Castelle et Legionis Rex existas rogamus et hortamur attente quatinus eundem Antonium electum et ecclesiam predictam sue cure commissam habentes pro nostra et Apostolice Sedis reverentia propensius commendatos in ampliandis et conservandis iuribus suis, sic eos benigne favoris auxilio prosequamini quod ipse Antonius electus vestri favoris suffultus presidio in commisso sibi dicte ecclesie regimine possit Deo propitio prosperari ac vobis exinde a Deo perennis vite premium et a nobis condigna proveniat actio gratiarum. Datum ut supra.

114h

Apostolicae Sedis consueta clementia

Reg. Lat. 1736 fol. 31rv — die 29 februarii 1544

Dilecto filio Antonio de Valdivieso ordinis fratrum Praedicatorum professori salutem etc. Apostolice Sedis consueta clementia ne dispositiones per eam de cathedralibus ecclesiis pro tempore facte valeant quomodolibet impugnari sed persone ad eas promovende illis puro corde et sincera conscientia presidere valeant remedia prout convenit adhibet opportuna. Cum itaque nos hodie ecclesie Legionen. ad

presens certo modo pastoris solatio destitute de persona tua nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorundem consilio apostolica auctoritate providere teque illi in episcopum et pastorem preficere intendamus nos ne si forsan aliquibus sententiis, censuris et penis ecclesiasticis ligatus sis provisio et prefectio predicte possint propterea quomodolibet impugnari providere volentes teque a quibusvis excommunicationis etc. inodatus existis ad hoc dumtaxat ut provisio et prefectio predicte ac singule littere apostolice desuper conficiende suum sortiantur effectum auctoritate apostolica tenore presentium absolvimus et absolutum fore nunciamus, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac dicte ecclesie iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo etc. absolutionis, annunciationis etc. Siquis etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo quadragesimo tertio, pridie kalendas martii anno decimo.

114i

Cum nos pridem

Reg. Lat. 1736 fol. 31v-32r — die 1 martii 1544

Dilecto filio Antonio electo Legionen. salutem etc. Cum nos pridem ecclesie Legionen. tunc certo modo pastoris solatio destitute de persona tua nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorundem consilio apostolica auctoritate duxerimus providendum preficiendo te illi in episcopum et pastorem, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur, nos ad ea que tue commoditatis augmentum cedere valeant favorabiliter intendentes tuis in hac parte supplicationibus inclinati tibi ut a quocumque malueris catholico antistite gratiam et communionem Apostolice Sedis habente accitis et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus catholicis episcopis similes gratiam et communionem habentibus munus conse-

crationis recipere valeas ac eidem antistiti ut recepto prius per eum a te nostro et Romane Ecclesie nomine fidelitatis debite solito iuramento iuxta formam presentibus annotatam munus predictum auctoritate nostra impendere libere tibi possit plenam et liberam earundem tenore presentium concedimus facultatem, volumus autem et auctoritate predicta statuimus et decernimus quod si non recepto a te per ipsum antistitem predicto iuramento idem antistes munus ipsum tibi impendere et tu illud suscipere presumpseritis, dictus antistes a pontificalis officii exercitio et tam ipse quam tu ab administratione tam spiritualium quam temporalium ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso; preterea volumus quod formam huiusmodi a te tunc prestiti iuramenti nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo munitas per proprium nuncium quantocius destinare procures. Quodque per hoc venerabili fratri nostro archiepiscopo Ispalen. cui ecclesia ipsa Legionen. metropolitico iure subesse dignoscitur nullum imposterum preiudicium generetur; forma autem iuramenti per te prestandi talis est: Ego Antonius electus Legionen. etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo quadragesimo tertio, kalendis martii anno decimo.

115a

Apostolatus officium

Reg. Lat. 1736 fol. 25rv — die 29 februarii 1544

PROVISIO ECCLESIAE CUZQUENSIS (CUSCHENSIS, *CUZCO*)

Bonae memoriae Vincentio de Valverde episcopo Cuzquensi morte abrepto, ne eadem Ecclesia pastoris solatio destituta maneat, Pontifex Ioannem Solano, Ordinis Fratrum Praedicatorum sodalem ei praeficit. Pro dignitate vero electi confirmanda Pontifex etiam rationem habet praesentationis ab imperatore et rege sibi factae, cuius ceteras quoque dispositiones circa illam ecclesiam validas recognoscit. Provisio haec simili modo canonicis Ecclesiae Cuzquensis nuntiatur, quos Summus Pontifex monet, ut oboedientiam et reverentiam novo epicopo exhibeant. Simili modo episcopus populo civitatis et dioe-

cesis atque vasallis Ecclesiae Cuzquensis commendatur. Archiepiscopo Hispalensi quoque, cui Ecclesia Cuzquensis ut suffraganea subest, provisio communicatur, quem Summus Pontifex monet, ut novo episcopo favorem fraternum praestet. Simili modo imperator ac regina de electione episcopi certiores fiunt, pro quo Pontifex favorem regium et tutamen expetit. Electo episcopo vero absolutio a censuris et poenis ecclesiasticis impertitur, ut litterae apostolicae de provisione suum sortiantur effectum, eique facultas conceditur, ut a quocumque maluerit catholico Antistite consecrationem suscipere possit, assistentibus sibi duobus vel tribus episcopis, iuramento consueto rito praestito.

Paulus III

Dilecto filio Iohanni Solano [1] electo Cuzquen. salutem etc. Apostolatus officium meritis licet imparibus nobis ex alto commissum quo ecclesiarum omnium regimini divina dispositione presidemus utiliter exequi coadiuvante Domino cupientes solertia reddimur indefessa solliciti ut cum de ecclesiarum ipsarum regiminibus agitur committendis tales eis in pastores preficere studeamus qui populum sue cure creditum sciant non solum doctrina verbi sed etiam exemplo boni operis informare commissasque sibi ecclesias in statu prospero et tranquillo velint et valeant auctore Domino salubriter regere et feliciter gubernare. Sane Ecclesia Cuzquen. in Indiis Peru alias Nova castella nuncupatis maris Oceani que de iure patronatus carissimi in Christo filii nostri Caroli Romanorum Imperatoris semper Augusti qui etiam Hispaniarum Rex existit ex privilegio Apostolico cui non est hactenus in aliquo derogatum fore dignoscitur et cui bone memorie Vincentius de Valverde episcopus Cuzquen. dum viveret presidebat per obitum eiusdem Vincentii episcopi qui extra Romana curia debitum nature persolvit pastoris solatio destituta nos vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta ad provisionem eiusdem ecclesie celerem et felicem ne ecclesia ipsa longe vacationis exponatur incommodis paternis et sollicitis studiis intendentes post deliberationem quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus

[1] Ioannes Solano natus est in oppido Archidona (*Málaga*), studiis operam dedit in *San Esteban de Salamanca*, Ordini Fratrum Praedicatorum nomen dedit, anno 1545 advenit in dioecesi sua, die 24 octobris 1546 episcopus ordinatus est a Hieronymo de Loaysa, episcopo Ecclesiae Civitatis Regum (*Lima*) (Littera Hieronymi die 25 octobris 1546 scripta: Arm. XXVIII 144 fol. 134r-135v). Anno 1561 munere se abdicavit. Sepultus est Romae, in ecclesia S. Maria sopra Minerva. *Egaña* 66-67.

nostris habuimus diligentem, demum ad te ordinis fratrum praedicatorum professorem presbiteratus ordine constitutum quem prefatus Çarolus Imperator et Rex nobis ad hoc per suas litteras presentavit et cui apud nos de litterarum scientia, vite mundicia, honestate morum, spiritualium providentia et temporalium circumspectione aliisque multiplicum virtutum donis fidedigna testimonia perhibentur direximus oculos nostre mentis. Quibus omnibus debita meditatione pensatis de persona tua nobis et eisdem fratribus ob tuorum exigentiam meritorum accepta prefate ecclesie cum limitibus et diocesi per eundem Carolum Imperatorem et Regem, prout sibi expedire videbitur illi assignatis vel assignandis de fratrum eorundem consilio auctoritate apostolica providemus teque illi in episcopum preficimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo in illo qui dat gratias et largitur premia considerantes quod prefata ecclesia sub tuo felici regimine regetur utiliter et prospere dirigetur ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Iugum igitur Domini tuis impositum humeris prompta devotione suscipiens curam et administrationem predictas sic exercere studeas sollicite fideliter et prudenter quod ecclesia ipsa gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam tuque preter eterne retributionis premium nostram et Apostolice Sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo quadragesimo tertio, pridie kalendas martii anno decimo.

115b

Hodie Ecclesiae vestrae

Reg. Lat. 1736 fol. 25v — die 29 februarii 1544

Dilectis filiis capitulo ecclesie Cuzquen. salutem etc. Hodie ecclesie vestre Cuzquen. tunc per obitum bone memorie Vincentii de Valverde olim episcopi Cuzquen. extra Romana curia defuncti pastoris

solatio destitute de persona dilecti filii Iohannis Solano electi Cuzquen. nobis et fratribus nostris ob suorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorundem consilio apostolica auctoritate providimus ipsum illi in episcopum preficimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Quocirca etc. mandamus quatinus eidem Iohanni electo tamquam patri et pastori animarum vestrarum humiliter intendentes ac exhibentes sibi obedientiam et reverentiam debitas et devotas eius salubria monita et mandata suscipiatis humiliter et efficaciter adimplere curetis alioquin sententiam quam idem Iohannes electus rite tulerit in rebelles ratam habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum ut supra [1].

[1] Eaedem Litterae scriptae sunt: clero civitatis et diocesis Cuzquensis (ibid. fol. 25v-26r).

115c

Hodie Ecclesiae Cuzquen.

Reg. Lat. 1736 fol. 26r — die 29 februarii 1544

Dilectis filiis populo civitatis et diocesis Cuzquen. salutem etc. Hodie ecclesie Cuzquen. tunc per obitum bone memorie Vincentii de Valverde olim episcopi Cuzquen. extra Romana curia defuncti pastoris solatio destitute de persona dilecti filii Iohannis Solano electi Cuzquen. nobis et fratribus nostris ob suorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorundem consilio apostolica auctoritate providimus ipsum illi in episcopum preficimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Quocirca universitatem vestram monemus et hortamur attente

vobis per apostolica scripta mandantes quatinus eundem Iohannem electum tamquam patrem et pastorem animarum vestrarum devote suscipientes et debita honorificentia prosequentes eius monitis et mandatis salubribus humiliter intendatis ita quod dictus Iohannes electus in vobis devotionis filios et vos in eo per consequens patrem benivolum invenisse gaudeatis. Datum ut supra.

115d

Hodie Ecclesiae Cuzquen.

Reg. Lat. 1736 fol. 26v — die 29 februarii 1544

Dilectis filiis universis vassallis ecclesie Cuzquen. salutem etc. Hodie ecclesie Cuzquen. tunc per obitum bone memorie Vincentii de Valverde olim episcopi Cuzquen. extra Romana curia defuncti pastoris solatio destitute de persona dilecti filii Iohannis Solano electi Cuzquen. nobis et fratribus nostris ob suorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorundem consilio apostolica auctoritate providimus ipsumque illi in episcopum preficimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Quocirca universitati vestre per apostolica scripta mandamus quatinus eundem Iohannem electum tamquam patrem et pastorem animarum vestrarum devote suscipientes et debita honorificentia prosequentes ei fidelitatem solitam necnon consueta servitia et iura sibi a vobis debita integre exibere studeatis alioquin sententiam sive penam quam dictus Iohannes electus rite tulerit sive statuerit in rebelles ratam habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum ut supra.

115e

Ad cumulum tuae cedit salutis

Reg. Lat. 1736 fol. 26v-27r die 29 februarii 1544

Venerabili fratri archiepiscopo Ispalen. salutem etc. Ad cumulum tue cedit salutis et fame si personas ecclesiasticas presertim pontificali dignitate preditas divine propitiationis intuitu opportuni presidii et favoris gratia prosequaris. Hodie siquidem ecclesie Cuzquen., tunc per obitum bone memorie Vincentii de Valverde olim episcopi Cuzquen. extra Romana curia defuncti, pastoris solatio destitute de persona dilecti filii Iohannis Solano electi Cuzquen. nobis et fratribus nostris ob suorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorundem consilio apostolica auctoritate providimus ipsumque illi in episcopum preficimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum igitur ut idem Iohannes electus in commissa sibi dicte ecclesie cura facilius proficere valeat tuus favor sibi fore noscatur plurimum opportunus fraternitatem tuam rogamus et hortamur attente tibi per apostolica scripta mandantes quatinus eundem Iohannem electum et prefatam ecclesiam suffraganeam tuam habens pro nostra et apostolice Sedis reverentia propensius commendatos in ampliandis et conservandis iuribus suis sic eos tui favoris presidio prosequaris, quod idem Iohannes electus per tue auxilium gratie se possit in commisso sibi dicte ecclesie regimine utilius exercere tuque divinam misericordiam ac nostram et dicte Sedis benedictionem et gratiam valeas exinde uberius promereri. Datum ut supra.

115f

Gratiae divinae praemium

Reg. Lat. 1736 fol. 27rv die 29 februarii 1544

Carissimo in Christo filio Carolo Romanorum Imperatori semper Augusto et carissime in Christo filie Iohanne Castelle et Legionis Regine illustri salutem etc. Gratie divine premium et humane laudis preconium acquiritur si per seculares principes personis ecclesiasticis presertim pontificali dignitate preditis opportuni favoris presidium et honor debitus impendatur. Hodie siquidem ecclesie Cuzquen. tunc per obitum bone memorie Vincentii olim episcopi Cuzquen. extra Romana curia defuncti pastoris solatio destitute de persona dilecti filii Iohannis Solano electi Cuzquen. nobis et fratribus nostris ob suorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorundem consilio apostolica auctoritate providimus ipsum illi in episcopum preficimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum itaque fili carissime sit virtutis opus Dei ministros benigno favore prosequi ac eos verbis et operibus pro regis eterni gloria venerari serenitatem vestram cum tu fili Carole etiam Castelle et Legionis Rex existis rogamus et hortamur attente quatinus eundem Iohannem electum et ecclesiam predictam sue cure commissam habentes pro nostra et apostolice Sedis reverentia propensius commendatos in ampliandis et conservandis iuribus suis sic eos benigne favoris auxilio prosequimini quod ipse Iohannes electus vestri favoris suffultus presidio in commisso sibi dicte ecclesie regimine possit Deo propitio prosperari ac vobis exinde a Deo perennis vite premium et a nobis condigna proveniat actio gratiarum. Datum ut supra.

115g

Apostolicae Sedis consueta clementia

Reg. Lat. 1736 fol. 27v die 29 februarii 1544

Dilecto filio Iohanni Solano ordinis fratrum Praedicatorum professori salutem etc. Apostolice Sedis consueta clementia ne dispositiones per eam de cathedralibus ecclesiis pro tempore facte valeant quomodolibet impugnari sed persone ad eas promovende illis puro corde et sincera conscientia presidere valeant remedia prout convenit adhibet opportuna. Cum itaque nos hodie ecclesie Cuzquen. ad presens certo modo pastoris solatio destitute de persona tua nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorundem consilio apostolica auctoritate providere teque illi in episcopum et pastorem preficere intendamus nos ne si forsan aliquibus sententiis, censuris et penis ecclesiasticis ligatus sis provisio et prefectio predicte possint propterea quomodolibet impugnari providere volentes teque a quibusvis excommunicationis etc. innodatus existis ad hoc dumtaxat ut provisio et prefectio predicte ac singule littere apostolice desuper conficiende suum sortiantur effectum auctoritate apostolica tenore presentium absolvimus et absolutum fore nunciamus, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac dicte ecclesie iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo etc. nostre absolutionis et nunciationis etc. Siquis etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo quadragesimo tertio, pridie kalendas martii anno decimo.

115h

Cum nos pridem

Reg. Lat. 1736 fol. 28r die 1 martii 1544

Dilecto filio Iohanni electo Cuzquen. salutem etc. Cum nos pridem ecclesie Cuzquen. tunc certo modo pastoris solatio destitute de persona tua nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorundem consilio apostolica auctoritate duxerimus providendum preficiendo te illi in episcopum et pastorem, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur nos ad ea que ad tue commoditatis augumentum cedere valeant favorabiliter intendentes tuis in hac parte supplicationibus inclinati tibi ut a quocumque malueris catholico Antistite gratiam et communionem Apostolice Sedis habente accitis et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus catholicis episcopis similes gratiam et communionem habentibus munus consecrationis recipere valeas ac eidem Antistiti ut recepto prius per eum a te nostro et Romane Ecclesie nomine fidelitatis debite solito iuramento iuxta formam presentibus annotatam munus predictum auctoritate nostra impendere libere tibi possit plenam et liberam earundem tenore presentium concedimus facultatem. Volumus autem et auctoritate predicta statuimus et decernimus quod si non recepto a te per ipsum Antistitem predicto iuramento idem Antistes munus ipsum tibi impendere et tu illud suscipere presumpseritis dictus Antistes a pontificalis officii exercitio et tam ipse quam tu ab administratione tam spiritualium quam temporalium ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso. Preterea volumus quod formam huiusmodi a te tunc prestiti iuramenti nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo munitas per proprium nuncium quantocitius destinare procures, quodque per hoc venerabili fratri nostro archiepiscopo Ispalen. cui ecclesia ipsa Cuzquen. metropolitico iure subesse dignoscitur, nullum inposterum preiudicium generetur. Forma autem iuramenti per te prestandi talis est: Ego Iohannes electus Cuzquen. etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo quadragesimo tertio, kalendis martii anno decimo.

116a

Apostolatus officium

Reg. Lat. 1736 fol. 37v-38v — die 2 maii 1544

PROVISIO ECCLESIAE TLAXCALENSIS

Ecclesiae Tlaxcalensi per obitum Iuliani Garcés vacanti, Paulus Gil de Talavera sacerdos praeficitur praesentatus a Carolo Romanorum imperatore, de cuius iurepatronatus Ecclesia Tlaxcalensis existit. Provisio haec capitulo eiusdem Ecclesiae, clero et populo civitatis et dioecesis Tlaxcalensis atque universis eius vasallis annuntiatur. Archiepiscopo Hispalensi (*Sevilla*) quoque, cuius suffraganea Ecclesia Tlaxcalensis est, Summus Pontifex electionem Pauli communicat ennixe eum rogans, ut favoris sui praesidio episcopum electum prosequatur. Simili modo imperator et regina de electione Pauli certiores fiunt, pro quo Summus Pontifex favorem regium et tutamen expetit. Electo episcopo vero absolutio a censuris et poenis ecclesiasticis quibus forsan ligatus est, impertitur, ut litterae apostolicae de provisione conficiendae effectum suum sortiantur, eique facultas conceditur, ut a quocumque maluerit catholico Antistite, assistentibus sibi duobus vel tribus episcopis, munus consecrationis suscipere possit, solito iuramento fidelitatis praestito.

Paulus III

Dilecto filio Paulo Gil de Talavera [1] electo Taxcalen. [2] salutem etc. Apostolatus officium meritis licet imparibus nobis ex alto commissum quo ecclesiarum omnium regimini divina dispositione presidemus utiliter exequi coadiuvante Domino cupientes solliciti corde reddimur et solertes ut cum de ecclesiarum ipsarum regiminibus agitur committendis tales eis in pastores preficere studeamus qui populum sue cure creditum sciant non solum doctrina verbi sed etiam exemplo boni operis informare commissasque sibi ecclesias in statu prospero et tranquillo velint et valeant auctore Domino in spiritualibus et tempo-

ralibus salubriter regere et feliciter gubernare. Sane ecclesia Taxcalen. in partibus occidentalibus maris Oceani Indiis et Nova Hispania nuncupatis que de iure patronatus carissimi in Christo filii nostri Caroli Romanorum Imperatoris semper Augusti qui etiam Hispaniarum Rex existit ex privilegio Apostolico cui non est hactenus in aliquo derogatum fore dinoscitur et cui bone memorie Iulianus [3] episcopus Taxcalen. dum viveret presidebat per obitum eiusdem Iuliani episcopi qui extra Romana curia debitum nature persolvit pastoris solatio destitute nos vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta ad provisionem eiusdem ecclesie celerem et felicem, ne ecclesia ipsa longe vacationis exponatur incommodis paternis et sollicitis studiis intendentes post deliberationem quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te in altero iurium licentiatum in presbiteratus ordine constitutum quem prefatus Carolus Imperator et Rex ad hoc per suas litteras presentavit et cui apud nos de vite mundicia, honestate morum, spiritualium providentia et temporalium circumspectione aliisque multiplicum virtutum donis fidedigna testimonia peribentur dereximus oculos nostre mentis quibus omnibus debita meditatione pensatis de persona tua nobis et eisdem fratribus ob tuorum exigentiam meritorum accepta prefate ecclesie cum limitibus et diocesis per eundem Carolum Imperatorem et Regem suo arbitrio illi assignandis et per ipsum prout sibi tempore precedente expedire videbitur alterandis et innovandis de fratrum eorundem consilio auctoritate Apostolica providemus teque illi in episcopum preficimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo in illo qui dat gratias et largitur premia confidentes quod prefata ecclesia sub tuo felici regimine regetur utiliter et prospere dirigetur ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa; iugum igitur Domini tuis impositum humeris prompta devotione suscipiens curam et administrationem predictas sic exercere studeas sollicite fideliter et prudenter quod ecclesia ipsa gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam tuque preter eterne retributionis premium nostram et Apostolice Sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo quadragesimo quarto, sexto nonas maii anno decimo.

[1] Paulus Gil de Talavera, presbyter Abulensis (*Avila*). Mortuus est iam anno sequenti 1545.

[2] Ecclesia Tlaxcalensis (*Tlaxcala*) seu Angelopolitana (*Puebla de los Angeles*) anno 1527 erecta est. Hierarchia Catholica III 314.

[3] Iulianus Garcés, OP. De eo cfr. supra doc. 33.

116b

Hodie Ecclesiae vestrae

Reg. Lat. 1736 fol. 38v die 2 maii 1544

Dilectis filiis capitulo ecclesie Taxcalen. salutem etc. Hodie ecclesie vestre Taxcalen. tunc per obitum bone memorie Iuliani Garces olim episcopi Taxcalen. extra Romana curia defuncti pastoris solatio destitute de persona dilecti filii Pauli electi Taxcalen. nobis et fratribus nostris ob suorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorundem consilio apostolica auctoritate providimus ipsum illi in episcopum prefecimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Quocirca etc. mandamus quatinus eidem Paulo electo tamquam patri et pastori animarum vestrarum humiliter intendentes ac exibentes sibi obedientiam et reverentiam debitas et devotas eius salubria monita et mandata suscipiatis humiliter et efficaciter adimplere curetis alioquin sententiam ipsam quam idem Paulus electus rite tulerit in rebelles ratam habebimus et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum ut supra.

116c

Hodie Ecclesiae Taxcalen.

Reg. Lat. 1736 fol. 38v-39r die 2 maii 1544

Dilectis filiis clero civitatis et diocesis Taxcalen. salutem etc. Hodie ecclesie Taxcalen. tunc per obitum bone memorie Iuliani Garces olim episcopi Taxcalen. extra Romana curia defuncti pastoris solatio destitute de persona etc. ut supra continetur. Quocirca etc. mandamus quatinus eidem Paulo electo tamquam patri et pastori animarum vestrarum humiliter intendentes ac exibentes sibi obedientiam et reverentiam debitas et devotas eius salubria monita et mandata suscipiatis humiliter et efficaciter adimplere curetis alioquin sententiam quam idem Paulus electus rite tulerit in rebelles ratam habebimus et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum ut supra.

116d

Hodie Ecclesiae Taxcalen.

Reg. Lat. 1736 fol. 39r die 2 maii 1544

Dilectis filiis populo civitatis et diocesis Taxcalen. salutem etc. Hodie ecclesie Taxcalen. tunc per obitum bone memorie Iuliani Garces olim episcopi Taxcalen. extra Romana curia defuncti pastoris solatio destitute de persona etc. ut supra usque continetur. Quocirca universitatem vestram monemus et hortamur attente vobis per Apostolica scripta mandantes, quatinus eundem Paulum electum tamquam patrem et pastorem animarum vestrarum devote suscipientes et debita honorificentia prosequentes eius monitis et mandatis salubribus humiliter intendatis ita quod dictus Paulus electus in vobis devotionis filios et vos in eo per consequens patrem benivolum invenisse gaudeatis. Datum ut supra.

116e

Hodie Ecclesiae Taxcalen.

Reg. Lat. 1736 fol. 39rv die 2 maii 1544

Dilectis filiis universis vassallis ecclesia Taxcalen. salutem etc. Hodie ecclesie Taxcalen. tunc per obitum bone memorie Iuliani Garces olim episcopi Taxcalen. extra Romana curia defuncti pastoris solatio destitute de persona etc. ut supra usque continetur. Quocirca universitati vestre per Apostolica scripta mandamus quatinus eundem Iulianum electum tamquam patrem et pastorem animarum vestrarum devote suscipientes et debita honorificentia prosequentes ei fidelitatem solitam necnon consueta servitia et iura sibi a vobis debita integre exibere studeatis alioquin sententiam sive penam quam dictus Paulus electus rite tulerit sive statuerit in rebelles ratam habebimus et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum ut supra.

116f

Ad cumulum tuae cedit salutis

Reg. Lat. 1736 fol. 39v — die 2 maii 1544

Venerabili fratri archiepiscopo Ispalen. salutem etc. Ad cumulum tue cedit salutis et fame si personas ecclesiasticas presertim pontificali dignitate preditas divine propitiationis intuitu opportuni presidii et favoris gratia prosequaris. Hodie siquidem ecclesie Taxcalen. tunc per obitum bone memorie Iuliani Garces, olim episcopi Taxcalen., extra Romana curia defuncti pastoris solatio destitute de persona etc. ut supra usque continetur. Cum igitur ut idem Paulus electus in commissa sibi dicte ecclesie cura facilius proficere valeat tuus favor sibi fore noscatur plurimum opportunus fraternitatem tuam rogamus et hortamur attente tibi per Apostolica scripta mandantes quatinus eundem Paulum electum in prefatam ecclesiam Taxcalen. suffraganeam tuam habens pro nostra et Apostolice Sedis reverentia propensius commendatos in ampliandis et consignandis iuribus suis sic eos tui favoris presidio prosequaris quod idem Paulus electus per tue auxilium gratie se possit in commisso sibi dicte ecclesie regimine utilius exercere tuque divinam misericordiam ac nostram et dicte Sedis benedictionem et gratiam valeas exinde uberius promereri. Datum ut supra.

116g

Gratiae divinae praemium

Reg. Lat. 1736 fol. 39v-40r die 2 maii 1544

Carissimo in Christo filio Carolo Romanorum Imperatori semper Augusto et carissime in Christo filie Iohanne Castelle et Legionis Regine illustri salutem etc. Gratie divine premium et humane laudis preconium acquiritur si per seculares principes personis ecclesiasticis presertim pontificali dignitate preditis opportuni favoris presidium et honor debitus impendatur. Hodie siquidem ecclesie Taxcalen. tunc per obitum bone memorie Iuliani Garces, olim episcopi Taxcalen., extra Romana curia defuncti pastoris solatio destitute de persona etc. ut supra usque continetur. Cum itaque filii carissimi sit virtutis opus Dei ministros benigno favore prosequi ac eos verbis et operibus pro regis gloria venerari serenitatem vestram cum tu fili Carole etiam Castelle et Legionis Rex existas rogamus et hortamur attente, quatinus eundem Paulum electum et ecclesiam predictam sibi commissam habentes pro nostra et Apostolice Sedis reverentia propensius commendatos in ampliandis et conservandis iuribus suis sic eos benigni favoris auxilio prosequamini quod ipse Paulus electus vestri favoris suffultus presidio in commisso sibi dicte ecclesie regimine possit Deo propitio prosperari ac vobis exinde a Deo perennis vite premium et a nobis condigna proveniat actio gratiarum. Datum ut supra.

116h

Apostolicae Sedis consueta clementia

Reg. Lat. 1736 fol. 40v die 2 maii 1544

Dilecto filio Paulo Gil de Talavera presbitero Abulen. diocesis in altero iurium licentiato salutem etc. Apostolice Sedis consueta clementia ne dispositiones per eam de cathedralibus ecclesiis pro tempore facte valeant quomodolibet impugnari sed persone ad eas promovende illis puro corde et sincera conscientia presidere valeant remedia prout convenit adhibet opportuna. Cum itaque nos hodie ecclesie Taxcalen. ad presens certo modo pastoris solatio destitute de persona tua nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorundem consilio Apostolica auctoritate providere teque illi in episcopum et pastorem preficere intendamus nos ne si forsan aliquibus sententiis, censuris et penis ecclesiasticis ligatus sis provisio et prefectio predicte possint propterea quomodolibet impugnari providere volentes teque a quibusvis excommunicationis etc. innodatus existis ad hoc dumtaxat ut provisio et prefectio predicte ac singule littere Apostolice desuper conficiende suum sortiantur effectum auctoritate Apostolica tenore presentium absolvimus et absolutum fore nunciamus non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ac dicte ecclesie iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo etc. nostre absolutionis et nunciationis etc. Siquis etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo quadragesimo quarto, sexto nonas maii anno decimo.

116i

Cum nos pridem

Reg. Lat. 1736 fol. 41rv — die 3 maii 1544

Dilecto filio Paulo electo Taxcalen. salutem etc. Cum nos pridem ecclesie Taxcalen. tunc certo modo pastoris solatio destitute de persona tua nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorundem consilio Apostolica auctoritate duximus providendum preficiendo te illi in episcopum et pastorem, prout in

nostris inde confectis litteris plenius continetur nos ad ea que ad tue commoditatis augmentum cedere valeant favorabiliter intendentes tuis in hac parte supplicationibus inclinati tibi in presbiteratus ordine constituto ut a quocunque malueris catholico Antistite gratiam et communionem Apostolice Sedis habente accitis et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus catholicis episcopis similes gratiam et communionem habentibus munus consecrationis recipere valeas ac eidem Antistiti ut recepto prius per eum a te nostro et Romane Ecclesie nomine fidelitatis debite solito iuramento iuxta formam presentibus annotatam predicta auctoritate nostra impendere libere tibi possit plenam et liberam earundem tenore presentium concedimus facultatem; volumus autem et auctoritate predicta statuimus et decernimus quod si non recepto a te per ipsum Antistitem predicto iuramento idem Antistes munus ipsum tibi impendere et tu illud suscipere presumpseritis dictus Antistes a pontificalis officii exercitio et tam ipse quam tu ab administratione tam spiritualium quam temporalium ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso. Preterea etiam volumus quod formam huiusmodi a te tunc prestiti iuramenti nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo munitas per proprium nuncium quantocius destinare procures. Quodque per hoc venerabili fratri nostro archiepiscopo Ispalen., cui ecclesia ipsa Taxcalen. metropolitico iure subesse dignoscitur, nullum in posterum preiudicium generetur. Forma autem iuramenti per te prestandi talis est: Ego Paulus Gil de Talavera electus Taxcalen. etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo quadragesimo quarto, quinto nonas maii anno decimo.

117

Tuis exigentibus meritis

Arm. XLI 31 ep. n. 565 — die 21 augusti 1544

DE ORDINATIONE EPISCOPI ECCLESIAE CUZQUENSIS

Ioannes Solanus nuper episcopus Ecclesiae Cuzquensis electus est. Quia propter latitudinem terrarum et paucitatem dioecesium copia episcoporum fa-

cile haberi nequit, Summus Pontifex licentiam concedit, ut Antistiti consecranti duo aut tres abbates vel personae in dignitate ecclesiastica constitutae assistere possint.

Paulus III

Dilecto filio Ioanni Solano [1] electo Cuzquen.

Dilecte fili salutem etc. Tuis exigentibus meritis inducimur ut commoditatibus tuis quantum cum Deo possumus favorabiliter annuamus. Nuper siquidem ecclesia Cuzquen. in Indiis Peru alias Nova Castella nuncupatis partium maris Oceani certo tunc expresso modo pastoris solatio destituta, nos de persona tua ecclesie predicte sic vacanti de fratrum nostrorum consilio Apostolica auctoritate providimus teque illi in episcopum prefecimus et pastorem curam et administrationem eiusdem ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo; ac tibi ut a quocunque malles catholico antistite gratiam et communionem Apostolice Sedis habente accitis et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus catholicis antistitibus similes gratiam et communionem habentibus munus consecrationis recipere valeas inter alia indulsimus, prout in aliis nostris sub plumbo confectis litteris plenius continetur. Cum autem sicut exhibita nobis nuper pro parte tua petitio continebat, cathedrales illarum partium ecclesie que propter terrarum earundem vastam latitudinem novamque expugnationem admodum adhuc pauce fore dignoscuntur, nimis ab invicem distent adeo ut inibi antistitum copia de facili haberi nequeat, nos ad ea que ad tue commoditatis augmentum peramplius cedere valeant favorabiliter intendere volentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati tibi ut numerus antistitum huiusmodi commode haberi non potuerit assistentibus duobus aut tribus abbatibus usum mithre et baculi ex Apostolico privilegio habentibus seu si abbates huiusmodi reperiri nequiverint duabus aut tribus dicte tue vel aliarum cathedralium [etiam] [2] metropolitanarum ecclesiarum personis in dignitate ecclesiastica constitutis per te [eligendis munus consecra]tionis huiusmodi recipere [valeas] ac ut ab uno ut prefertur antistite [predicto] assistentibus personis huiusmodi [...] fidelitatis debite solito iuramento iuxta

[1] De Ioanne Solano cfr. supra doc. 115a.

[2] Scriptura huius et sequentium minutarum valde corrupta est.

formam eisdem litteris [...] munus predictum alias [iuxta earundem] litterarum tenorem auctoritate nostra impen[dimus] libere tibi possint, premissis ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ceterisque [in contrarium facie]ntibus. Non obstantibus [quibuscumque ple]nam et liberam fa[cultatem et] auctoritatem tenore presentium [concedimus] et elargimur. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. 21 augusti 1544, anno decimo.

118

Tuis exigentibus meritis

Arm. XLI 31 ep. n. 564 die 21 augusti 1544

DE ORDINATIONE EPISCOPI ECCLESIAE LEGIONENSIS

Antonius de Valdevieso nuper episcopus Ecclesiae Legionensis (*Nicaragua*) electus est. Quia propter latitudinem terrarum et paucitatem dioecesium copia episcoporum facile haberi nequit, Summus Pontifex licentiam concedit ut Antistiti consecranti duo aut tres abbates vel personae in dignitate ecclesiastica constitutae assistere possint.

Paulus III

Dilecto filio Antonio de Valdivieso [1] electo Legionensi.

Dilecte fili salutem etc. Tuis exigentibus meritis inducimur ut commoditatibus tuis quantum cum Deo possumus favorabiliter annuamus. Nuper siquidem ecclesia Legionen. in Indiis provincia de Nicaragua nuncupatis partium maris Oceani certo tunc expresso modo

[1] De Antonio de Valdivieso cfr. supra doc. 114a.

pastoris solatio destituta, nos de persona tua ecclesie predicte sic vacanti de fratrum nostrorum consilio apostolica auctoritate providimus teque illi in episcopum prefecimus et pastorem curam et administrationem eiusdem ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo; ac tibi ut a quocumque males catholico antistite gratiam et communionem Apostolice Sedis habente accitis et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus catholicis antistitibus similes gratiam et communionem habentibus munus consecrationis recipere valeres inter alia indulsimus, prout in nostris sub plumbo confectis litteris plenius continetur. Cum autem sicut exhibita nobis nuper pro parte tua petitio continebat cathedrales illarum partium ecclesie que propter terrarum earundem vastam latitudinem novamque expugnationem admodum adhuc pauce fore dignoscuntur nimis ab invicem distent adeo ut inibi antistitum copia de [facili] haberi nequeat, nos ad ea que ad tue commoditatis augmentum peramplius cedere valeant favorabiliter attendere volentes tuis in hac parte supplicationibus inclinati tibi, ut numerus anti[sti]tum huiusmodi commode haberi nequiverit [...] illorum [...] duobus aut tribus abbatibus usum mithre et baculi ex privilegio Apostolico habentibus seu si abbates huiusmodi reperiri non poterint duobus vel tribus dicte tue vel aliarum cathedralium etiam metropolitanarum ecclesiarum personis in ecclesiastica dignitate constitutis per te eligendis munus consecrationis huiusmodi recipere valeas; ac [dicto catholico antistite...] predictum alias iuxta [earundem litterarum] tenorem auctoritate [nostra impendimus libere tibi] possit, premiss[is ac constitutionibus] et ordinationibus apostolicis [ceterisque in contrarium] facientibus. Non obs[tantibus] quibus[cumque] plenam et liberam fa[cultatem] et auctoritatem tenore presentium [concedim]us et elargimur. [Datum] Romae apud Sanctum Petrum, 21 augusti 1544 [anno decimo].

119

Tuis exigentibus meritis

Arm. XLI 31 ep. n. 602 — die 28 augusti 1544

DE ORDINATIONE EPISCOPI ECCLESIAE TLAXCALENSIS

Paulus Gil de Talavera nuper episcopus Ecclesiae Tlaxcalensis electus est. Quia propter latitudinem terrarum et paucitatem dioecesium copia episcoporum facile haberi nequit, Summus Pontifex licentiam concedit, ut Antistiti consecranti duo aut tres abbates vel personae in dignitate ecclesiastica constitutae assistere possint.

Paulus III

Dilecto filio Paulo Gil de Talavera [1] electo Taxcalen.

Dilecte fili salutem etc. Tuis exigentibus meritis inducimur ut commoditatibus tuis, quantum cum Deo [possumus], favorabiliter annuamus. Nuper siquidem [ecclesia] Taxcalen. in partibus occidenta[libus maris] Oceani Indiis et Nova Hispania [nuncupatis], de certo tunc expresso modo [pastoris] solatio destituta, nos de persona tua [ecclesie] predicte sic vacanti de fratrum nostrorum [con]silio Apostolica auctoritate providimus teque illi in episcopum prefecimus et pastorem curam et administrationem eiusdem ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo; ac tibi ut a quocunque malles catholico [antis]tite gratiam et [communionem] Apostolice Sedis habente accitis et in hoc sibi [assis]tentibus duobus vel tribus catholicis antistitibus similes gratiam et communionem habentibus munus consecrationis recipere valeres [inter] alia indulsimus, prout in aliis [nostris] sub plumbo confectis litteris plenius [continetur]. Cum autem sicut exhibita [nobis] nuper pro parte tua petitio [continebat] cathedrales illarum partium ecclesie que propter terrarum earundem vastam [latitudinem] novamque expugnationem [admodum] adhuc pauce fore dignoscantur nimis ab invicem distent adeo ut inibi antistitum copia de facili haberi [nequat], nos ad ea que ad tue commoditatis augmentum peramplius cedere valeant favorabiliter intendere volentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi ut [antistitum...] co[m]mode reperiri non potuerit accitis et in hoc sibi assistentibus duobus [aut] tribus abbatibus [usum] mithre et baculi ex Apostolico privilegio [habentibus] seu [...] personis in ecclesiastica dignitate constitutis duobus aut tribus dicte tue vel aliarum cathedralium etiam metropolitanarum ecclesiarum [...] per te eligendis munus con[secra]tionis huiusmodi re-

[1] De Paulo Gil de Talavera cfr. supra doc. 115.

cipere valeas; ac eidem antistiti ut personis huiusmodi assistentibus munus [predictum alias] iuxta earundem litterarum [tenorem auctoritate nostra] impendere libere tibi possint, [premissis ac] constitutionibus et ordinationibus [apostolicis, ceterisque] in contrarium facientibus. Non obstan[tibus quibus]cunque liberam fa[culta]tem et [auctoritatem] tenore presentium con[cedi]mus et [elargimur]. Datum Romae apud Sanctum Marcum etc., 28 [augusti 1544, anno decimo].

120

Tuis exigentibus meritis

Arm. XLI 31 ep. n. 601 die 28 augusti 1544

DE ORDINATIONE EPISCOPI ECCLESIAE CIVITATIS REGALIS

Bartholomaeus de Las Casas nuper episcopus Ecclesiae Civitatis Regalis (*Chiapas*) electus est. Quia propter latitudinem terrarum et paucitatem dioecesium copia episcoporum facile haberi nequit, Summus Pontifex licentiam concedit, ut Antistiti consecranti duo aut tres abbates vel personae in dignitate ecclesiastica constitutae assistere possint.

Paulus III

Dilecto filio Bartholomeo de las Casas [1] electo Civitatis Regalis.

Dilecte fili salutem etc. Tuis exigentibus meritis inducimur ut commoditatibus tuis, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Nuper siquidem ecclesia Civitatis Regalis in insulis de Chiapa nuncupatis Indiarum maris Oceani certo tunc expresso modo pastoris solatio destituta, nos de persona tua ecclesie predicte sic vacanti

[1] De Bartholomeo de Las Casas cfr. supra doc. 110a.

de fratrum nostrorum consilio Apostolica auctoritate providimus teque illi in episcopum prefecimus et pastorem curam et administrationem eiusdem ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo; ac tibi ut a quocumque malles catholico antistite gratiam et communionem Apostolice Sedis habente accitis et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus catholicis antistitibus similes gratiam et communionem habentibus munus consecrationis recipere valeres inter alia indulsimus, prout in aliis [nostris] sub plumbo confectis litteris plenius continetur. Cum autem sicut exhibita nobis nuper pro parte tua petitio continebat cathedrales illarum partium ecclesie, que propter terrarum earundem vastam latitudinem novamque expugnationem admodum adhuc pauce fore dignoscentur, ita nimis ad invicem distent adeo ut inibi antistitum copia de facili haberi nequeat, nos ad ea que ad tue commoditatis augmentum peramplius cedere valeant favorabiliter intendere volentes, [tuis in] hac parte suplicationibus inclinati tibi, ut antistitum huiusmodi [...] commode haberi nequiverit accitis et sibi assistentibus duobus [vel] tribus abbatibus [illorum] usum mithre et baculi ex privilegio Apostolico habentibus [aut] duobus vel tribus [dicte] tue vel aliarum cathedralium etiam metropolitanarum ecclesiarum personis in dignitate ecclesiastica constitutis per te eligendis munus consecrationis recipere valeas; ac eidem antistiti ab uno ut prefertur antistite predicto assistentibus personis huiusmodi munus predictum alias iuxta earundem [litterarum] tenorem auctoritate nostra impendere libere possint, premissis ac cons[stitutionibus] et ordinationibus Apostolicis, [ceterisque in contra]rium facientibus, non obs[tantibus quibus]cunque plenam et lib[eram facultatem] et auctoritatem tenore presentium [concedimus] et elargimur. D[atum Romae] apud Sanctum Marcum etc., 28 au[gusti 1544 anno decimo].

121

Tuis exigentibus meritis

Arm. XLI 32 fol. 331r — die 16 aprilis 1545

DE ORDINATIONE EPISCOPI ECCLESIAE SANCTAE MARTHAE

Martinus de Calatayud, episcopus electus dioecesis Sanctae Marthae in Indiis maris Oceani (*Columbia*), Summo Pontifici exposuit, copiam episcoporum ad eum ordinandum in illis regionibus facile haberi nequi propter terrarum illarum vastam latitudinem et magnam distantiam sedium episcoparum. Ideoque Paulus III concedit, ut episcopo ordinanti duo aut tres abbates seu aliae personae ecclesiasticae assistere possint.

Paulus III

Dilecto filio Martino de Calatayud [1] electo Sancte Marte.

Dilecte fili, salutem etc. Tuis exigentibus meritis inducimur, ut commoditatibus tuis quantum cum Deo possumus favorabiliter annuamus. Nuper siquidem Ecclesia Sancte Marte in Indiis maris Occeani certo tunc expresso modo pastoris solatio destituta, nos de persona tua Ecclesie predicte sic vacanti, de fratrum nostrorum consilio et Apostolice potestatis plenitudine providimus, teque illi in episcopum prefecimus et pastorem, curam et administrationem eiusdem Ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, ac tibi, ut a quocumque malles catholico Antistite gratiam et communionem Apostolice Sedis habente, accitis et in hoc sibi assistentibus duobus, vel tribus catholicis Antistitibus similes gratiam et communionem habentibus, munus consecrationis recipere valeres, inter alia indulsimus, prout in aliis Nostris sub plumbo confectis litteris plenius continetur. Cum autem, sicut exhibita Nobis nuper pro parte tua petitio continebat, Cathedrales illarum partium Ecclesie, que propter terrarum earundem vastam latitudinem novamque expugnationem pauce adhuc fore dinoscuntur, ita ab invicem distent, ut Antistitum copia de facile inibi haberi nequeat, nos ad ea que ad tue commoditatis augmentum peramplius cedere valeant favorabiliter intendere volentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi ut si copia Antistitum, ad hoc requisita huiusmodi commode reperiri non potuerit, accitis et assistentibus duobus seu tribus abbatibus mitre et baculi ex privilegio Apostolico habentibus, seu in eorum defectum duobus aut tribus dicte tue vel aliarum Cathedralium etiam metropolitanarum Ecclesiarum personis in dignitate ecclesiastica constitutis et in loco ubi munus huiusmo-

[1] De Martino de Calatayud cfr. supra doc. 111.

di tibi recipere placuerit residentibus ac parte eligendis a primo dicto Antistite munus consecrationis huiusmodi recipere valeas, ac Antistiti et abbatibus huiusmodi ut munus predictum alias iuxta earundem litterarum tenorem auctoritate nostra tibi impendere et assistere respective possunt premissis, ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ceterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque, liberam facultatem et auctoritatem tenore presentium concedimus et elargimur. Datum Romae XVI Aprilis 1545, Anno XI.

122

Cum sicut accepimus

Bull. Praed. IV 649
Hernáez I 566-567
BM II 1179

die 1 ianuarii 1546

FACULTATES SPECIALES PRO ELIGENDO PROVINCIALI ORDINIS PRAEDICATORUM IN PERÚ

Cum fratres Ordinis Praedicatorum qui in America operi evangelizationis intenti ob locorum distantias et conventuum exiguitatem Statuta Ordinis de electionibus Priorum vel Superiorum observare nequeant, Summus Pontifex pro utilitate Ecclesiae in illis regionibus exceptiones opportunas vel facultates congruentes ex auctoritate apostolica concedit.

Paulus III

Ad futuram rei memoriam. Cum, sicut accepimus, Fratres Ordinis Predicatorum, seu Sancti Dominici, qui sunt apud Indos in provincia S. Iohannis Baptiste, seu terre del Perù nuncupate, secundum morem dicti Ordinis, propter maximam conventuum seu domorum inter se distantiam, ad eligendum novum Priorem Provincialem eius-

dem provincie de facili congregari non possint, et in nonnullis ex dictis conventibus seu domibus, pauciores quatuor Fratribus existant, quo fit, ut iuxta eiusdem Ordinis magistri generalis statutum dictarum domorum vicarii vocem in electione dicti Provincialis, non habeant, nos, ad pullulantem in illis partibus Religionem Christianam, respectum habentes, considerantesque, non omnia inibi ita solemniter sicut in ceteris orbis partibus fieri posse, dilecti filii moderni eiusdem Ordinis vicarii generalis, super hoc nobis humiliter porrectis precibus inclinati, auctoritate Apostolica, tenore presentium statuimus et ordinamus, quod modernus Prior Provincialis dicte provincie per quadriennium, post finitum tempus presentis sui provincialatus officii, in eodem officio, perseverare ac continuare debeat, quodque dictarum domorum vicarii, etiamsi in eis minus quam quatuor Fratres existant, vocem in electione dicti Prioris provincialis habeant, non obstantibus premissis ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die prima ianuarii MDXLVI, Pontificatus nostri Anno Duodecimo.

123

Super specula

Reg. Lat. 1758 fol. 239r-240r — die 8 ianuarii 1546

ERECTIO CIVITATIS ET ECCLESIAE SANCTI FRANCISCI *DEL QUITO* (*ECUADOR*)

De salute animarum propaganda sollicitus ut Pontifex refert, Carolus imperator et rex humiliter supplicaverat, ut in provincia Sancti Francisci nuncupata noviter reperta oppidum vel pagus de *Quito* in civitatem atque in eadem ecclesia cathedralis erigeretur. Quod benigne concedens Pontifex auctoritate apostolica oppidum praedictum in civitatem erigit, quae Sancti Francisci *del Quito* nuncupetur, et in ea cathedralem ecclesiam sub invocatione beatae Mariae pro uno episcopo, Sancti Francisci *del Quito* nuncupando, qui illius

structuras et aedificia construi faciat et incolas infideles in eadem civitate et dioecesi degentes ad orthodoxae fidei cultum convertat eisque sacramenta Ecclesiae ministret; archiepiscopo Hispalensi metropolitico subiectus omnibus insigniis necnon iurisdictionibus episcopalibus et privilegiis uti et gaudere possit, quibus aliae cathedrales ecclesiae ac illarum praesules in Hispania de iure vel consuetudine utuntur. Ius vero patronatus et praesentandi candidatos idoneos ad dignitates prima quidem nominatione Romano Pontifici reservata Carolo imperatori eiusque successoribus in perpetuum concedit et assignat.

Paulus III

Ad perpetuam rei memoriam. Super specula militantis ecclesie meritis quamvis imparibus pari tenore auctoritate divina dispositione constituti ad universas orbis provincias et loca presertim omnipotentis Dei misericordia per catholicos reges et principes ab infidelibus et barbaris nationibus nostris temporibus recuperata et acquisita aciem nostre meditationis passim reflectimus et ut in locis ipsis dignioribus titulis decoratis plantetur radicitus christiana religio et eorum incole et habitatores venerabilium presulum doctrina et auctoritate suffulti preficiant semper in fide et quod in temporalibus sunt adepti non careant in spiritualibus incrementis opem et operam libenter impendimus efficaces. Sane cum inter ceteras provincias in insulis Indiarum maris Oceani auspiciis carissimi in Christo filii nostri Caroli Romanorum Imperatoris semper Augusti qui etiam Castelle et Legionis ac Aragonum Rex existit noviter repertas sit una Sancti Francisci del Quito nuncupata, cuius incole divine legis expertes existunt et in qua licet in ea plures christiani habitent nullatenus ecclesia adhuc erecta existit, ac idem Carolus Imperator et Rex pio affectu desideret in dicta provincia Sancti Francisci del Quito cuius temporali ditioni sub festa illius gloriosi nominis cultum cuius est orbis terrarum et plenitudo eius, ac universi qui habitant in eo ampliari et eius incolas prefatos ad lucem veritatis pervenire animarum salutem propagari ac propterea oppidum alias pagum del Quito nuncupatum in eadem provincia situm in civitatem et in ea cathedralem ecclesiam erigi nos habita super hiis cum fratribus nostris deliberatione matura de illorum consilio prefato Carolo Imperatori super hoc nobis humiliter supplicante ad omnipotentis Dei laudem et gloriam ac gloriosissime eius genetricis virginis Marie totiusque curie celestis honorem et fidei catholice exaltationem oppidum alias pagum predictum in civitatem que Sancti Francisci del Quito nuncupetur et in ea cathedralem ecclesiam sub in-

vocatione beate Marie pro uno episcopo Sancti Francisci del Quito nuncupando, qui eidem ecclesie presit et illius structuras et edificia construi faciat et in illa eiusque civitate et diocesi verbum Dei predicet ac eorum incolas infideles ad eiusdem Orthodoxe fidei cultum convertat et conversos in eadem fide instruat et confirmet eisque baptismi gratiam impendat et tam illis sic conversis quam aliis omnibus fidelibus in eisdem civitate et diocesi pro tempore degentibus et ad eam declinantibus sacramenta ecclesiastica et alia spiritualia ministret et ministrari faciat et procuret necnon in ecclesia ac civitate et diocesi predictis episcopalem iurisdictionem auctoritatem et potestatem libere exercere valeat ac dignitates, canonicatus et prebendas aliaque beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura erigat et instituat ac alia spiritualia conferat et seminet, prout divini cultus augmento et ipsorum incolarum animarum saluti expediri cognoverit et qui archiepiscopo Ispalen. pro tempore existenti metropolitico iure subsit ac ex omnibus inhibi pro tempore provenientibus preterquam ex auro et argento ac aliis metallis, gemmis et lapidibus pretiosis que pro tempore existentibus Castelle et Legionis Regibus quo ad hoc libera esse decernimus decimas et premitias de iure debitas ceteraque iura episcopalia prout alii in Inspania episcopi de iure vel consuetudine exigunt et percipiunt exigere et percipere libere et licite valeat cum sede et mensa ac aliis insigniis et iurisdictionibus episcopalibus necnon privilegiis, immunitatibus et gratiis quibus alie cathedrales ecclesie ac illarum presules in Inspania de iure vel consuetudine utuntur, potiuntur et gaudent ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum auctoritate Apostolita tenore presentium erigimus et instituimus ac eidem ecclesie oppidum alias pagum in civitatem erectum pro civitate necnon partem provincie Sancti Francisci huiusmodi quam ipse Carolus Imperator et Rex, positis limitibus, statuerit et statui mandaverit pro diocesi illorumque incolas et habitatores pro clero et populo concedimus et assignamus, ac illius mense episcopali predicte pro illius dote redditus annuos ducentorum ducatorum auri per ipsum Carolum Imperatorem et Regem ex redditibus annuis ad eum in dicta provincia expectantibus assignandos donec finem ipsius mense ad valorem ducentorum ducatorum similium ascendant annuatim aplicamus et apropriamus; et insuper ius patronatus et presentandi infra annum propter loci distantiam personas idoneas ad eandem erectam ecclesiam quotiens illius vacatio ac prima vice excepta pro tempore ocurerit Romano pontifici pro tempore existenti per eum in eiusdem ecclesie episcopum et pastorem ad presentationem huiusmodi preficiendum necnon ad dignitates, canonicatus etprebendas ac beneficia erigenda predicta tam ab eorum primeva erectione huiusmodi postquam erecta fuerint quam extunc

deinceps pro tempore vacantia episcopo Sancti Francisci del Quito pro tempore existenti similiter per eum ad presentationem huiusmodi in ipsius dignitatibus, canonicatibus et prebendis ac beneficiis instituendis prefato Carolo Imperatori et pro tempore existenti Castelle et Legionis Regi de simili consilio auctoritate et tenore predictis in perpetuum concedimus et assignamus. Nulli ergo etc. nostre erectionis, institutionis etc. Siquis etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo quadragesimo quinto, sexto idus ianuarii anno duodecimo.

124a

Apostolatus officium

Reg. Lat. 1758 fol. 240r-241r — die 8 ianuarii 1546

PROVISIO ECCLESIAE SANCTI FRANCISCI *DEL QUITO*

Summus Pontifex Garcias Diaz presbyterum dioecesis Toletanae, primum episcopum Ecclesiae Sancti Francisci *del Quito*, in insulis Indiarum maris Oceani noviter repertis, sub invocatione Beatae Mariae, constituit. Provisio haec populo civitatis et dioecesis Sancti Francisci *del Quito*, archiepiscopo Hispalensi et imperatori communicatur. Electo episcopo vero facultas conceditur, ut a quocumque maluerit Antistite catholico munus consecrationis suscipere possit, assistentibus sibi duobus vel tribus episcopis, iuramento fidelitatis consueto ritu praestito, eique absolutio a censuris et poenis ecclesiasticis, quibus forsan ligatus est, impertitur, ut literae apostolicae de provisione suum sortiantur effectum.

Paulus III

Dilecto filio Garsie Diaz [1] electo Sancti Francisci del Quito salu-

[1] Garcias Diaz Arias natus est in oppido *Consuegra* (*Toledo*), sacerdos ordinatus cum primis missionariis in *Perú* profectus est, erat capellanus et consiliarius ipsius Francisci Pizarro; episcopus ordinatus est anno 1547 in *Cuzco;* mortuus est mense aprilis 1562.

tem etc. Apostolatus officium meritis licet imparibus nobis ex alto commissum quo ecclesiarum omnium regimini divina dispositione presidemus utiliter exequi quo adiuvante Domino cupientes solliciti corde reddimur et solertes ut cum de ecclesiarum ipsarum regiminibus agitur committendis tales eis in pastores preficere studeamus qui populum sue cure creditum sciant non solum doctrina verbi sed etiam exemplo boni operis informare commissasque sibi ecclesias in statu pacifico et tranquillo velint et valeant auctore Domino salubriter regere et feliciter gubernare. Dudum siquidem provisiones ecclesiarum omnium apud Sedem Apostolicam tunc vacantium et in antea vacaturarum ordinationi et dispositioni nostre reservavimus decernentes extunc irritum et inane etc. attentari. Postmodum vero ecclesia Sancti Francisci del Quito quam nos hodie in provincia etiam Sancti Francisci del Quito nuncupata in insulis Indiarum maris Oceani noviter repertis consistente sub invocatione beate Marie ex certis causis de fratrum nostrorum consilio Apostolica auctoritate ereximus et instituimus et ad quam ius patronatus et presentandi infra annum propter loci distantiam personam idoneam quotiens illius vacatio ea prima vice excepta pro tempore ocurerit carissimo in Christo filio nostro Carolo Romanorum Imperatori semper Augusto, qui etiam Castelle et Legionis ac Aragonum Rex existit et pro tempore existenti Castelle et Legionis Regi de simili consilio dicta auctoritate reservavimus ab eius primeva erectione huiusmodi apud sedem predictam vacante nos ad provisionem eiusdem ecclesie celerem et felicem de qua nullus preter nos hac vice se intromitere potuit sive potest reservatione et decreto omnibus supradictis ne ecclesia ipsa longe vacationis exponatur incommodis paternis et sollicitis studiis intendentes post deliberationem quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem demum ad te presbiterum Toletan. diocesis cui apud nos de litterarum scientia, vite mundicia, honestate morum, spiritualium providentia et temporalium circumspectione aliisque multiplicum virtutum donis fidedigna testimonia perhibentur direximus oculos nostre mentis quibus omnibus debita meditatione pensatis de persona tua nobis et eisdem fratribus ob tuorum exigentiam meritorum accepta prefate ecclesie de ipsorum fratrum consilio dicta auctoritate providere teque illi in episcopum preficimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo in illo qui dat gratias et largitur premia confidentes quod dirigente Domino actus tuos prefata ecclesia sub tuo felici regimine regetur utiliter et prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Iugum igitur Domini tuis impositum humeris prompta devo-

tione suscipiens curam et administrationem predictas sic exercere studeas sollicite, fideliter et prudenter quod ecclesia ipsa gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam tuque preter eterne retributionis premium nostram et dicte Sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo quadragesimo quinto, sexto idus ianuarii anno duodecimo.

124b

Hodie Ecclesiae Sancti Francisci

Reg. Lat. 1758 fol. 241r — die 8 ianuarii 1546

Dilectis filiis populo civitatis et diocesis Sancti Francisci del Quito salutem etc. Hodie ecclesiae Sancti Francisci del Quito quam nos etiam hodie in provincia etiam Sancti Francisci del Quito nuncupata in insulis Indiarum maris Oceani noviter repertis consistente ex certis causis de fratrum nostrorum consilio Apostolica auctoritate ereximus et instituimus et cui opidum alias pagum del Quito nuncupatum etiam per nos in civitatem erectum pro civitate et certam partem eiusdem provincie pro eius diocesi illiusque incolas et habitatores pro clero et populo concessimus et assignavimus a primeva illius erectione huiusmodi vacanti de persona dilecti filii Garsie electi Sancti Francisci del Quito nobis et eisdem fratribus ob suorum exigentiam meritorum accepta de simili consilio dicta auctoritate providimus ipsumque illi in episcopum prefecimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Quocirca universitatem vestram monemus et ortamur attente vobis per apostolica scripta mandantes quatenus eundem Garsiam electum tamquam patrem et pastorem animarum vestrarum devote suscipientes et debita honorificentia prosequentes eius monitis et mandatis salubribus humiliter intendatis ita quod ipse Garcias electus in vobis devotionis filios et vos in eo per consequens patrem benivolum invenisse gaudeatis. Datum ut supra.

124c

Ad cumulum tuae cedit salutis

Reg. Lat. 1758 fol. 241rv die 8 ianuarii 1546

Venerabili fratri archiepiscopo Ispalen. salutem etc. Ad cumulum tue cedit salutis et fame si personas ecclesiasticas presertim pontificali dignitate preditas divine propitiationis intuitu opportuni presidii et gratie prosequaris. Hodie siquidem ecclesie Sancti Francisci del Quito etc. ut supra usque continetur. Cum igitur ut idem Garcias electus in commissa sibi dicte ecclesie cura facilius proficere valeat tuus favor ei fore noscatur plurimum opportunus fraternitatem tuam rogamus et ortamur attente tibi per Apostolica scripta mandantes quatinus eundem Garsiam electum et prefatam ecclesiam sibi commissam sufraganeam tuam habens pro nostra et Apostolice Sedis reverentia propensius commendatos in ampliandis et conservandis iuribus suis sic eos tui favoris presidio prosequaris quod ipse Garsias electus per tue auxilium gratie se possit in commisso sibi eiusdem ecclesie regimine utilius exercere tuque divinam misericordiam et nostram ac eiusdem sedis benedictionem et gratiam valeas exinde uberius promereri. Datum ut supra.

124d

Gratiae divinae praemium

Reg. Lat. 1758 fol. 241v die 8 ianuarii 1546

Carissimo in Christo filio Carolo Romanorum Imperatori semper Augusto ac carissime in Christo filie Iohanne Castelle et Legionis ac Aragonum Reginae illustri salutem etc. Gratie divine premium et humane laudis preconium acquiritur si per seculares principes ecclesiarum prelatis presertim cathedralium regimini presidentibus opportuni favoris presidium et honor debitus impendatur. Hodie siquidem ecclesie Sancti Francisci del Quito etc. ut supra usque continetur. Cum itaque filii carissimi sit virtutis opus Dei ministros benigno favore prosequi ac eos verbis et operibus pro regis eterni gloria venerari serenitatem vestram cum tu fili Carole etiam Castelle et Legionis ac Aragonum Rex existas rogamus et ortamur attente quatinus eundem Garsiam electum et ecclesiam Sancti Francisci del Quito predictam sue cure commissam habentes pro nostra et Sedis Apostolice reverentia propensius commendatos in ampliandis et conservandis iuribus suis sic eos benigni favoris auxilio prosequamini quod ipse Garsias electus vestri favoris fultus presidio in commisso sibi dicte ecclesie regimine possit Deo propitio prosperari ac vobis exinde a Deo perennis vite premium et a nobis condigna proveniat actio gratiarum. Datum ut supra.

124e

Apostolicae Sedis consueta clementia

Reg. Lat. 1758 fol. 242rv — die 8 ianuarii 1546

Dilecto filio Garsie Diaz presbitero Toletan. diocesis salutem etc. Apostolice Sedis consueta clementia ne dispositiones per eam de cathedralibus ecclesiis pro tempore facte valeant quomodolibet impugnari sed persone ad eas promovende illis puro corde et sincera conscientia remedia prout convenit adibet opportuna. Cum itaque nos hodie ecclesie Sancti Francisci del Quito quam etiam hodie in provincia etiam Sancti Francisci del Quito nuncupata in insulis Indiarum maris Oceani noviter repertis consistente ex certis causis de fratrum

nostrorum consilio Apostolica auctoritate ereximus et instituimus a primeva eius erectione huiusmodi ad presens vacanti de persona tua nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de simili consilio providere teque illi in episcopum et pastorem preficere intendamus nos ne si forsan aliquibus sententiis, censuris et penis ecclesiasticis ligatus sis provisio et prefectio predicte possint propterea quomodolibet impugnari providere volentes teque a quibusvis excommunicationis etc. nuntiamus non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo etc. nostre absolutionis et nunciationis etc. Siquis etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo quadragesimo quinto, sexto idus ianuarii anno duodecimo.

124f

Cum nos hodie

Arm. XLI 35 fol. 58r — die 8 ianuarii 1546

Dilecto filio Garsie Diaz electo Sancti Francisci del Quito.

Dilecte fili, salutem et Apostolicam benedictionem. Cum nos hodie Ecclesie Sancti Francisci del Quito in partibus Indiarum maris Occeani, quam tunc ex certis rationabilibus causis de fratrum nostrorum consilio Apostolica Auctoritate ereximus ab eius primeva erectione huiusmodi apud Sedem Apostolicam vacanti de persona tua nobis et eisdem fratribus ob tuorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorundem consilio Apostolica auctoritate per quasdam providerimus preficiendo te illi in episcopum et pastorem ac tibi qui in presbiteratus ordine constitutus existis ut a quocunque males catholico Antistite gratiam et communionem Apostolice Sedis habente accitis et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus catholicis episcopis similes gratiam et comunionem habentibus munus consecrationis recipere valeres ac eidem Antistiti ut recepto prius per eum a te nostro et Romane Ecclesie nomine fidelitatis debite solito iuramento munus predictum

auctoritate nostra impendere libere tibi posset licentiam et facultatem concesserimus per alias nostras litteras prout in singulis litteris predictis plenius continetur et sicut accepimus in illis partibus episcoporum copia commode haberi non possit, nos ad ea que ad tue commoditatis augmentum cedere valeant favorabiliter intendentes ac volentes te favore prosequi gratioso motu proprio et ex certa nostra scientia tibi ut a quocumque malueris catholico Antistite similes gratiam et comunionem habente accitis et in hoc ei assistentibus duobus abbatibus usum mitre et baculi ex privilegio Apostolico habentibus seu si haberi commode non possint duabus personis in ecclesiastica dignitate constitutis aut si in partibus illis non reperiantur duobus canonicis alicuius metropolitanae vel alterius cathedralis Ecclesie alias iuxta formam dictarum litterarum recipere valeas et dictus Antistes munus ipsum impendere tibi possit licentiam et facultatem auctoritate Apostolica tenore presentium concedimus et indulgemus. Non obstantibus premissis ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die octava Ianuarii MDXLVI, Pontificatus nostri Anno duodecimo.

124g

Cum nos pridem

Reg. Lat. 1758 fol. 241v-242r — die 9 ianuarii 1546

Dilecto filio Garsie electo Sancti Francisci del Quito salutem etc. Cum nos pridem ecclesie Sancti Francisci del Quito tunc a primeva eius erectione per nos facta vacanti de persona tua nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorundem consilio Apostolica auctoritate duxerimus providendum preficiendo te illi in episcopum et pastorem, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Nos ad ea que ad tue commoditatis augmentum cedere valeant favorabiliter intendentes tuis in hac parte sup-

plicationibus inclinati tibi presbitero ut a quocumque malueris catholico antistite gratiam et communionem Apostolice Sedis habente accitis et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus catholicis episcopis similes gratiam et communionem habentibus munus consecrationis recipere valeas, ac eidem antistiti ut recepto prius per eum a te nostro et Romane Ecclesie nomine fidelitatis debite solito iuramento iuxta formam presentibus annotatam munus predictum auctoritate Apostolica impendere libere tibi possit plenam et liberam earundem tenore presentium concedimus facultatem, volumus autem et auctoritate predicta statuimus et decernimus quod si non recepto a te per ipsum antistitem predicto iuramento idem antistes munus ipsum tibi impendere et tu illud suscipere presumpseritis dictus antistes pontificalis officii exercitio et tam ipse quam tu ab administratione tam spiritualium quam temporalium ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso. Preterea etiam volumus quod formam huiusmodi a te tunc prestiti iuramenti nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo munitas per proprium nuntium quantocitius destinare procures. Quodque per hoc venerabili fratri nostro archiepiscopo Ispalen. cui ecclesia ipsa metropolitico iure subesse dignoscitur nullum imposterum preiuditium generetur. Forma autem iuramenti quod prestabis hec est: Ego Garsias etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo quadragesimo quinto, quinto idus ianuarii anno duodecimo.

125

Super universas

Reg. Lat. 1718 fol. 321r-322v — die 12 februarii 1546

ECCLESIA SANCTI DOMINICI IURIBUS METROPOLITICIS INSIGNITUR

Ecclesiae in regnis, insulis, terris et dominiis in magno mari occidentalis Oceani archiepiscopo Hispalensi iure metropolitico subiectae sunt. Propter

magnam distantiam autem fideles illarum Ecclesiarum pro eorum appellationibus aliisque negotiis archiepiscopum adire non facile possunt. Ut incommodis istis medeatur, Summus Pontifex, imperatore et rege Carolo desiderante et supplicante et archiepiscopo Hispalensi consentiente, Ecclesias Sancti Dominici ac Conceptionis de *la Vega,* Sancti Joannis de *Puerto Rico,* de *Cuba* et de *Truxillo,* necnon illas de *Coron* ac Sanctae Marthae et de *Cartagena,* earumque praesules et fideles a iurisdictione metropolitica archiepiscopi Hispalensis eximit, Ecclesiam Sancti Dominici in metropolitanam cum archiepiscopali dignitate et iurisdictione erigit et alias Ecclesias praedictas illarumque episcopos, capitula, clerum et populum archiepiscopo metropolitano Sancti Dominici subiectos esse vult.

Paulus III

Ad perpetuam rei memoriam. Super universas orbis ecclesias eo disponente qui cunctis imperat et cui omnia obediunt meritis licet imparibus constituti levamus in circuitu agri dominici oculos nostre mentis more pervigilis pastoris inspecturi quid ecclesiarum ipsarum presertim cathedralium statui et decori congruat et quid operis circa illas eorumque statum prosperum et felicem impendi debeat et divino fulti presidio quo cuncta ex sua benignitate pro populorum suorum fidelium salute disponantur ad ea que statui ecclesiarum huiusmodi congruunt nostri officii partes salubriter et utiliter intendere curamus prout etiam catholicorum principum exposcit devotio nosque id in Domino conspicimus expedire. Sane nos provide considerantes quod cathedrales ecclesie in regnis, insulis, terris et dominiis in magno mari occidentalis Occeani positis et carissimo in Christo filio nostro Carolo Romanorum Imperatori semper Augusto qui etiam Castelle et Legionis regnorum Rex existit temporali dominio subiectis que de iure patronatus prefati Caroli Imperatoris ac Regis ratione dictorum regnorum ex privilegio Apostolico cui non est hactenus in aliquo derogatum ac archiepiscopo Ispalen. pro tempore existenti iure metropolitico subiecte fore noscuntur per multa milliaria a civitate Ispalen. distant et propter huiusmodi distantiam dilecti filii incole et habitatores dictarum insularum pro eorum apellationibus prosequendis et aliis peragendis negociis absque magno eorum discrimine et temporis diuturnitate ad dictam civitatem se conferre et ipsum archiepiscopum adire nequeant verum si ecclesia Sancti Dominici insule Hispaniole nuncupate in dicto mari posite cui venerabilis frater noster Alfonsus [1] episcopus Sancti Dominici preesse dinoscitur in metropolitanam erigere-

[1] Alphonsus de Fonte mayore. De eo cfr. supra doc. 90.

tur ac Conceptionis de la Vega que prefate ecclesie Sancti Dominici quam diu illi dictus Alfonsus episcopus prefuerit Apostolica auctoritate unita existit ac Sancti Iohannis de Puerto Rico necnon de Cuba insularum et civitatis de Coron de Venezuela ac Sancte Marthe et de Carthagena, ac civitatis de Truxillo de Honduras provinciarum ecclesie illi metropolitico iure subiicerentur exinde profecto salubriori et diligentiori exercitio metropolitice iurisdictionis ac dicte ecclesie Sancti Dominici suffraganearum ac subditorum opportunitatibus plurimum consuleretur; ex hiis et nonnullis aliis rationabilibus causis predicto Carolo Imperatore et Rege hoc summopere desiderante et nobis desuper humiliter supplicante, necnon dilecto filio nostro Garsia tituli Sancte Susanne presbitero Cardinali qui ecclesie Ispalen. que etiam ex simili iure patronatus fore dinoscitur ex dispensatione Apostolica preest in hoc consentiente habita super hiis cum fratribus nostris deliberatione matura et de illorum consilio ad omnipotentis Dei laudem et honorem ac fidei catholice exaltationem necnon totius militantis ecclesie gloriam Sancti Dominici ac Conceptionis de la Vega et Sancti Iohannis de Puerto Rico ac de Cuba et civitatis de Coron ac Sancte Marthe et de Cartagena ac civitatis de Truxillo ecclesias predictas ac earum civitates et dioceses a provincia metropolitana dicte ecclesie Ispalen. cui metropolitico iure subsunt dicta auctoritate tenore presentium separamus et dismembramus ac earumdem sic dismembratarum ecclesiarum presules necnon dilectos filios illarum civitatum et diocesium predictarum clerum et populum ab ipsius Garsie cardinalis et pro tempore existentis archiepiscopi Ispalen. metropoliticis dominio superioritate, visitatione et iurisdictione prorsus eximimus et totaliter liberamus necnon Sancti Dominici et Conceptionis de la Vega cum primum dictus Alfonsus episcopus eidem ecclesie Sancti Dominici preesse desierit videlicet alias unio predicta dissoluta fuerit exnunc prout extunc et contra ac exnunc Sancti Iohannis de Puerto Rico et de Cuba ac civitatis de Coron et Sancte Marthe ac de Carthagena et civitatis de Truxillo ecclesias predictas et earum presules ac prefatos clerum et populum de cetero eidem Garsie cardinali ac archiepiscopo Ispalen. pro tempore existenti metropolitico iure minime subesse volumus necnon dictam ecclesiam Sancti Dominici in metropoliticam cum archiepiscopali dignitate, iurisdictione et superioritate necnon omnimoda palii et crucis delatione ac aliis metropoliticis insigniis de simili consilio dicta auctoritate erigimus et instituimus ita quod prefatus Alfonsus episcopus eidem ecclesie Sancti Dominici absque alia de eius persona predicte ecclesie de novo faciende prefectionem in archiepiscopum presit ac Conceptionis exnunc prout extunc et contra ac etiam exnunc Sancti Iohannis de Puerto Rico et de Cuba ac civitatis

de Coron ac Sancte Marthe et de Carthagena ac civitatis de Truxillo predictas alias que in terminis et limitibus Sancti Dominici eiusdem diocesis erigendas cathedrales ecclesias illarum que civitates et diocesis si quando et quomodo eidem Charolo Imperatori et successoribus suis Castelle et Legionis Regibus expedire magis videbitur pro eius provincia ac Conceptionis et Sancti Iohannis de Puerto Rico ac de Cuba et civitatis de Coron ac Sancte Marthe et de Carthagena ac civitatis de Truxillo ecclesiarum huiusmodi presules pro tempore existentes per suis suffraganeis episcopis necnon dilectos filios illarum capitula et clerum ac populum civitatum et diocesis huiusmodi pro suis provincialibus clero et populo perpetuo concedimus et assignamus ac eos quo ad omnia metropolitica et archiepiscopalia superioritatem, iurisdictionem et iura eidem Alfonso et pro tempore existenti archiepiscopo Sancti Dominici subiectos esse et tamquam membra capiti obsequentes ei de archiepiscopalibus iuribus respondere debere volumus decernentes exnunc irritum et inane etc., attentari non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo etc. nostre separationis, dismembrationis, exemtionis etc. Siquis etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo quadragesimo quinto, pridie idus februarii anno duodecimo.

126

Super universas

Reg. Lat. 1718 fol. 324r-325r — die 12 februarii 1546

ECCLESIA MEXICANENSIS IURIBUS METROPOLITICIS INSIGNITUR

Ecclesiae in regnis, insulis, terris et dominiis in magno mari occidentalis Oceani archiepiscopo Hispalensi iure metropolitico subiectae sunt. Propter magnam distantiam vero fideles illarum Ecclesiarum pro eorum appellationibus aliisque negotiis archiepiscopum adire non facile possunt. Ut incommodis istis medeatur, Summus Pontifex, imperatore et rege Carolo desiderante et

supplicante et archiepiscopo Hispalensi consentiente, Ecclesias de *México*, de *Tlaxcala*, de *Guatemala*, de *Chiapas* et alia erigenda de *Nova Galicia*, earumque praesules et fideles a iurisdictione metropolitica archiepiscopi Hispalensis eximit, Ecclesiam de *México* in metropolitanam cum archiepiscopali dignitate et iurisdictione erigit et alias Ecclesias praedictas illarumque episcopos, capitula, clerum et populum archiepiscopo metropolitano de *México* subiectos esse vult.

Paulus III

Ad perpetuam rei memoriam. Super universas orbis ecclesias eo disponente qui cunctis imperat et cui omnia obediunt meritis licet insufficientibus constituti levamus in circuitu agri dominici oculos nostre mentis more pervigilis pastoris inspecturi quid ecclesiarum ipsarum presertim cathedralium statui et decori congruat et quid operis circa illas eorumque statum prosperum et felicem impendi debeat et divino fulti presidio quo cuncta ex sua benignitate pro populorum suorum fidelium salute disponuntur ad ea que statui ecclesiarum huiusmodi congruunt nostri officii partes salubriter et utiliter intendere curamus, prout etiam catholicorum principum exposcit devotio nosque id in Domino conspicimus expedire. Sane nos provide considerantes quod cathedrales ecclesie in regnis, insulis, terris et dominiis in magno mari occidentalis Occeani positis et charissimo in Christo filio nostro Carolo Romanorum Imperatori semper Augusto qui etiam Castelle et Legionis regnorum Rex existit temporali dominio subiectis que de iure patronatus prefati Caroli Imperatoris ac Regis ratione dictorum regnorum ex privilegio Apostolico cui non est hactenus in aliquo derogatum, ac archiepiscopo Ispalen. pro tempore existenti iure metropolitico subiecte fore noscuntur, per multa milliaria a civitate Ispalen. distant et propter huiusmodi distantiam dilecti filii incole et habitatores dictarum insularum pro eorum appellationibus prosequendis et aliis peragendis negotiis absque magno eorum discrimine et temporis diuturnitate ad dictam civitatem se conferre et ipsum archiepiscopum adire nequeant verum si ecclesia de Mexico insule Nove Hispanie nuncupate in dicto mari posite, cui venerabilis frater noster Iohannes [1] episcopus de Mexico preesse dinoscitur in metropolitanam erigeretur ac de Antequera et de Mechoacan ac de Taxcala et de Guatimala ac Civitatis Regalis de Los Navos de Chiapa et de erigenda Nova Galicia ecclesie illi metropolitico iure subiicerentur

[1] Ioannes de Zumarraga, OFM. De eo cfr. supra doc. 40.

exinde profecto salubriori et diligentiori exercitio metropolitice iurisdictionis ac dicte ecclesie de Mexico et illius suffraganorum ac subditorum opportunitatibus plurimum consuleretur. Ex hiis et nonnullis aliis rationabilibus causis predicto Carolo Imperatore et Rege hoc summopere desiderante et nobis desuper humiliter supplicante, necnon dilecto filio nostro Garsie tituli Sancte Susanne presbitero cardinali qui ecclesie Ispalen. que etiam ex simili iure patronatus fore dinoscitur ex dispensatione Apostolica preest in hoc consentiente, habita super hiis cum fratribus nostris deliberatione matura et de illorum consilio ad omnipotentis Dei laudem et honorem ac fidei catholice exaltationem necnon totius militantis ecclesie gloriam de Mexico ac de Antequera et de Mechoacan ac de Taxcala et de Guatimala ac Civitatis Regalis de Los Navos de Chiapa et de erigenda Nova Galicia ecclesias predictas ac earum civitates et dioceses a provincia metropolitana dicte ecclesie Ispalen. cui metropolitico iure subsunt Apostolica auctoritate tenore presentium perpetuo separamus et dismembramus ac earumdem sic dismembratarum ecclesiarum presules necnon dilectos filios illarum civitatum et diocesis predictarum clerum et populum ab ipsius Garsie cardinalis et pro tempore existentis archiepiscopi Ispalen. metropoliticis dominio, superioritate, visitatione et iurisdictione prorsus eximimus et totaliter liberamus, necnon de Mexico et de Antequera ac de Mechoacan et de Taxcala ac de Guatimala et Civitatis Regalis de Los Navos de Chiapa et de erigenda Nove Galicie ecclesias predictas et earum presules ac prefatos clerum et populum de cetero eidem Garsie cardinali ac archiepiscopo Ispalen. pro tempore existenti metropolitico iure minime subesse volumus, necnon dictam ecclesiam de Mexico in metropolitanam cum archiepiscopali dignitate, iurisdictione et superioritate, necnon omnimoda palii et crucis delatione ac aliis metropoliticis insigniis de simili consilio dicta auctoritate erigimus et instituimus, ita quod prefatus Iohannes episcopus eidem ecclesie de Mexico absque alia de eius persona predicte ecclesie de novo facienda prefectione in archiepiscopum presit ac de Antequera et de Mechoacan ac de Taxcala et de Guatimala ac Civitatis Regalis de Los Navos de Chiapa et de erigenda Nove Galicie predictas aliasque in terminis et limitibus de Mexico eiusdem diocesis erigendas cathedrales ecclesias illarumque civitates et diocesis si quando et quomodo eidem Carolo Imperatori et successoribus suis Castelle et Legionis Regibus magis expediri videbitur pro eius provincia ac ipsarum de Antequera et de Mechoacan ac de Taxcala et de Guatimala ac Civitatis Regalis de los Navos de Chiapa et de erigenda Nove Galicie ac erigendarum ecclesiarum huiusmodi presules pro tempore existentes pro suis suffraganeis episcopis necnon dilectos filios illarum capitula ac clerum et

populum civitatum et diocesium huiusmodi pro suis provincialibus clero et populo perpetuo concedimus et assignamus ac eos quo ad omnia metropolitica et archiepiscopalia superioritatem, iurisdictionem et iura eidem Iohanni et pro tempore existenti archiepiscopo de Mexico subjectos esse et tamquam membra capiti obsequentes ei de archiepiscopalibus iuribus respondere debere volumus. Decernentes exnunc irritum et inane etc. attemptari non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo etc. nostre separationis, dismembrationis, exemptionis, liberationis, erectionis, institutionis etc. Siquis etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo quadragesimo quinto, pridie idus februarii anno duodecimo.

127

Super universas

Reg. Lat. 1718 fol. 322v-323v — die 12 februarii 1546

ECCLESIA CIVITATIS REGUM (*LIMA*) IURIBUS METROPOLITICIS INSIGNITUR

Ecclesiae in regnis, insulis, terris et dominiis in magno mari occidentalis Oceani archiepiscopo Hispalensi iure metropolitico subiectae sunt. Propter magnam distantiam fideles illarum Ecclesiarum pro eorum appellationibus aliisque negotiis archiepiscopum adire non facile possunt. Ut incommodis istis medeatur, Summus Pontifex, imperatore et rege Carolo desiderante et supplicante et archiepiscopo Hispalensi consentiente, Ecclesias Civitatis Regum, de *Cuzco*, Sancti Francisci de *Quito*, Castellae de Auro (*Panamá*), Civitatis Legionensis (*Nicaragua*) ac de *Popayán*, earumque praesules et fideles a iurisdictione metropolitica archiepiscopi Hispalensis eximit, Ecclesiam de *Lima* in metropolitanam cum archiepiscopali dignitate et iurisdictione erigit et alias Ecclesias predictas illarumque episcopos, capitula, clerum et populum archiepiscopo metropolitano de *Lima* subiectos esse vult.

Paulus III

Ad perpetuam rei memoriam. Super universas orbis ecclesias eo disponente qui cunctis imperat et cui omnia obediunt meritis licet insufficientibus constituti levamus in circuitu agri dominici oculos nostre mentis more pervigilis pastoris inspecturi quid ecclesiarum ipsarum presertim cathedralium statui et decori congruat et quid operis circa illas eorumque statum prosperum et felicem impendi debeat et divino fulti presidio quo cuncta ex sua benignitate pro populorum suorum fidelium salute disponuntur ad ea que statui ecclesiarum huiusmodi congruunt nostri officii partes salubriter et utiliter intendere curamus, prout etiam catholicorum principum exposcit devotio nosque id in Domino conspicimus expedire. Sane nos provide considerantes quod cathedrales ecclesie in regnis, insulis, terris et dominiis in magno mari occidentalis Occeani positis et charissimo in Christo filio nostro Carolo Romanorum Imperatori semper Augusto qui etiam Castelle et Legionis regnorum Rex existit temporali dominio subiectis que de iure patronatus prefati Caroli Imperatoris ac Regis ratione dictorum regnorum ex privilegio Apostolico cui non est hactenus in aliquo derogatum ac archiepiscopo Ispalen. pro tempore existenti iure metropolitico subiecte fore noscuntur per multa milliaria a civitate Ispalen. distant et propter huiusmodi distantiam dilecti filii incole et habitatores dictarum insularum pro eorum apellationibus prosequendis et aliis peragendis negotiis absque magno eorum discrimine et temporis diuturnitate ad dictam civitatem se conferre et ipsum archiepiscopum adire nequeant verum si ecclesia Regum in provincia del Peru nuncupata dictorum regnorum cui venerabilis frater noster Ieronimus [1] episcopus Regum preesse dinoscitur in metropolitanam erigeretur ac illi del Cuzco et Sancti Francisci del Quito ac Castelle de Auro provincie terre firme et civitatis Legionen. in provincia de Nicaragua ac de Popayan ecclesie illi metropolitico iure subiicerentur exinde profecto salubriori et diligentiori exercitio metropolitice iurisdictionis ac dicte ecclesie Regum suffraganearum ac subditorum opportunitatibus plurimum consuleretur. Ex hiis et nonnullis aliis rationabilibus causis predicto Carolo Imperatore et Rege hoc summopere desiderante et nobis desuper humiliter supplicante necnon dilecto filio nostro Garsie etiam Sancte Susanne presbitero cardinali qui ecclesie Ispalen. que etiam ex simili iure patronatus fore dinoscitur ex dispositione Apostolica preest in hoc consentiente habita super hiis cum fratribus

---

[1] Hieronymus de Loaysa, OP. De eo cfr. supra doc. 85.

nostris deliberatione matura et de illorum consilio ad omnipotentis Dei laudem et honorem ac fidei catholice exaltationem necnon totius militantis ecclesie [...] gloriam Regum ac del Cuzco et Sancti Francisci del Quito ac Castelle de Auro et civitatis Legionen. ac de Popayan ecclesias predictas ac earum civitates et dioceses a provincia metropolitana dicte ecclesie Ispalen. cui metropolitico iure subsunt Apostolica auctoritate tenore presentium perpetuo separamus et dismembramus, ac earumdem sic dismembratarum ecclesiarum presules necnon dilectos filios illarum civitatum et diocesium predictarum clerum et populum ab ipsius Garsie cardinalis et pro tempore existentis archiepiscopi Ispalen. metropoliticis dominio, superioritate, visitatione et iurisdictione prorsus eximimus et totaliter liberamus; necnon Regum et del Cuzco ac Sancti Francisci del Quito ac Castelle de Auro et civitatis Legionen. ac de Popayan ecclesias predictas et earum presules ac prefatos clerum et populum de cetero eidem Garsie cardinali ac archiepiscopo Ispalen. pro tempore existenti metropolitico iure minime subesse volumus, necnon dictam ecclesiam Regum in metropolitanam cum archiepiscopali dignitate, iurisdictione et superioritate necnon omnimoda palii et crucis delatione ac aliis metropoliticis insigniis de simili consilio dicta auctoritate erigimus et instituimus ita quod prefatus Ieronimus episcopus eidem ecclesie Regum absque alia de eius persona predicte ecclesie de novo facienda prefectione in archiepiscopum presit ac del Cuzco et Sancti Francisci del Quito ac Castelle de Auro et civitatis Legionen. ac de Popayan predictas aliasque in territoriis et limitibus del Peru eiusdem diocesis erigendas cathedrales ecclesias illarum que civitatis et diocesis si et quando et quomodo eidem Carolo Imperatori et successoribus suis Castelle et Legionis Regibus expedire magis videbitur pro eius provincia ac ipsarum del Cuzco et Sancti Francisci del Quito ac Castelle de Auro et civitatis Legionen. ac de Popayan ecclesiarum huiusmodi presules pro tempore existentes pro suis suffraganeis episcopis necnon dilectos filios illarum capitula ac clerum et populum civitatum et diocesium huiusmodi pro suis provincialibus clero et populo perpetuo concedimus et assignamus ac eos quo ad omnia metropolitica et archiepiscopalia superioritatem, iurisdictionem et iura eidem Ieronimo et pro tempore existenti archiepiscopo Regum subiectos esse et tamquam membra capiti obsequentes eidem archiepiscopalibus iuribus respondere debere volumus decernentes ex nunc irritum et inane etc. attemptari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo etc. nostre separationis, dismembrationis, exemptionis etc. Siquis etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo quadragesimo quinto, pridie idus februarii anno duodecimo.

128a

Apostolatus officium

Reg. Lat. 1783 fol. 51v-52v die 27 augusti 1546

PROVISIO ECCLESIAE CORENSIS (*VENEZUELA*)

Ne Ecclesia Corensis, Roderico eius episcopo in insulam Sancti Ioannis (*Puerto Rico*) translato, longae vacationis incommodis exponeretur, Summus Pontifex eidem Michaelem Hieronymum de Vallestreros, presbyterum Hispalensem, ab imperatore praesentatum, in episcopum et pastorem praeficit. Provisio haec capitulo, clero, populo et *universis vassallis* civitatis et Ecclesiae Corensis, necnon archiepiscopo Sancti Dominici, cui Ecclesia Corensis iure metropolitico subest, et imperatori communicatur. Electo episcopo vero absolutio a censuris et poenis ecclesiasticis, quibus forsan ligatus est, impertitur, ut litterae apostolicae de provisione suum sortiantur effectum, eique facultas conceditur, ut a quocumque maluerit catholico Antistite munus consecrationis suscipere valeat, assistentibus sibi duobus vel tribus episcopis, iuramento fidelitatis consueto ritu praestito.

Paulus III

Dilecto filio Michaeli Ieronimo de Vallesteros [1] electo Coren. salutem etc. Apostolatus officium meritis licet imparibus nobis ex alto commissum quo ecclesiarum omnium regimini divina dispositione presidemus utiliter exequi quo adiuvante Domino cupientes solliciti corde reddimur et solertes ut cum de ecclesiarum ipsarum regiminibus agitur commitendis tales eis in pastores preficere studeamus qui populum sue cure creditum sciant non solum doctrina verbi sed etiam

[1] Michael Hieronymus de Vallesteros (Ballesteros) mortuus est anno 1560. *Egaña* 24.

exemplo boni operis informare commissasque sibi ecclesias in statu pacifico et tranquillo velint et valeant auctore Domino salubriter regere et feliciter gubernare. Sane ecclesia Coren. in Indiis terre firme maris Occeani que de iure patronatus carissimi in Christo filii nostri Caroli Romanorum Imperatoris semper Augusti ratione Castelle et Legionis regnorum, quorum ipse Carolus Imperator etiam rex existit ex privilegio Apostolico cui non est hactenus in aliquo derogatum fore dinoscitur tunc ex eo quod nos nuper venerabilem fratrem nostrum Rodericum [2] episcopum insule Sancti Iohannis de Puerto Rico tunc Coren. a vinculo quo ecclesie Coren. cui tunc preerat tenebatur de fratrum nostrorum consilio et Apostolice potestatis plenitudine absolvimus et ad ecclesiam dicte insule Sancti Iohannis tunc certo modo pastoris solatio destitutam de simili consilio transtulimus preficiendo ipsum illi in episcopum et pastorem pastoris solatio destitute. Nos ad provisionem predicte ecclesie celerem et felicem ne ecclesia ipsa Coren. longe vacationis exponatur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes post deliberationem quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam cum eisdem fratribus habuimus diligentem demum ad te presbiterum Ispalen. quem prefatus Carolus Imperator et Rex nobis ad hoc per suas litteras presentavit et cui apud nos de litterarum scientia, vite mundicia, honestate morum, spiritualium providentia et temporalium circumspectione, aliisque multiplicum virtutum donis fidedigna testimonia perhibentur direximus oculos nostre mentis, quibus omnibus debita meditatione pensatis de persona tua nobis et eisdem fratribus ob tuorum exigentiam meritorum accepta prefate ecclesie Coren. de simili eorundem fratrum consilio dicta auctoritate providemus teque illi in episcopum preficimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie Coren. cum limitibus per eundem Carolum Imperatorem et Regem dicte ecclesie Coren. assignandis tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo in illo qui dat gratias et largitur premia confidentes quod dirigente Domino actus tuos prefate ecclesie Coren. sub tuo felici regimine regetur utiliter et prospere dirigetur ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Iugum igitur Domini tuis impositum humeris prompta devotione suscipiens curam et administrationem predictam sic exercere studeas sollicite, fideliter et prudenter quod ecclesia ipsa Coren. gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam tuque preter eterne retributionis premium nostram et Apostolice Sedis benedictionem et gratiam ex-

[2] De Roderico de Bastidas cfr. supra doc. 51.

inde uberius consequi merearis. Datum Romae apud Sanctum Marcum anno etc. millesimo quingentesimo quadragesimo sexto, sexto kalendas septembris anno duodecimo.

128b

Hodie Ecclesiae vestrae

Reg. Lat. 1783 fol. 52v die 27 augusti 1546

Dilectis filiis capitulo ecclesie Coren. salutem etc. Hodie ecclesie vestre Coren. in Indiis terre firme maris Oceani tunc ex eo quod nos nuper venerabilem fratrem nostrum Rodericum episcopum insule Sancti Iohannis de Puerto Rico tunc Coren. a vinculo quo eidem ecclesie cui tunc preerat tenebatur de fratrum nostrorum consilio et Apostolice potestatis plenitudine absolventes et ad ecclesiam dicte insule Sancti Iohannis tunc certo modo vacantem de simili consilio auctoritate Apostolica transtulimus preficiendo ipsum illi in episcopum et pastorem, pastoris solatio destitute de persona dilecti filii Michaelis Ieronimi electi Coren. nobis et eisdem fratribus nostris ob suorum exigentiam meritorum accepta de simili fratrum eorundem consilio dicta auctoritate providimus ipsumque illi in episcopum prefecimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie Coren. sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Quocirca etc., mandamus quatinus eidem Michaeli Ieronimo electo tamquam patri et pastori animarum vestrarum humiliter intendentes ac exhibentes sibi obedientiam et reverentiam debitas et devotas eius salubria monita et mandata suscipiatis humiliter et efficaciter adimplere curetis alioquin sententiam quam idem Michael Ieronimus electus rite tulerit in rebelles ratam habebimus et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum ut supra.

128c

Hodie Ecclesiae Coren.

Reg. Lat. 1783 fol. 52v die 27 augusti 1546

Dilectis filiis clero civitatis et diocesis Coren. salutem etc. Hodie ecclesie Coren. in Indiis terre firme etc. ut supra usque continetur. Quocirca etc. mandamus quatinus eidem Michaeli Ieronimo electo tamquam patri et pastori animarum vestrarum humiliter intendentes ac exhibentes sibi obedientiam et reverentiam debitas et devotas eius salubria monita et mandata suscipiatis humiliter et efficaciter adimplere curetis alioquin sententiam quam idem Michael Ieronimus electus rite tulerit in rebelles ratam habebimus et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum ut supra.

128d

Hodie Ecclesiae Coren.

Reg. Lat. 1783 fol. 52v-53r die 27 augusti 1546

Dilectis filiis populo civitatis et diocesis Coren. salutem etc. Hodie ecclesie Coren. in Indiis terre firme maris Oceani tunc ex eo quod nos nuper venerabilem fratrem nostrum etc. ut supra usque contine-

tur. Quocirca etc. mandantes quatinus eundem Michaelem Ieronimum electum tamquam patrem et pastorem animarum vestrarum devote suscipientes et debita honorificentia prosequentes eius monitis et mandatis salubribus humiliter intendatis, ita quod ipse Michael Ieronimus electus in vobis devotos filios et vos in eo per consequens patrem benivolum invenisse gaudeatis. Datum ut supra.

128e

Ad cumulum tuae cedit salutis

Reg. Lat. 1783 fol. 53r die 27 augusti 1546

Venerabili fratri archiepiscopo Sancti Dominici salutem etc. Ad cumulum tue cedit salutis et fame si personas ecclesiasticas presertim pontificali dignitate preditas divine propitiationis intuitu opportuni presidii et favoris gratia prosequaris. Hodie siquidem ecclesie Coren. in Indiis terre firme etc. ut supra usque continetur. Cum igitur ut idem Michael Ieronimus electus in commissa sibi dicte ecclesie Coren. cura facilius proficere valeat tuus favor sibi fore noscatur plurimum opportunus fraternitatem tuam rogamus, monemus et ortamur attente per Apostolica scripta mandantes quatinus eundem Michaelem Ieronimum electum et prefatam ecclesiam Coren. sibi commissam suffraganeam tuam habens pro nostra et Apostolice Sedis reverentia propensius commendatos in ampliandis et conservandis iuribus suis sic eos tui favoris presidio prosequaris quod ipse Michael Ieronimus electus per tue auxilium gratie se possit in commisso sibi eiusdem ecclesie Coren. regimine utilius exercere tuque divinam misericordiam ac nostram et Apostolice Sedis benedictionem valeas exinde uberius promereri. Datum ut supra.

128f

Hodie Ecclesiae Coren.

Reg. Lat. 1783 fol. 53r die 27 augusti 1546

Dilectis filiis universis vassallis ecclesie Coren. salutem etc. Hodie ecclesie Coren. in Indiis terre firme etc. ut supra usque continetur. Quocirca etc. mandamus quatinus eundem Michaelem Ieronimum electum tamquam patrem et pastorem animarum vestrarum devote suscipientes et debita honorificentia prosequentes ei fidelitatem solitam necnon consueta servitia et iura sibi a vobis debita exhibere integre studeatis alioquin sententiam sive penam quam idem Michael Ieronimus electus rite tulerit seu statuerit in rebelles ratam habebimus et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum ut supra.

128g

Gratiae divinae praemium

Reg. Lat. 1783 fol. 53rv die 27 augusti 1546

Carissimo in Christo filio Carolo Romanorum Imperatori semper Augusto et carissime in Christo filie Iohanne Castelle et Legionis Regine illustri salutem etc. Gratie divine premium et humane laudis

preconium acquiritur si per seculares principes ecclesiarum prelatis presertim pontificali dignitate preditis opportuni favoris presidium et honor debitus impendatur. Hodie siquidem ecclesie Coren. in Indiis terre firme etc. ut supra usque continetur. Cum itaque filii carissimi sit virtutis opus Dei ministros benigno favore prosequi ac eos verbis et operibus pro regis eterni gloria venerari serenitatem vestram cum tu fili Carole etiam Castelle et Legionis Rex existas rogamus et hortamur attente quatinus eundem Michaelem Ieronimum electum et ecclesiam Coren. predictam sue cure commissam habens pro nostra et Apostolice Sedis reverentia propensius commendatos in ampliandis et conservandis iuribus suis sic eos benigni favoris auxilio prosequamini quod ipse Michael Ieronimus electus vestri favoris fultus presidio in commisso sibi dicte ecclesie Coren. regimine possit Deo propitio prosperari ac vobis exinde a Deo perennis vite premium et a nobis condigna proveniat actio gratiarum. Datum ut supra.

128h

Apostolicae Sedis consueta clementia

Reg. Lat. 1783 fol. 53v-54r — die 27 augusti 1546

Dilecto filio Michaeli Ieronimo de Vallesteros presbitero Ispalen. salutem etc. Apostolice Sedis consueta clementia ne dispositione per eam de cathedralibus ecclesiis pro tempore facte valeant quomodolibet impugnari sed persone ad eas promovende illis puro corde et sincera conscientia presidere possint remedia, prout convenit adibet opportuna. Cum itaque nos hodie ecclesie Coren. in Indiis terre firme maris Oceani ad presens certo modo pastoris [solatio] destitute de persona tua nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorundem consilio providere teque illi in episcopum et pastorem preficere intendamus. Nos ne si forsan aliquibus sententiis, censuris et penis ecclesiasticis ligatus sis provisio et prefectio predicte possint propterea quomodolibet impugnari providere vo-

lentes teque a quibusvis excommunicationis etc. ad hoc dumtaxat ut provisio et prefectio predicte ac singule litere Apostolice desuper conficiende suum sortiantur effectum auctoritate predicta tenore presentium absolvimus et absolutum fore nuntiamus non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ac dicte ecclesie iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo etc. nostre absolutionis et nuntiationis etc. Siquis etc. Datum Romae apud Sanctum Marcum anno etc. millesimo quingentesimo quadragesimo sexto, sexto kalendas septembris anno duodecimo.

128i

Cum nos pridem

Reg. Lat. 1783 fol. 54rv die 28 augusti 1546

Dilecto filio Michaeli Ieronimo electo Coren. salutem etc. Cum nos pridem ecclesie Coren. in Indiis terre firme maris Oceani tunc certo modo pastoris solatio destitute de persona tua nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorundem consilio Apostolica auctoritate providerimus preficiendo te illi in episcopum et pastorem, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Nos ad ea que ad tue commoditatis augmentum cedere valeant favorabiliter intendentes tuis in hac parte supplicationibus inclinati tibi presbitero ut a quocumque malueris catholico antistite gratiam et communionem Apostolice Sedis habente accitis et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus catholicis episcopis similes gratiam et communionem habentibus munus consecrationis recipere valeas ac eidem antistiti ut recepto prius per eum a te nostro et Romane ecclesie nomine fidelitatis debite solito iuramento iuxta formam presentibus annotatam munus predictum auctoritate nostra tibi impendere libere et licite possit plenam et liberam earundem tenore presentium concedimus facultatem, volumus autem et auctoritate predicta statuimus et decernimus quod si non recepto a te per ipsum antistitem predicto iu-

ramento idem antistes munus ipsum tibi impendere et tu illud suscipere presumpseritis dictus antistes a pontificalis officii exercitio, et tam ipse quam tu ab administratione tam spiritualium quam temporalium ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso preterea etiam volumus quod forma huiusmodi a te tunc prestiti iuramenti nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo munitas per proprium nuncium quantocius destinare procures quodque per hoc venerabili fratri nostro archiepiscopo Ispalen [1]. cui ecclesia ipsa Coren. metropolitico iure subesse dinoscitur, nullum in posterum preiudicium generetur. Forma autem iuramenti quod prestabis hec est: Ego Michael Ieronimus etc. Datum Romae apud Sanctum Marcum anno etc. millesimo quingentesimo quadragesimo sexto, quinto kalendas septembris anno duodecimo.

---

[1] Per errorem pro «archiepiscopo Ecclesiae Sancti Dominici».

129

Super specula

Reg. Lat. 1783 fol. 55r-56r — die 27 augusti 1546

ERECTIO ECCLESIAE DE *POPAYÁN (COLUMBIA)*

Inter provincias noviter in insulis Indiarum maris Oceani repertis est *Popayán*, cuius incolae divinae legis expertae existunt et ubi iam plures christiani habitant sed Ecclesia nondum erecta est. Imperator desiderat, ut incolae ad lucem veritatis perducantur et propterea oppidum *Popayán* in provincia eiusdem nominis in civitatem et ecclesiam cathedralem erigatur. Summus Pontifex precibus imperatoris annuit et ecclesiam cathedralem sub invocatione beatae Mariae erigit pro uno episcopo, ut ibi verbum Dei praedicet, incolas infideles convertat, sacramenta administret, canonicatus, praebendas aliaque beneficia ecclesiastica instituat. Nova dioecesis archiepiscopo Civitatis Regum (*Lima*) ut suffraganea attribuitur. Episcopalia iura, privilegia et immunitates eaedem sunt ac cathedralium ecclesiarum in Hispania. Imperator limites dioe-

cesis statuet, quos extendere et mutare libere valet. Iuspatronatus ei conceditur et dotatio mensae episcopalis ei imponitur.

Paulus III

Ad perpetuam rei memoriam. Super specula militantis ecclesie meritis licet imparibus divina dispositione locati ad universas orbis provincias et loca presertim omnipotentis Dei misericordia per catholicos reges et principes ab infidelibus et barbaris nationibus nostris temporibus recuperata et acquisita aciem nostre meditationis passim reflectimus ut in locis ipsis dignioribus titulis decoratis plantatis radicitus cristiana religio et eorum incole ac habitatores venerabilium presulum doctrina et auctoritate suffulti proficiant semper in fide et quod in temporalibus sunt adepti non careant in spiritualibus incremento opem et operam libenter impendimus efficaces. Sane cum inter ceteras provincias in insulis Indiarum maris Oceani auspiciis charissimi in Christo filii nostri Caroli Romanorum Imperatoris semper Augusti, qui etiam Castelle et Legionis Rex existit, noviter repertis sit una Popajan nuncupata cuius incole divine legis expertes existunt et in qua licet in ea plures christiani habitent, nulla tamen ecclesia adhuc erecta existit, ac idem Carolus Imperator et Rex pio affectu desideret in dicta provincia Popajan eius temporali ditione subiecta illius gloriosissimi nominis cultum cuius est orbis terrarum et plenitudo eius ac universi qui habitant in eo ampliari ac incolas prefatas ad lucem veritatis perducere animarumque salutem propagari ac propterea oppidum etiam Popajan nuncupatum in eadem provincia situm in civitatem et in ea cathedralem ecclesiam erigi nos habita super hiis cum fratribus nostris deliberatione matura, de illorum consilio prefato Carolo Imperatore et Rege super hoc nobis humiliter supplicante ab omnipotentis Dei laudem et gloriam ac gloriosissime eius genitricis virginis Marie totiusque curie celestis honorem fidei catholice exaltationem oppidum predictum in civitatem que Popajan nuncupetur, ac in ea cathedralem [ecclesiam sub] invocatione beate Marie pro uno episcopo Popajan. nuncupando qui dictam ecclesiam construi procuret et faciat, ac illi presit et in ea illiusque civitate et diocesi verbum Dei predicet ac eorum incolas infideles ad orthodoxe fidei cultum convertat ac conversos in eadem fide instruat et confirmet eisque baptismi gratiam impendat ac tam illis sic conversis quam aliis omnibus fidelibus in civitate et diocesi huiusmodi pro tempore degentibus ac ad eas declinantibus sacramenta ecclesiastica et alia spiritualia mini-

stret ac ministrari etiam faciat et procuret necnon in ecclesia et in civitate ac diocesi predictis episcopalem iurisdictionem auctoritatem et potestatem libere exercere valeat ac dignitates, canonicatus et prebendas aliaque beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura erigat et instituat ac alia spiritualia conferat et seminet, prout divini cultus augmento et ipsorum incolarum animarum saluti expedire cognoverit et qui archiepiscopo Civitatis Regum pro tempore existenti iure metropolitico subsit, ac ex omnibus inhibi pro tempore provenientibus preter quam ex auro et argento ac aliis metallis et gemmis ac lapidibus pretiosis que pro tempore existentibus Castelle et Legionis regibus quoad hoc libera esse decernimus decimas et primicias de iure debitas ceteraque episcopalia iura prout alii in Hispania episcopi de iure vel consuetudine exigunt et percipiunt exigere ac percipere libere et licite valeat cum sede ac mensa et aliis insigniis ac iurisdictionibus episcopalibus necnon privilegiis, immunitatibus et gratiis quibus alie cathedrales ecclesie ac illarum presules in eadem Hispania de iure vel consuetudine utuntur, potiuntur et gaudent ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum auctoritate Apostolica tenore presentium erigimus et instituimus ac eidem ecclesie predicte oppidum Popajan sic per nos in civitatem erectum pro civitate et partem provincie Popajan huiusmodi quam ipse Carolus Imperator et Rex po[sitis] limitibus statuerit et statui mandaverit quos idem Carolus Imperator et pro tempore existens Castelle et Legionis dum et quando ac totiens quotiens expedire videbitur in totum vel in partem augere, extendere, mutare et alterare libere et licite valeat pro diocesi ipsarumque civitatis et diocesis incolas et habitatores pro clero et populo concedimus et assignamus necnon illius mense episcopali predicte pro eius dote, redditus annuos ducentorum ducatorum auri per ipsum Carolum Imperatorem et Regem ex redditibus annuis ad eum in dicta provincia spectantibus assignandos donec fructus ipsius mense ad valorem ducentorum ducatorum similium ascendant annuatim applicamus et apropriamus. Et insuper ius patronatus et presentandi infra annum propter loci distantiam personas idoneas ad erectam ecclesiam predictam quotiens illius vacatio hac prima vice excepta pro tempore occurrerit Romani pontifici pro tempore existenti per eum in eiusdem ecclesie episcopum et pastorem ad presentationem huiusmodi preficiendi necnon ad dignitates, canonicatus et prebendas ac beneficia erigenda huiusmodi ab eorum primeva erectione huiusmodi postquam erecta fuerit, quam ex tunc deinceps pro tempore vacantia episcopo Popajan pro tempore existenti similiter per eum ad presentationem huiusmodi in ipsis dignitatibus, canonicatibus et prebendis ac beneficiis instituendis prefato Carolo Imperatori et pro tempore existenti Ca-

stelle et Legionis Regi de simili consilio auctoritate et tenore supradictis in perpetuum reservamus, concedimus et assignamus. Nulli ergo etc. nostri decreti erectionis, institutionis etc. Siquis etc. Datum Romae apud Sanctum Marcum anno etc. millesimo quingentesimo quadragesimo sexto, sexto kalendas septembris anno duodecimo.

130a

Apostolatus officium

Reg. Lat. 1783 fol. 56v-57r — die 27 augusti 1546

PROVISIO ECCLESIAE DE *POPAYÁN*

Summus Pontifex Ioannem de Valle sacerdotem Segobiensis dioecesis (*Segovia*) primum episcopum eodem die erectae Ecclesiae de *Popayán* constituit. Provisio haec clero et populo civitatis et dioecesis *Popayán*, archiepiscopo Civitatis Regum et imperatori ac reginae annuntiatur. Episcopo electo vero facultas conceditur, ut a quocumque maluerit Antistite catholico munus consecrationis suscipere valeat, assistentibus sibi duobus vel tribus episcopis, iuramento fidelitatis praestito. Summus Pontifex poenas ecclesiasticas eis minatur, si iuramento non praestito consecratio impertitur. Episcopus electus a censuris et poenis ecclesiasticis quibus forsan ligatus existit absolvitur, ut litterae apostolicae de provisione conficiendae effectum suum sortiantur.

Paulus III

Dilecto filio Iohanni Valle [1] electo Popajan salutem etc. Aposto-

[1] Ioannes de Valle mortuus est anno 1562 in itinere versus Hispaniam. *Egaña* 77-78; cfr. BM II 1193 et 1194.

latus officium meritis licet imparibus nobis ex alto commissum quo ecclesiarum omnium regimini divina dispositione presidemus utiliter exequi quo adiuvante Domino cupientes solliciti corde reddimur et solertes ut cum de ecclesiarum ipsarum regiminibus agitur commitendis tales eis in pastores preficere studeamus qui populum sue cure creditum sciant non solum doctrina verbi, sed etiam exempli boni operis informare commissasque sibi ecclesias in statu pacifico et tranquillo velint et valeant auctore Domino salubriter regere et feliciter gubernare. Dudum siquidem provisiones ecclesiarum omnium apud Sedem Apostolicam tunc vacantium et in antea vacaturarum ordinationi et dispositioni nostre reservavimus. Decernentes extunc irritum et inane etc. attentari postmodum vero ecclesia Popajan quam nos hodie in provincia Popajan nuncupata in insulis Indiarum maris Oceani noviter repertis consistente sub invocatione beate Marie pro uno episcopo Popajan nuncupando qui illi preesset et archiepiscopo Civitatis Regum pro tempore existenti metropolitico iure subesset ex certis causis procurante charissimo in Christo filio nostro Carolo Romanorum Imperatore semper Augusto, qui etiam Castelle et Legionis Rex existit, de fratrum nostrorum consilio apostolica auctoritate ereximus et instituimus ac cui opidum ipsum etiam per nos in civitatem erectum pro civitate que Popajan nuncuparetur necnon certam partem ipsius provincie per dictum Carolum Imperatorem et Regem positis limitibus statuendam pro diocesi ipsarumque civitatis et diocesis incolas et habitatores pro clero et populo concessimus et assignavimus et ad quam ius patronatus et presentandi infra annum propter loci distantiam personam idoneam quotiens illius vacatio ea prima vice excepta pro tempore ocurrerit eidem Carolo Imperatori et pro tempore existenti Castelle et Legionis Regi de simili consilio dicta auctoritate reservavimus per alias nostras litteras prout in illis plenius continetur ab eius primeva huiusmodi erectione apud sedem predictam vacante nos ad provisionem eiusdem erecte ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromitere potuit sive potest reservatione et decreto omnibus supradictis, ne ecclesia ipsa longe vacationis exponatur incommodis paternis et sollicitis studiis intendentes post deliberationem quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus ipsis habuimus diligentem demum ad te presbiterum Segobien. diocesis cui apud nos de litterarum scientia, vite mundicia, honestate morum, spiritualium providentia et temporalium circumspectione aliisque multiplicum virtutum donis fidedigna testimonia perhibentur direximus oculos nostre mentis quibus omnibus debita meditatione pensatis de persona tua nobis et eisdem fratribus ob tuorum exigentiam meritorum accepta prefate ecclesie de simi-

li eorundem fratrum consilio dicta auctoritate apostolica providemus teque illi in episcopum preficimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo in illo qui dat gratias et largitur premia confidentes quod dirigente Domino actus tuos prefata ecclesia sub tuo felici regimine regetur utiliter et prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Iugum igitur Domini tuis impositum humeris prom[p]ta devotione suscipiens curam et administrationem predictas sic exercere studeas sollicite, fideliter et prudenter quod ecclesia ipsa gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam tuque preter eterne retributionis premium nostram et dicte Sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis. Datum Romae apud Sanctum Marcum anno etc. millesimo quingentesimo quadragesimo sexto, sexto kalendas septembris anno duodecimo.

130b

Hodie Ecclesiae Popajan

Reg. Lat. 1783 fol. 57rv — die 27 augusti 1546

Dilectis filiis clero civitatis et diocesis Popajan salutem etc. Hodie ecclesie Popajan quam nos etiam hodie in provincia Popajan nuncupata in insulis Indiarum noviter repertis consistente sub invocatione beate Marie pro uno episcopo Popajan nuncupando qui illi preesset ex certis causis procurante carissimo in Christo filio nostro Carolo Romanorum Imperatore semper Augusto, qui etiam Castelle et Legionis Rex existit de fratrum nostrorum consilio Apostolica auctoritate ereximus et instituimus ac cui oppidum etiam Popajan nuncupatum in dicta provincia consistens etiam per nos in civitatem erectum pro civitate que Popajan nuncuparetur necnon certam partem ipsius provincie per eundem Carolum Imperatorem positis limitibus statuendam pro diocesi ipsarumque civitatis et diocesis incolas et habitatores pro

clero et populo concessimus et assignavimus tunc a primeva eius erectione huiusmodi vacanti de persona dilecti filii Iohannis electi Popajan nobis et eisdem fratribus ob suorum exigentiam meritorum accepta de simili consilio dicta auctoritate providimus ipsumque illi in episcopum preficimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in diversis nostris inde confectis litteris plenius continetur. Quocirca etc. mandamus quatinus eidem Iohanni electo tamquam patri et pastori animarum vestrarum humiliter intendentes ac exhibentes sibi obedientiam et reverentiam debitas et devotas eius salubria monita et mandata suscipiatis humiliter et efficaciter adimplere curetis, alioquin sententiam quam idem Iohannes electus rite tulerit in rebelles ratam habebimus et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum ut supra.

130c

Hodie Ecclesiae Popajan

Reg. Lat. 1783 fol. 57v — die 27 augusti 1546

Dilectis filiis populo civitatis et diocesis Popajan salutem etc. Hodie ecclesie Popajan etc. ut supra usque continetur. Quocirca etc. mandantes quatinus eundem Iohannem electum tamquam patrem et pastorem animarum vestrarum devote suscipientes et debita honorificentia pertractantes eius monitis et mandatis salubribus humiliter intendatis ita quod ipse Iohannes electus in vobis devotionis filios et vos in eo per consequens patrem benivolum invenisse gaudeatis. Datum ut supra.

130d

Ad cumulum tuae cedit salutis

Reg. Lat. 1783 fol. 57v-58r die 27 augusti 1546

Venerabili fratri archiepiscopo civitatis Regum salutem etc. Ad cumulum tue cedit salutis et fame si personas ecclesiasticas presertim pontificali dignitate preditas divine propitiationis intuitu opportuni presidii et favoris gratia prosequaris. Hodie siquidem ecclesie Popajan etc. ut supra usque continetur. Cum igitur ut idem Iohannes electus in commissa sibi predicte ecclesie cura facilius prospicere valeat tuus favor ei fore noscatur plurimum opportunus fraternitatem tuam rogamus et ortamur attente tibi per Apostolica scripta mandantes quatinus eundem Iohannem electum et prefatam ecclesiam sibi commissam sufraganeam tuam habens pro nostra et Apostolice Sedis reverentia propensius commendatos in ampliandis et conservandis iuribus suis sic eos tui favoris presidio prosequaris quod ipse Iohannes electus per tue auxilium gratie se possit in commisso sibi eiusdem ecclesie regimine utilius exercere, tuque divinam misericordiam et nostram ac eiusdem Sedis benedictionem et gratiam valeas exinde uberius promereri. Datum ut supra.

130e

Gratiae divinae praemium

Reg. Lat. 1783 fol. 58r die 27 augusti 1546

Charissimo in Christo filio Carolo Romanorum Imperatori semper Augusto et charissime in Christo filie Iohanne Castelle et Legionis Regine illustri salutem etc. Gratie divine premium et humane laudis preconium acquiritur si per seculares principes ecclesiarum prelatis presertim pontificali dignitate preditis opportuni favoris presidium et honor debitus impendatur. Hodie siquidem ecclesie Popajan etc. ut supra usque continetur. Cum itaque filii charissimi sit virtutis opus Dei ministros benigno favore prosequi ac eos verbis et operibus pro regis eterni gloria venerari serenitatem vestram cum tu fili Carole etiam Castelle et Legionis rex existas rogamus et ortamur attente quatinus eundem Iohannem electum et ecclesiam predictam sue cure commissam habens pro nostra et Apostolice Sedis reverentia propensius commendatos in ampliandis et conservandis iuribus suis sic eos benigni favoris auxilio prosequamini quod idem Iohannes electus vestri favoris fultus presidio in commisso sibi dicte ecclesie regimine possit Deo propitio prosperari ac vobis exinde a Deo perennis vite premium et a nobis condigna proveniat actio gratiarum. Datum ut supra.

130f

Apostolicae Sedis consueta clementia

Reg. Lat. 1783 fol. 59r — die 27 augusti 1546

Dilecto filio Iohanni Valle presbitero Segobien. diocesis salutem etc. Apostolice Sedis consueta clementia ne dispositiones per eam de cathedralibus ecclesiis pro tempore facte valeant quomodolibet impugnari sed persone ad eas promovende illis puro corde et sincera conscientia presidere possint remedia prout convenit adibet opportuna. Cum itaque nos hodie ecclesie Popajan quam nos etiam hodie in provincia Popajan nuncupata in insulis Indiarum noviter repertis, consistente sub invocatione beate Marie pro uno episcopo Popajan nuncupando qui illi preesset ex certis causis de fratrum nostrorum consilio Apostolica auctoritate ereximus et instituimus per alias nostras litteras, prout in illis plenius continetur a primeva eius erectione huiusmo-

di ad presens vacanti de persona tua nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de simili consilio dicta auctoritate providere teque illi in episcopum et pastorem preficere intendamus. Nos ne si forsan aliquibus sententiis, censuris et penis ecclesiasticis ligatus sis provisio et prefectio predicte possint propterea quomodolibet impugnari, providere volentes teque a quibusvis excommunicationis etc. ad hoc dumtaxat ut provisio et prefectio predicte ac singule littere Apostolice desuper conficiende suum sortiantur effectum auctoritate predicta tenore presentium absolvimus et absolutum fore nuntiamus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo etc. nostre absolutionis et nuntiationis etc. Siquis etc. Datum Romae apud Sanctum Marcum anno etc. millesimo quingentesimo quadragesimo sexto, sexto kalendas septembris anno duodecimo.

130g

Cum nos pridem

Reg. Lat. 1783 fol. 58v — die 28 augusti 1546

Dilecto filio Iohanni electo Popajan salutem etc. Cum nos pridem ecclesie Popajan tunc certo modo pastoris solatio destitute de persona tua nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorundem consilio Apostolica auctoritate providerimus preficiendo te illi in episcopum et pastorem, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Nos ad ea que ad tue commoditatis augmentum cedere valeant favorabiliter intendentes tuis in hac parte supplicationibus inclinati tibi presbitero ut a quocumque malueris catholico antistite gratiam et communionem Apostolice Sedis habente accitis et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus catholicis episcopis similes gratiam et communionem habentibus munus consecrationis recipere valeas, ac eidem antistiti ut recepto prius per eum a te nostro et Romane ecclesie nomine fidelitatis debite solito iuramen-

to iuxta formam presentibus annotatam munus predictum auctoritate nostra impendere libere tibi possit plenam et liberam earundem tenore presentium concedimus facultatem, volumus autem et auctoritate predicta statuimus et decernimus quod si non recepto a te per ipsum antistitem predicto iuramento idem antistes munus ipsum tibi impendere et tu illud suscipere presu[mp]seritis dictus antistes a pontificalis officii exercitio et tam ipse quam tu ab administratione tam spiritualium quam temporalium ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso preterea etiam volumus quod formam huiusmodi a te tunc prestiti iuramenti nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo munitas per proprium nuntium quantocitius destinare procures quodque per hoc venerabili fratri nostro archiepiscopo civitatis Regum cui ecclesia ipsa metropolitico iure subesse dinoscitur nullum imposterum preiuditium generetur. Forma autem iuramenti quod prestabis hec est: Ego Iohannes electus etc. Datum Romae apud Sanctum Marcum anno etc. millesimo quingentesimo quadragesimo sexto, quinto kalendas septembris anno duodecimo.

131a

Romani Pontificis

Reg. Lat. 1736 fol. 198r-199r — die 8 octobris 1546

PROVISIO ECCLESIAE PATRIARCHALIS INDIARUM

Per obitum Stephani Gabrielis de Merinis Ecclesia patriarchalis Indiarum Occidentalium *quae sede patriarchali caret ac cuius fructus nulli sunt*, vacat. Ferdinandus Nino, nuper archiepiscopus Granatensis (*Granada*), quem imperator Carolus iuxta privilegium patronatus praesentavit, a vinculo Ecclesiae Granatensis absolvitur et patriarcha constituitur. In manibus episcoporum Tudensis (*Tui*) et Lucensis (*Lugo*) iuramentum fidelitatis praestare debet. - Provisio haec etiam *suffraganeis* Ecclesiae Indiarum, clero et populo *civitatis et diocesis Indiarum, universis vassallis ecclesie Indiarum,* imperatori Carolo, episcopis Tudensi et Lucensi communicatur, et ipse Ferdinandus a sententiis, censuris et poenis, quibus forsan ligatus est, absolvitur, ac, ut statum suum

iuxta pontificalis dignitatis exigentiam detentius tenere valeat, fructus et redditus ecclesiae parochialis Sancti Andreae oppidi *Casa Sola* Zamorensis dioecesis retinere dispensatur.

Paulus III

Venerabili fratri Ferdinando [1] nuper archiepiscopo Granaten. in patriarcham Indiarum electo salutem etc. Romani Pontificis quem pastor ille celestis et episcopus animarum potestatis plenitudine sibi tradita ecclesiis pretulit universis solicitudo requirit ut circa cuiuslibet ecclesie statum sic vigilanter excogitet sicque prospiciat diligenter quod per eius providentiam circumspectam tunc per simplicis provisionis officium quodque vero per ministerium translationis accomode prout personam locorum et temporum qualitas exigitur ecclesiarum utilitas persuadet ecclesiis singulis pastor accedat idoneus et rector providus deputetur, qui populum sibi commissum salubriter dirigat ac bona ecclesie sibi commisse non solum gubernet utiliter sed etiam multimodis efferat incrementis. Sane ecclesia Indiarum maris Oceani que sede patriarchali ac capitulo caret ac cuius fructus nulli sunt ac de iure patronatus charissimi in Christo filii Caroli nostri Romanorum Imperatoris semper Augusti ratione Castelle et Legionis regnorum quorum ipse Carolus Imperator etiam Rex existit ex privilegio apostolico cui non est hactenus in aliquo derogatum fore dignoscitur et cui bone memorie Gabriel [2] tituli Sanctorum Iohannis et Pauli presbiter cardinalis Giennen. nuncupatus ex concessione et dispensatione apostolica dum viveret presidebat, per obitum eiusdem Gabrielis cardinalis qui apud Sedem Apostolicam debitum nature persolvit pastoris solatio destituta, nos ad provisionem eiusdem ecclesiae celerem et felicem ne ecclesia ipsa longe vacationis exponatur incommodis paternis et sollicitis studiis intendentes post deliberationem quam de preficiendo eidem ecclesiae personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem demum ad te nuper archiepiscopum Granaten. consideratis grandium virtutum meritis quibus personam tuam illarum

[1] Ferdinandus Nino de Guevara die 18 augusti 1539 episcopus Auriensis (*Orense*) et die 29 martii archiepiscopus Granatensis (*Granada*) constitutus est, die 8 octobris 1546 patriarcha Indiarum Occidentalium ac eodem die episcopus Seguntinus (*Sigüenza*) deputatur, die 31 ianuarii 1547 pallium ei conceditur; anno 1552 mortuus est.

[2] De Stephano Gabriele de Merinis cfr. supra doc. 41.

largitor Altissimus multipliciter insignivit et quod tu qui ecclesiae Granaten. hactenus laudabiliter prefuisti, et quem prefatus Carolus Imperator et Rex prout iuxta privilegium predictum poterat, nobis per suas litteras ad hoc presentavit, dictam ecclesiam Indiarum scies, voles et poteris auctore Domino salubriter regere et feliciter gubernare, direximus oculos nostre mentis intendentes igitur tam dicte ecclesiae Indiarum quam eius gregi dominico salubriter providere, te licet absentem a vinculo quo prefate ecclesie Granaten. cui tunc preeras tenebaris de ipsorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes ad dictam ecclesiam Indiarum de simili consilio apostolica auctoritate transferimus, teque illi in patriarcham preficimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie Indiarum tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, liberamque tibi ad dictam ecclesiam Indiarum transeundi licentiam tribuendo firma spe, fiduciaque conceptis quod dextera Domini tibi assistente propicia dicta ecclesia Indiarum sub tuo felici regimine regetur utiliter et prospere dirigetur ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Volumus autem quod antequam regimini et administrationi dicte ecclesie Indiarum te in aliquo immisceas in manibus venerabilium fratrum nostrorum Tuden. et Lucensis episcoporum seu alterius eorum fidelitatis debite solitum prestes iuramentum iuxta formam quam sub bulla nostra mittimus introclusam quibus et eorum cuilibet per alias nostras litteras mandamus ut ipsi vel alter eorum a te nostro et Romane Ecclesie nomine huiusmodi recipiant seu recipiat iuramentum. Quocirca fraternitati tue etc. mandamus, quatenus ad prefatam ecclesiam Indiarum cum gratia nostre benedictionis accedens curam et administrationem predictas sic exercere studeas solliciter, fideliter et prudenter quod exinde sperati fructus proveniant ac tue bone fame odor ex tuis laudabilibus actibus latius diffundatur, ipsaque ecclesia Indiarum gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam tuque preter eterne retributionis premium nostram et Apostolice Sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo quadragesimo sexto, octavo idus octobris anno duodecimo.

131b

Hodie venerabilem fratrem

Reg. Lat. 1736 fol. 201v die 8 octobris 1546

Venerabilibus fratribus universis suffraganeis ecclesie Indiarum salutem etc. Hodie venerabilem fratrem nostrum Ferdinandum nuper archiepiscopum Granaten. in patriarcham Indiarum electum a vinculo quo ecclesie Granaten. cui tunc preerat tenebatur de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolvimus et ad ecclesiam Indiarum tunc per obitum bone memorie Gabrielis tituli Sanctorum Iohannis et Pauli presbiteri cardinalis Giennen. nuncupati, qui dicte ecclesie Indiarum ex concessione et dispensatione apostolica dum viveret presidebat apud Sedem Apostolicam defuncti pastoris solatio destitutam de simili consilio apostolica auctoritate transtulimus ipsumque illi in patriarcham prefecimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie Indiarum sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Quocirca universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attente vobis per apostolica scripta mandantes, quatenus eidem Ferdinando electo tamquam membra capitis obsequentes et exhibentes sibi obedientiam et reverentiam debitas et devotas ita quod mutua inter vos et ipsum gratia gratos sortiatur effectus et nos devotionem vestram possumus propterea condignis laudibus in Domino merito commendare. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo quadragesimo sexto, octavo idus octobris anno duodecimo.

131c

Hodie venerabilem fratrem

Reg. Lat. 1736 fol. 199rv die 8 octobris 1546

Dilectis filiis clero civitatis et diocesis Indiarum salutem etc. Hodie venerabilem fratrem nostrum Ferdinandum nuper archiepiscopum Granaten. in patriarcham Indiarum electum a vinculo quo ecclesie Granaten. cui tunc preerat tenebatur de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolvimus et ad ecclesiam Indiarum tunc per obitum bone memorie Gabrielis tituli Sanctorum Iohannis et Pauli presbiteri cardinalis Giennen. nuncupati qui dicte ecclesie Indiarum ex concessione et dispensatione apostolica dum viveret presidebat apud Sedem Apostolicam defuncti pastoris solatio destitutam de simili consilio apostolica auctoritate transtulimus ipsumque illi in patriarcham prefecimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie Indiarum sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Quocirca etc. mandamus quatenus eidem Ferdinando electo tamquam patri et pastori animarum vestrarum humiliter intendentes ac exhibentes sibi obedientiam et reverentiam debitas et devotas eius salubria monita et mandata suscipiatis humiliter et efficaciter adimplere curetis alioquin sententiam quam idem Ferdinandus electus rite tulerit in rebelles ratam habebimus et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum ut supra.

131d

Hodie venerabilem fratrem

Reg. Lat. 1736 fol. 199v die 8 octobris 1546

Dilectis filiis populo civitatis et diocesis Indiarum salutem etc. Hodie venerabilem fratrem nostrum Ferdinandum nuper archiepiscopum Granaten. in patriarcham Indiarum electum a vinculo quo ecclesie Granaten. cui tunc preerat tenebatur de fratrum nostrorum consilio et apostolicae potestatis plenitudine absolvimus et ad ecclesiam Indiarum tunc per obitum bone memorie etc. ut supra usque continetur. Quocirca universitatem vestram monemus et hortamur attente vobis per apostolica scripta mandantes quatenus eundem Ferdinandum electum tamquam patrem et pastorem animarum vestrarum devote suscipientes et debita honorificentia pertractantes eius monitis et mandatis salubribus humiliter intendatis, ita quod ipse Ferdinandus electus in vobis devotionis filios et vos in eo per consequens patrem benevolum invenisse gaudeatis. Datum ut supra.

131e

Hodie venerabilem fratrem

Reg. Lat. 1736 fol. 199v die 8 octobris 1546

Dilectis filiis universis vassallis ecclesie Indiarum salutem etc. Hodie venerabilem fratrem nostrum Ferdinandum nuper archiepiscopum Granaten. in patriarcham Indiarum electum, a vinculo quo ecclesie Granaten. cui tunc tenebatur de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolvimus et ad ecclesiam Indiarum per obitum bone memorie etc. ut supra usque continetur. Quocirca universitati vestre etc. mandamus quatenus eundem Ferdinandum electum devote suscipientes et debita honorificentia prosequentes ei fidelitatem solitam necnon consueta servitia et iura sibi a vobis debita exhibere integre studeatis alioquin sententiam sive penam quam idem Ferdinandus electus rite tulerit sive statuerit in rebelles ratam habebimus et faciemus usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum ut supra.

131f

Gratiae divinae praemium

Reg. Lat. 1736 fol. 200r — die 8 octobris 1546

Charissimo in Christo filio Carolo Romanorum Imperatori semper Augusto et charissime in Christo filie Iohanne Castelle et Legionis Regine illustri salutem etc. Gratie divine premium et humane laudis preconium acquiritur si per seculares principes ecclesiarum prelatis presertim pontificali dignitate preditis opportuni favoris presidium et honor debitus impendatur. Hodie siquidem venerabilem fratrem nostrum Ferdinandum nuper archiepiscopum Granaten. in patriarcham Indiarum electum, a vinculo quo ecclesie Granaten. cui tunc preerat tenebatur de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolvimus et ad ecclesiam Indiarum tunc per obitum bone memorie etc. ut supra usque continetur. Cum itaque filii charissimi sit virtutis opus Dei ministros benigno favore prosequi ac eos verbis et operibus pro regis eterni gloria venerari serenitatem vestram cum tu fili Carole etiam Castelle et Legionis Rex existis rogamus et horta-

mur attente, quatenus eundem Ferdinandum electum et prefatam ecclesiam Indiarum sue cure commissam habentes pro nostra et dicte Sedis reverentia propensius commendatos in ampliandis et conservandis iuribus suis sic eos benigni favoris auxilio prosequamini quod idem Ferdinandus electus vestri favoris fulctus presidio in commisso sibi dicte ecclesie Indiarum regimine possit Deo propicio prosperari ac vobis exinde a Deo perennis vite premium et a nobis condigna proveniat actio gratiarum. Datum ut supra.

131g

Cum nos hodie

Reg. Lat. 1736 fol. 201r die 8 octobris 1546

Venerabilibus fratribus Tuden. et Lucen. episcopis salutem etc. Cum nos hodie venerabilem fratrem nostrum Ferdinandum nuper archiepiscopum Granaten. in patriarcham Indiarum electum a vinculo quo ecclesie Granaten. cui tunc preerat tenebatur de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolverimus et ad ecclesiam Indiarum tunc per obitum bone memorie Gabrielis tituli Sanctorum Iohannis et Pauli presbiteri cardinalis Giennen. nuncupati qui dicte ecclesie Indiarum ex concessione et dispensatione apostolica dum viveret presidebat apud Sedem Apostolicam defuncti pastoris solatio destitutam de simili consilio apostolica auctoritate transtulerimus ipsumque illi in patriarcham et pastorem prefecerimus curam et administrationem ipsius ecclesie Indiarum sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur; nos ipsius Ferdinandi electi in partibus illis degentis ne propter hoc ad Sedem predictam accedendo personaliter laborare cogatur, volentes parcere laboribus et expensis fraternitati vestre etc. mandamus, quatenus vos vel alter vestrum ab eodem Ferdinando electo nostro et Romane Ecclesie nomine fidelitatis debite solitum recipiatis seu recipias iuramentum iuxta formam quam sub bulla nostra

mittimus introclusam, ac formam iuramenti huiusmodi quod prefatus Ferdinandus electus prestabit nobis de verbo ad verbum per eius patentes litteras suo sigillo munitas per proprium nuncium quantocitius destinare curetis. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo quadragesimo sexto, octavo idus octobris anno duodecimo.

131h

Apostolicae Sedis consueta clementia

Reg. Lat. 1736 fol. 200v die 8 octobris 1546

Venerabili fratri Ferdinando archiepiscopo Granaten. salutem etc. Apostolice Sedis consueta clementia ne dispositiones per eam de patriarchalibus et aliis cathedralibus ecclesiis pro tempore facte valeant quomodolibet impugnari sed persone ad eas promovende illis puro corde et sincera conscientia presidere valeant remedia prout convenit adhibet opportuna. Cum itaque nos hodie te a vinculo quo ecclesie Granaten. cui preesse dignosceris teneris, de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolvere et ad ecclesiam Indiarum ad presens certo modo pastoris solatio destitutam de simili consilio apostolica auctoritate transferre teque illi in patriarcham et pastorem preficere intendamus nos ne si forsan aliquibus sententiis, censuris et penis ligatus sis translatio et prefectio predicte possint propterea quomodolibet impugnari providere volentes teque a quibusvis excommunicationis etc. innodatus existis ad hoc dumtaxat ut translatio et prefectio predicte ac singule littere apostolice desuper conficiende suum sortiantur effectum auctoritate predicta tenore presentium absolvimus et absolutum fore nunciamus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac dicte ecclesie Indiarum iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo etc. Siquis etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo quadragesimo sexto, octavo idus octobris anno duodecimo.

131i

Personam tuam

Reg. Lat. 1736 fol. 202rv die 8 octobris 1546

Venerabili fratri Ferdinando nuper archiepiscopo Granaten. in patriarcham Indiarum electo salutem etc. Personam tuam nobis et Apostolice Sedis devotam, tuis exigentibus meritis paterna benevolentia prosequentes illa tibi favorabiliter concedimus que tuis commoditatibus fore conspicimus opportuna. Cum itaque nos hodie te a vinculo quo ecclesie Granaten. cui tunc preeras tenebaris de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolverimus, et ad ecclesiam Indiarum certo tunc expresso modo pastoris solatio destitutam de simili consilio apostolica auctoritate transtulerimus preficiendo te illi in patriarcham et pastorem prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur, et sicut accepimus in tempore translationis et prefectionis predictarum parrochialem ecclesiam Sancti Andree loci di Casa Sola Zamoren. diocesis ex dispensatione apostolica obtineris prout obtines, nos tibi ut statum tuum iuxta pontificalis dignitatis exigentiam detentius tenere valeas de alicuius subventionis auxilio providere ac premissorum meritorum tuorum intuitu specialem gratiam facere volentes teque a quibusvis excommunicationis etc. censentes motu proprio non ad tuam vel alterius pro te nobis super hoc oblate petitionis instantiam sed de nostra mera liberalitate tecum ut postquam in vim translationis et prefectionis predictarum pacificam possessionem seu quasi regiminis et administrationis dicte ecclesie Indiarum ac illius bonorum seu maioris partis eorum assecutus fueris parrochialem ecclesiam predictam cuius fructus, redditus et proventus viginti quattuor ducatorum auri de Camera secundum communem extimationem valoris annuis ut etiam accepimus non excedunt ut prius quoad vixeris etiam sint cum dicta ecclesia Indiarum quamdiu illi prefueris retinere libere et licite valeas, generalis concilii ac quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac dicte ecclesie In-

diarum iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus ceterisque contrariis nequaquam obstantibus auctoritate predicta tenore presentium de specialis dono gratie dispensamus. Decernentes propterea parochialem ecclesiam predictam non vacare, ac irritum et inane si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari proviso quod dicta parrochialis ecclesia debitis propterea non fraudetur obsequiis et animarum cura in ea nullatenus negligatur sed eius congrue supportentur onera antedicta. Nulli ergo etc. Siquis etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo quadragesimo sexto, octavo idus octobris anno duodecimo.

132

Ecclesiarum utilitati

Reg. Lat. 1736 fol. 194r-195r — die 8 octobris 1546

PATRIARCHA INDIARUM EPISCOPUS SEGUNTINUS CONSTITUITUR

Ob translationem Ferdinandi de Valdes ad sedem archiepiscopalem Hispalensem (*Sevilla*) Ecclesia Seguntina (*Sigüenza*) vacat. Ferdinandus Nino a vinculo Ecclesiae Granatensis (*Granada*) absolvitur et, ad Ecclesiam patriarchalem Indiarum Occidentalium translatus, episcopus Seguntinus constituitur. In manibus episcoporum Tudensis (*Tui*) et Lucensis (*Lugo*) vel alterius eorum iuramentum fidelitatis praestare debet.

Paulus III

Venerabili fratri Ferdinando [1] nuper archiepiscopo Granaten. in

[1] De Ferdinando Nino de Guevara cfr. doc. 131.

patriarcham Indiarum electo salutem etc. Ecclesiarum utilitati tunc recte consulitur et indemnitati salubriter providetur cum personis circumspectis et idoneis earum cura committitur unde Romanus Pontifex cui id ex apostolatus officio incumbit de universis orbis ecclesiis sollicite cogitans illarum administrationem viris pontificali dignitate preditis interdum committitur per illorum sollertiam et providentiam circumspectam ipse ecclesie preserventur a noxiis, ac felicibus in spiritualibus et temporalibus dante Domino proficiant incrementis. Sane ecclesia Seguntin. que de iure patronatus charissimi in Christo filii nostri Caroli Romanorum Imperatoris semper Augusti, ratione Castelle et Legionis regnorum quorum ipse Carolus Imperator et Rex existit ex privilegio apostolico cui non est hactenus in aliquo derogatum fore dignoscitur, ex eo quod nos nuper venerabilem fratrem nostrum Ferdinandum [2] in archiepiscopum Ispalen. electum nuper episcopum Segutin. a vinculo quo ecclesie Seguntin. cui tunc preerat tenebatur de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolvimus, et ad ecclesiam Ispalen. tunc certo modo pastoris solatio destitutam de simili consilio et apostolica auctoritate transtulimus preficiendo ipsum illi in archiepiscopum et pastorem pastoris solatio destituta, nos tam eidem ecclesie Seguntin. de gubernatore utili et idoneo per quem circumspecte regi et salubriter dirigi valeat quam tibi quem hodie a vinculo quo ecclesie Granaten. cui tunc preeras tenebaris de simili consilio et potestatis plenitudine per alias nostras litteras absolvimus et ad ecclesiam Indiarum maris Oceani certo tunc expresso modo vacantem transtulimus ac eidem ecclesie Indiarum in patriarcham prefecimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie Indiarum tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo ut statum tuum iuxta pontificalis dignitatis exigentiam de ceteris tenere valeas de alicuius subventionis auxilio providere volentes, ac sperantes quod tu quem prefatus Carolus Imperator et Rex prout iuxta privilegium predictum poterat nobis ad hoc per suas litteras presentavit propter grandia virtutum merita quibus personam tuam illarum largitor altissimus insignivit eidem ecclesie Seguntin. esse poteris plurimum utilis et etiam fructuosus te quoad vixeris administratorem in spiritualibus et temporalibus dicte ecclesie Seguntin. de simili eorumdem fratrum consilio, auctoritate predicta constituimus et

---

[2] Ferdinandus de Valdes anno 1529 episcopus Elnensis (*Elne*), a. 1530 ep. Auriensis (*Orense*), a. 1532 ep. Ovetensis (*Oviedo*), mense maii a. 1539 ep. Legionensis (*León*), mense octobris a. 1539 ep. Seguntinus (*Sigüenza*), a. 1546 archiepiscopus Hispalensis (*Sevilla*) constituitur; obiit die 9 decembris 1568. Hierarchia Catholica III.

deputamus curam et administrationem ipsius ecclesie Seguntin. etiam una cum dicta ecclesia Indiarum tibi in eisdem spiritualibus et temporalibus plenarie committendo firma spe fiduciaque conceptis quod dirigente Domino actus tuos prefata ecclesia Seguntin. sub tuo felici regimine regetur utiliter et prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Volumus autem quod debitis et consuetis nuper episcopalis Seguntin. super cuius fructus, redditus et proventus una mille Iohanni de Toledo, et alia pensiones annue trecentorum ducatorum auri largorum Acatio vocato clericis, dilectis filiis illas annuatim percipientibus dicta auctoritate reservate existunt que salve remaneant, supportatis oneribus de residuis fructus, redditus et proventus huiusmodi disponere et ordinare libere et licite valeas sicuti episcopi Seguntin. qui pro tempore fuerunt de illis disponere et ordinare potuerant, seu ei debuerunt alienatione tamen quorumcumque illius bonorum immobilium et preciosorum mobilium tibi penitus interdicta; quodque antequam regimini et administrationi dicte ecclesie Seguntin. te in aliquo immisceas in manibus venerabilium fratrum nostrorum Tuden. et Lucen. Episcoporum seu alterius eorum fidelitatis debite solitum prestes iuramentum iuxta formam quam sub bulla nostra mittimus introclusam quibus et eorum cuilibet per alias nostras litteras mandavimus ut ipsi vel alter eorum nostro et Romane Ecclesie nomine huiusmodi recipiant seu recipiat iuramentum. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus curam et administrationem ecclesie Seguntin. huiusmodi sic per te vel alium seu alios sollicite geras et fideliter prosequaris quod ipsa ecclesia Seguntin. gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque preter eterne retributionis premium nostram et Apostolice Sedis benedictionem et gratiam exinde uberius valeas promereri. Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno etc. millesimo quingentesimo quadragesimo sexto, octavo idus octobris, anno duodecimo.

133

Exponi nobis nuper

Arm. XLI 38 fol. 219r-220r die 8 martii 1547

DOMUS AD PROVINCIAM ORIGINIS RESTITUITUR

Exposito quod prius peracta domus Sancti Ioachim in oppido de *Bota*, dioecesis Hispalensis, a provincia huius nominis separatio eiusque incorporatio in provinciam Sanctae Crucis Indiarum maris Oceani a praedecessore Clemente VII concessa ad bonum finem non verterit, sive ob distantiam locorum sive ob alias causas, Summus Pontifex benigne suscipit supplicationem oratoris necnon eiusdem Ordinis Praedicatorum magistri generalis pro immutatione et annullatione praedictae ordinationis et domum, de qua agitur, a provincia Sanctae Crucis iterum dismembrat illamque provinciae Bothicae in omnibus et per omnia applicat et appropriat. — Insuper, cum in civitate Sancti Dominici Indiarum piscium penuria existat et filii Sancti Dominici in eadem civitate degentes propter eorum paupertatem copiam sufficientem piscium ad vescendum habere nequeant, Summus Pontifex benigne concedit, ut carnibus uti possint, sive ipsi fratres eiusdem Ordinis sive aliae personae in domo Sancti Dominici pro tempore existentes, et quidem omnibus et singulis anni diebus, quibus esus carnium ab Ecclesia interdicitur.

Paulus III

Dilectis filiis Illefonsi Burgen. ordinis fratrum predicatorum professori, ac provincie Sancte Crucis Indiarum maris Occeani iuxta morem eiusdem ordinis priori provinciali.

Dilecte fili salutem etc. Exponi nobis nuper fecisti quod licet alias tunc magister generalis ordinis fratrum predicatorum ex certis tunc expressis causis per suas patentes litteras provinciam Sancte Crucis Indiarum maris Occeani eiusdem ordinis perpetuo instituerit ac statuerit et ordinaverit quod provincialis dicte provincie eodem eligeretur modo, quo alii provinciales eiusdem ordinis eligi solebant, ita quod, expleto capitulo provinciali ipsius ordinis, in quo ipse provincialis eligeretur, ipso facto, absque alia confirmatione desuper facienda confirmatus censeretur, ac huiusmodi provincialatus officium ad quadriennium dumtaxat duraturum, illico acceptare teneretur ac voluerit quod comitatus dicte provincie electiones suorum per eos legitime factas, ad dictum capitulum provinciale, pro illarum confirmatione mittere tenerentur, necnon domus Sancti Ioachim oppidi de Bota, Hispalen. diocesis, dicti ordinis a provincia Bethica, iuxta morem eiusdem ordinis, de qua tunc existebat, separaverit et dismembraverit, illamque provincie Sancte Crucis huiusmodi applicaverit. Et deinde

littere predicte, ac in eis contenta quecumque vive vocis oraculo, felice recordatione Clementis papae VII predecessoris nostri, Apostolica auctoritate confirmate fuerint, prout in predictis ac nonnullorum Sancte Romane Ecclesie cardinalium desuper confectis litteris plenius dicitur continere. Nichilominus cum sepe contingat, ea que prius ad bonum finem concessa fuerant, successu temporis eisdem temporibus esse immutanda, domus predicta ac illius fratres in ea pro tempore existentes, minus recte propter eius a provincia Sancte Crucis huiusmodi distantiam visitari et reformari possunt, et nonnulla per easdem litteras eidem provincie Sancte Crucis concessa, potius provincie Sancte Crucis et ordinis huiusmodi damno et villipendio, quam honori et utilitati existunt, devote tam pro parte tua, quam dilecti filii moderni eiusdem ordinis generalis magistri, nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus litteras predictas preterquam quo ad institutionem dicte provincie ac illius provincialis electionem cassare et annullare aliasque in premissis opportune providere, de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui singularum et presertim religiosarum personarum, sub suae religionis iugo altissimo famulantur salubrem directionem sinceris desideramus affectibus, singularum litterarum predictarum veriores tenore, ac si de verbo ad verbum insererentur, presentibus pro expressas habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, volumus et eadem Apostolica auctoritate per presentes decernimus, quod singulae litterae predictae, quo ad institutionem provincie Sancte Crucis, necnon electionem illius provincialis huiusmodi, ita quod de ipso confirmatus esse censeatur, dumtaxat valeant, illasque quoad omnia et singula alia in eis contenta constitutionibus seu consuetudinibus generalis ipsius ordinis impugnantia revocamus, cassamus et adnullamus, ac cassas, revocatas et adnullatas esse, ac nemini preterquam quo ad institutionem provincie Sancte Crucis et electionem provincialis huiusmodi suffragari posse, sed provinciam Sancte Crucis predictam, et provincialem ac priores et fratres in ea pro tempore existentes, alias iuxta morem et consuetudinem provincie Bethice predicte ac constitutiones et generales consuetudines predictas regi et gubernari debere decernimus, ac dictam domum a provincia Sancte Crucis huiusmodi perpetuo dismembramus et separamus, illamque provincie Bethice huiusmodi, prout ante separationem et dismembrationem ac applicationem per ipsum magistrum generalem ut prefertur, factas huiusmodi erat in omnibus et per omnia perinde, ac si ille facte non fuissent, applicamus et appropriamus, illamque eiusque fratres in ea pro tempore existentes, necnon res et bona ac iura quecumque, presentia et futura, ab omni cura, regimine, visitatione, correctione, iurisdictione, obedientia, potestate moderni et pro tempore existen-

tis provincialis dicte provincie Sancte Crucis, illiusque officialium prorsus eximimus et totaliter, perpetuo liberamus, illamque et illos ac illa cure, regimini, visitationi, correctioni moderni et pro tempore existentis provincialis dicte provincie Bethice summittimus et subiicimus, necnon cum, ut etiam eadem petitio subiungebat in civitate Sancti Dominici Indiarum predictarum piscium penuria existat, ac dilecti filii priori et conventus domus eiusdem Sancti Dominici ordinis et civitatis predictorum, ob illorum paupertatem copiam eorundem piscium, que ad se vescendum sufficiat haberi nequant ut in aliquibus ius dicti ordinis domibus et conventibus, ex privilegio Apostolico, carnibus uti possint, eisdem priori, conventui ac fratribus et aliis personis in eadem domo Sancti Dominici pro tempore existentibus, ut omnibus et singulis anni diebus, quibus esus carnium ab Ecclesia interdicitur, absque alicuius conscientie scrupulo aut censurarum et penarum etiam in statutis domus et ordinis predictorum contentis incursu, eisdem carnibus uti, et vesci libere et licite possint, nec propterea per quosvis illorum superiores reprehendi, aut alique censure in eos promulgari valeant licentiam et facultatem concedimus, non obstantibus premissis ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ac provinciarum et ordinis predictorum iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae etc. VIII Martii 1547, Anno 13.

134

Cum sicut nobis

Arm. XLI 38 fol. 221r-224r die 8 martii 1547

FACULTATES PRO PRAEDICATORE ET VICARIO ORDINIS PRAEDICATORUM

Franciscus Vazquez a magistro generali Ordinis Praedicatorum praedicator et vicarius deputatus est ad partes Indiarum et alias provincias regi Por-

tugalliae et imperatori Aethiopiae subiectas ut ibi cum fratribus eiusdem Ordinis verbum Dei praedicare possit. Laudabile eius in propaganda fide catholica propositum prosequi volens Summus Pontifex ipsi ampliores facultates et gratiarum munera impertit: primo ut in his provinciis quascumque domos aedificare possit, quae usquequo ad sex earum ascenderint, provinciae Portugalliae subiectae sint, cuius statuta in iisdem observandae sint, salvo quidem iure eligendi priorem et superiorem etiam in domibus minoribus. Cum vero sex domus vel conventus constituere contigerit, capitulum celebrare liceat et in iisdem partibus provincialem et vicarium generalem eligere absque ulla approbatione provincialis Portugalliae et cum confirmatione apostolica eo ipso concessa. Insuper ipsi et fratribus necnon christifidelibus qui condiciones appositas rite impleverint, plenaria conceditur indulgentia per decennium. Tandem ipse et successores omnibus privilegiis et indultis gaudere possunt, quibus alii eiusdem Ordinis fratres potiuntur et gaudent.

Paulus III

Dilecto filio Francisco Vazquez ordinis Fratrum Predicatorum professori.

Dilecte fili salutem etc. Cum sicut nobis nuper exponi fecisti dilectus filius ordinis Fratrum Predicatorum generalis magister te predicatorem et vicarium dicti ordinis deputaverit et ut ad partes Indiarum et alias provincias tam charissimorum in Christo filiorum nostrorum Iohannis Portugallie et Algarbiorum Regis Illustris et Iohannis David Regis et Imperatoris Ethiopie quam nonnullorum aliorum Regum et Principum temporali dominio subiectas una cum certis dicti ordinis fratribus accedere et verbum Dei predicare posses per quasdam suas patentes litteras indulserit, prout in litteris predictis plenius dicitur continere, nos tuum in propaganda fide catholica et animas infidelium de faucibus inferni eripiendi laudabile propositum amplioribus favoribus et gratiarum muneribus prosequi volentes tibi, ut quascumque domos in partibus et provinciis huiusmodi erigere et edificare possis, que [...] postquam edificate fuerint provincie Portugallie dicti ordinis usque quo ad illarum sex domos seu conventus ascendant subiecte sint et ad eiusdem ordinis et provincie statutorum observationem quoad omnia teneantur tu quoque cum fratribus seu sociis predictis aut successores vestri in domibus seu conventibus, pro te aut illis edificandis etiam si in singulis domibus seu conventibus huiusmodi quinque tantum vel sex religiosi existant ad prioris et superioris ac vicarii conventus electionem procedere, et deinde cum sex illorum do-

mos seu conventus constituere capitulum celebrare necnon eiusdem provincie et ordinis in partibus illis provincialem ac vicarium generalem, qui eo ipso postquam electi fuerint illorum electio absque aliqua provincialis generalis provincie Portugallie huiusmodi aut cuiusvis alteris approbatione dicta auctoritate apostolica confirmata sit et esse censeatur, prioris videlicet ad tres et superioris aut vicarii conventualium ad duos necnon provincialis ad quatuor et vicarii generalis huiusmodi ad sex annos tantum quibus respective suntis vicarius ad vicariatus per octo et provincialis generalis ad provincialatus per sex ac prior ad prioris per quatuor, necnon superior ad superioris et vicarius conventualis ad vicariatus conventualis officia huiusmodi per duos annos inelegibiles existant eligere, necnon in eodem capitulo profiteri volentes ad professionem admittere et illis habitum regulare exhibere. Quodque fratres huiusmodi in eadem capitulo convenire teneantur, et nullus aliquem alterius provincie fratrem, absque speciali provincialis per magistrum ordinis et provincie cuius ille esset curam specialem recipere possit aut debeat sub excommunicationis late sententie pena ipso facto incurrenda auctoritate apostolica predicta, dummodo ad omnia premissa dicti magistri generalis expressus accedat assensus, tenore presentium concedimus pariter et indulgemus. Ac tibi et fratribus, seu sociis ac successoribus vestris necnon omnibus et singulis christifidelibus utriusque sexus vere penitentibus et confessis, seu confitendi statutis a iure temporibus verum propositum habentibus qui per decennium proxime futurum in Sancti Dominici domus erigere huiusmodi in primo anno postquam erecte fuerint in partibus illis generalem eligendo a primis vesperis usque ad occasum solis diei festivitatis eiusdem festi devote visitaverint et inibi pro augmento eiusdem fidei catholice ac unione principum christianorum orationem dominicam et salutationem angelicam aut alias pias preces iuxta eorum devotionem recitaverint omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem de Omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi auctoritate et tenore premissis concedimus et elargimur. Ac tibi et successoribus ac fratribus predictis uti omnibus et singulis gratiis, privilegiis, favoribus et indultis quibus alii eiusdem ordinis fratres quomodolibet utuntur potiuntur et gaudent, ac uti potiri et gaudere poterunt in futurum uti potiri et gaudere libere et licite valeatis in omnibus et per omnia perinde ac si tibi et sociis ac successoribus vestris prefatis specialiter et in individua concessa fuissent auctoritate et tenore predictis de speciali gratia indulgemus. Non obstantibus apostolicis ac in provincialibus et sinodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, necnon dicti ordinis statutis et consuetudinibus, privile-

giis quoque, indultis et litteris apostolicis ordini ac provincie Portugallie huiusmodi et illius generali superioribus et personis quomodolibet pro tempore concessis, ac etiam iteratis vicibus invocatis quibus illorum veriores tenores ac si de verbo ad verbum inserti forent presentibus quos quomodo ad indulgentias [..] concessas huiusmodi potestate dictum decennium minime valituris et decernimus pro sufficienter expressis et insertis habentes illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat harum serie specialiter et expresse derogamus ceterisque contrariis quibuscunque. Datum Romae etc. VIII martii 1547, anno 13.

135

Tuis exigentibus meritis

Arm. XLI 39 fol. 84r — die 26 maii 1547

DE ORDINATIONE EPISCOPI ECCLESIAE CORENSIS (*VENEZUELA*)

Summus Pontifex Michaelem de Vallesteros episcopum Corensem in *Venezuela* nominavit ac ordinationem eius episcopo ab eoipso eligendo commisit, assistentibus duobus vel tribus aliis episcopis. Sed quia in illis partibus copia episcoporum haberi non facile potest, duo vel tres abbates vel aliae personae ecclesiasticae episcopo ordinanti assistere possunt.

Paulus III

Dilecto filio Michaeli Ieronimo de Vallesteros [1] electo Coren.

---

[1] De Michaele Hieronymo de Vallesteros cfr. supra doc. 128.

Dilecte fili salutem etc. Tuis exigentibus meritis inducimur ut commoditatibus tuis quantum cum Deo possumus favorabiliter annuamus. Nuper siquidem Ecclesia Coren. in Indiis terre ferme maris Oceani, certo tunc expresso modo, pastoris solatio destituta, nos de persona tua Ecclesie predicte sic vacanti de fratrum nostrorum consilio et Apostolice potestatis plenitudine providimus teque illi in episcopum prefecimus et pastorem, curam et administrationem eiusdem Ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, ac tibi ut a quocunque malles catholico Antistite gratiam et communionem Apostolice Sedis habente accitis et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus catholicis Antistitibus similes gratiam et communionem habentibus munus consecrationis recipere valeres inter alia indulsimus, prout in aliis nostris sub plumbo confectis litteris plenius continetur. Cum autem sicut exhibita nobis nuper pro parte tua petitio continebat Cathedrales illarum partium Ecclesie, que propter terrarum earundem vastam latitudinem novamque expugnationem pauce adhuc fore dignoscuntur ita ad invicem distent ut Antistitum copia de facili inibi haberi nequeat, nos ad ea que ad tue commoditatis augmentum peramplius cedere valeant, favorabiliter intendere volentes tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi ut si copia Antistitum ad hoc requisita huiusmodi commode reperiri non potuerit ut a quocunque malueris catholico Antistite gratiam et communionem Sedis huiusmodi habente accitis et in hoc sibi assistentibus duobus seu tribus abbatibus usum mitre et baculi ex privilegio Apostolico habentibus, seu, si abbates huiusmodi haberi nequeant, duobus aliis personis in dignitate Ecclesiastica constitutis per te eligendis munus consecrationis huiusmodi recipere valeas ac Antistiti et personis assistentibus huiusmodi ut munus predictum alias iuxta earundem litterarum tenorem auctoritate nostra tibi impendere et assistere respective possint liberam facultatem et auctoritatem tenore presentium concedimus et elargimur premissis, ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ceterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Marcum die 26 Maii 1547, Pontificatus Nostri anno 13.

136

Tuis exigentibus meritis

Arm. XLI 39 fol. 85r die 26 maii 1547

DE ORDINATIONE EPISCOPI ECCLESIAE POPAYANENSIS

Cum in illis partibus Ecclesiae Cathedrales ita ad invicem distent ut copia Antistitum de facili haberi nequeat, Summus Pontifex benigne annuit supplicationi electi episcopi de *Popayán* ipsi concedendo ut a quocumque maluerit catholico Antistite munus consecrationis recipere valeat, ipsi quidem assistentibus duobus vel tribus abbatibus vel duabus personis in dignitate ecclesiastica constitutis ab ipso oratore eligendis, quibus libera ad hoc auctoritate apostolica facultas datur. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Paulus III

Dilecto filio Iohanni Valle [1] electo Popayan.

Dilecte fili salutem etc. Tuis exigentibus meritis inducimur ut commoditatibus tuis quantum cum Deo possumus favorabiliter annuamus. Nuper siquidem Ecclesia Popayan in Indiis maris Oceani tunc a primeva eius erectione per Nos facta vacanti nos de persona tua Ecclesie predicte sic vacanti de fratrum nostrorum consilio et Apostolice potestatis plenitudine providimus, teque illi in episcopum prefecimus et pastorem, curam et administrationem eiusdem Ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, ac tibi, ut a quocumque malles catholico Antistite gratiam et communionem Apostolice Sedis habente accitis et in hoc sibi assistentibus duo-

[1] De Ioanne de Valle cfr. supra doc. 130.

bus vel tribus catholicis Antistitibus similes gratiam et communionem habentibus, munus consecrationis recipere valeres inter alia indulsimus, prout in aliis nostris sub plumbo confectis litteris plenius continetur. Cum autem sicut exhibita nobis nuper pro parte tua petitio continebat Cathedrales illarum partium Ecclesie, que propter terrarum earundem vastam latitudinem novamque expugnationem pauce ad hoc fore dignoscuntur, ita ad invicem distent ut Antistitum copia de facili inibi haberi nequeat, nos ad ea que ad tue commoditatis augmentum peramplius cedere valeant favorabiliter intendere volentes tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi, ut si copia Antistitum ad hoc requisita huiusmodi commode reperiri non potuerit, ut a quocumque malueris catholico Antistite gratiam et communionem Sedis huiusmodi habente accitis, et in hoc sibi assistentibus duobus seu tribus abbatibus usum mitre et baculi ex privilegio Apostolico habentibus, seu si abbates huiusmodi haberi nequeant, duobus aliis abbatibus vel personis in dignitate ecclesiastica constitutis per te eligendis munus consecrationis huiusmodi recipere valeas, ac Antistiti et personis assistentibus huiusmodi, ut munus predictum alias iuxta earundem litterarum tenorem auctoritate nostra tibi impendere et assistere respective possint liberam facultatem et auctoritatem tenore presentium concedimus et elargimur premissis, ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ceterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Marcum die 26 Maii 1547, Pontificatus Nostri Anno XIII.

137

Cum nos nuper

Reg. Lat. 1783 fol. 104v-105r — die 15 iunii 1547

ARCHIEPISCOPO DE *MÉXICO* PALLIUM ASSIGNATUR

Ecclesia Mexicanensi in metropolitanam cum archiepiscopali dignitate et iurisdictione erecta et Ioanne de Zumarraga ad gradum archiepiscopi pro-

moto, ipse Ioannes per magistrum Gasparem de Lahoz pallium quod est signum plenitudinis pontificalis officii humiliter postulavit. Summus Pontifex precibus annuit et pallium Ioanni assignat, ab episcopis Antequerensi (*Oaxaca*) et Mechuacanensi vel alteri eorum ipsi Ioanni tradendum, iuramento fidelitatis recepto. Archiepiscopus pallio illis solummodo diebus uti potest qui expresse in ipsius Ecclesiae privilegiis continentur.

Paulus III

Venerabili fratri Iohanni [1] nuper episcopo in archiepiscopum Mexicanen. electo salutem etc. Cum nos nuper ecclesiam Mexicanen. insule nove Hispanie nuncupate in magno mari occidentalis Occeani posite, cui etiam tunc preesse dinoscebaris in metropolitanam cum archiepiscopali dignitate, iurisdictione et superioritate, necnon omnimoda pallii et crucis delatione et aliis metropoliticis insigniis de venerabilium fratrum nostrorum consilio apostolica auctoritate erexerimus et instituerimus, ita quod tu eidem ecclesie Mexicanen. absque alia de persona tua predicte ecclesie de novo facienda prefectione in archiepiscopum preesses, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur, ac postmodum pallium insigne videlicet plenitudinis pontificalis officii ex parte tua fuerit a nobis per dilectum filium magistrum Gasparem de Lahoz canonicum Segobien., scriptorem et familiarem nostrum, nuntium tuum cum ea qua decuit instantia postulatum, nos tuis supplicationibus annuentes pallium ipsum de corpore beati Petri sumptum per venerabiles fratres nostros Antequeran. et Mechuacan. episcopos tibi assignandum per prefatum nuntium tuum duximus destinandum ut iidem episcopi seu eorum alter illud tibi assignent et a te nostro et Romane ecclesie nomine sub forma quam eis sub bulla nostra mitimus introclusam fidelitatis debite solitum recipiant iuramentum tu autem illo intra ecclesiam tuam illis diebus dumtaxat utaris, qui expresse in ipsius tue ecclesie privilegiis continentur, ut igitur signum non discrepet a signato sed quod geris exterius interius serves in mente fraternitatem tuam monemus et ortamur attente tibi per apostolica scripta mandantes quatinus humilitatem et iustitiam dante Domino qui dat premia et munera elargitur observare studeas que suum servant et promovent servatorem et dictam ecclesiam

[1] De Ioanne de Zumarraga cfr. supra doc. 40 et 55.

Mexicanen. sponsam tuam cures sollicite auctore Domino spiritualiter et temporaliter augmentare. Datum Romae apud Sanctum Marcum anno etc. millesimo quingentesimo quadragesimo septimo, decimo septimo kalendas iulii anno tertiodecimo.

138

Cum nos nuper

Reg. Lat. 1783 fol. 105v-106r — die 15 iunii 1547

ARCHIEPISCOPO DE *LIMA* PALLIUM ASSIGNATUR

Ecclesia Civitatis Regum seu Limensi in metropolitanam cum archiepiscopali dignitate et iurisdictione erecta et Hieronymo de Loaysa ad gradum archiepiscopi promoto, ipse Hieronymus per magistrum Gasparem de Lahoz pallium quod est signum plenitudinis pontificalis officii humiliter postulavit. Summus Pontifex precibus annuit et pallium Hieronymo assignat, quod episcopi de *Cuzco* et de *Quito* vel eorum alter ei tradent, fidelitatis iuramento recepto. Archiepiscopus pallio illis solummodo diebus uti potest qui expresse in ipsius Ecclesiae privilegiis continentur.

Paulus III

Venerabili fratri Ieronimo [1] nuper episcopo in archiepiscopum Regum electo salutem etc. Cum nos nuper ecclesiam Regum in provincia del Perú nuncupata in magno mari occidentalis Occeani posita, cui etiam tunc preesse dinoscebaris in metropolitanam cum archiepiscopali dignitate, iurisdictione et superioritate, necnon omnimoda pal-

[1] De Hieronymo de Loaysa cfr. supra doc. 85.

lii et crucis delatione, ac aliis metropoliticis insigniis de venerabilium fratrum consilio apostolica auctoritate erexerimus et instituerimus ita quod tu eidem ecclesie Regum absque alia de persona tua predicte ecclesie de novo facienda prefectione in archiepiscopum preesses, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur, ac postmodum pallium insigne videlicet plenitudinis pontificalis officii ex parte tua fuerit a nobis per dilectum filium magistrum Gasparem de Lahoz canonicum Segobien., scriptorem et familiarem nostrum, nuntium tuum cum ea qua decuit instantia postulatum nos tuis supplicationibus annuentes pallium ipsum de corpore beati Petri sumptum per venerabiles fratres nostros del Cuzco et Sancti Francisci del Quito episcopos tibi assignandum per prefatum nuntium tuum duximus destinandum ut iidem episcopi seu eorum alter illud tibi assignent et a te, nostro et Romane ecclesie nomine sub forma quam eis sub bulla nostra mitimus introclusam fidelitatis debite solitum recipiant iuramentum tu autem illo intra ecclesiam tuam illis diebus dumtaxat utaris, qui expresse in ipsius tue ecclesie privilegiis continentur, ut igitur signum non discrepet a signato sed quod geris exterius interius serves in mente fraternitatem tuam monemus et ortamur attente tibi per apostolica scripta mandantes quatinus, humilitatem et iustitiam dante Domino qui dat premia et munera elargitur observare studeas que suum servant et promovent servatorem et dictam ecclesiam Regum sponsam tuam cures sollicite auctore Domino spiritualiter et temporaliter augmentare. Datum Romae apud Sanctum Marcum anno etc. millesimo quingentesimo quadragesimo septimo, decimo septimo kalendas iulii anno tertiodecimo.

139

Cum pallium insigne

Reg. Lat. 1783 fol. 106r die 15 iunii 1547

DE PALLIO ARCHIEPISCOPO DE *LIMA* ASSIGNANDO

Summus Pontifex mandat episcopis de *Cuzco* et de *Quito* ut ipsi vel alter eorum electo archiepiscopo Civitatis Regum seu de *Lima* pallium assignare curent, nomine Summi Pontificis et Romanae Ecclesiae.

Paulus III

Venerabilibus fratribus del Cuzco et Sancti Francisci del Quito episcopis salutem etc. Cum pallium insigne ex parte venerabilis fratris nostri Ieronimi nuper episcopi in archiepiscopum Regum electi cum nuper ecclesiam Regum in provincia del Perú nuncupata in magno mari occidentalis Oceani posita cui dictus Ieronimus electus etiam tunc preesse dinoscebatur in metropolitanam cum archiepiscopali dignitate, iurisdictione et superioritate, necnon omnimoda pallii et crucis delatione, et aliis metropoliticis insigniis de venerabilium fratrum nostrorum consilio apostolica auctoritate erexerimus et instituerimus, ita quod dictus Ieronimus electus eidem ecclesie absque alia de persona sua predicte ecclesie de novo facienda prefectione in archiepiscopum preesset prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur, per dilectum filium magistrum Gasparem de Lahoz canonicum Segobien., scriptorem et familiarem nostrum, nuntium suum, fuerit a nobis cum ea qua decuit instantia postulatum nos ipsius Ieronimi electi precibus annuentes pallium ipsum de corpore beati Petri sumptum per vos vel alterum vestrum sibi assignandum iuxta formam quam vobis sub bulla nostra mitimus introclusam per prefatum nuntium duximus destinandum. Quocirca etc. mandamus quatinus vos vel alter vestrum pallium ipsum iuxta premissam formam eidem Ieronimo electo assignare curetis et ab ipso nostro et Romane ecclesie nomine sub forma quam vobis sub eadem bulla dirigimus fidelitatis debite solitum recipiatis seu recipiat iuramentum, formam autem iuramenti quod idem Ieronimus electus prestabit nobis de verbo ad verbum per eius patentes litteras suo sigillo munitas per proprium nuntium quantocius destinare curetis. Datum ut supra.

140

Cum pallium insigne

Reg. Lat. 1783 fol. 105rv — die 15 iunii 1547

DE PALLIO ARCHIEPISCOPO DE *MÉXICO* ASSIGNANDO

Summus Pontifex mandat episcopis Antequerensi (*Oaxaca*) et Mechuacanensi, ut ipsi vel alter eorum electo archiepiscopo Ioanni de *México* pallium assignare curent, nomine Summi Pontificis et Romanae Ecclesiae.

Paulus III

Venerabilibus fratribus Antequeran. et Mechoacan. episcopis salutem etc. Cum pallium insigne videlicet plenitudinis pontificalis officii ex parte venerabilis fratris nostri Iohannis nuper episcopi in archiepiscopum Mexicanen. electi cum nuper ecclesiam Mexicanen. insule nove Hispanie nuncupate in magno mari occidentalis Occeani posite, cui dictus Iohannes electus etiam tunc preesse dinoscebatur in metropolitanam cum archiepiscopali dignitate, iurisdictione et superioritate, necnon omnimoda pallii et crucis delatione et aliis metropoliticis insigniis de venerabilium fratrum nostrorum consilio apostolica auctoritate erexerimus et instituerimus ita quod dictus Iohannes electus eidem ecclesie absque alia de persona sua predicte ecclesie de novo facienda prefectione in archiepiscopum preesset, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur per dilectum filium magistrum Gasparem de Lahoz canonicum Segobien., scriptorem, et familiarem nostrum, nuntium suum fuerit a nobis cum ea qua decuit instantia postulatum nos ipsius Iohannis electi precibus annuentes pallium ipsum de corpore beati Petri sumptum per vos vel alterum vestrum sibi assignandum iuxta formam quam vobis sub bulla nostra mitimus introclusam per prefatum nuntium duximus destinandum. Quocirca etc. mandamus quatinus vos vel alter vestrum pallium ipsum iuxta premissam formam eidem Iohanni electo assignare curetis et ab ipso, nostro et Romane ecclesie nomine sub forma quam vobis sub eadem bulla dirigimus fidelitatis debite solitum recipiatis seu recipiat iuramentum; formam autem iuramenti quod idem Iohannes electus prestabit nobis de verbo ad verbum per eius patentes litteras suo sigillo munitas per propium nuntium quantocius destinare curetis. Datum ut supra.

141

Exponi nobis nuper

Arm. XLI 39 fol. 185r   die 29 iunii 1547

LICENTIA PRO PERSONIS ECCLESIASTICIS DENUNTIANDI OPPRESSORES INDORUM

Sicut Carolus imperator et Hispaniarum et Indiarum rex Catholicus exponi fecerat, in insulis occidentalibus et meridionalibus ipsi subiectis advenae christiani vetitis ac poenis severissimis non obstantibus Indos earum insularum ipsis servientes utpote fidei catholicae expertes inhumaniter tractare et in miseram servitutem redigere praesumunt, ita ut plures ex istis mori contigerit, dum alii eam ob causam ad Christi fidem advolare exhorruerint. Summus Pontifex attendens Indos fidei et salutis aeternae capaces esse et propterea non severitate perdendos sed predicationibus et operibus blandis ad vitam aeternam alliciendos, omnibus personis ecclesiasticis eiusmodi gravia et atrocia facinora, non tamen ex confessionibus revelata, fisco seu cuicumque alteri officiali regio seu tribunali denuntiandi et revelandi licentiam et facultatem concedit, absque alicuius irregularitatis incursu, etiam si sanguinis seu ultimi supplicii poena exinde sequatur.

Paulus III

Charissimo in Christo filio nostro Carolo Romanorum Imperatori semper Augusto, ac Hispaniarum et Indiarum Regi Catholico.

Charissime in Christo fili noster salutem etc. Exponi nobis nuper fecisti, quod licet Maiestas tua tam populis tibi subjectis, quam etiam quibusvis aliis personis ad insulas Occidentales, et Meridionales maris Occeani, tue ditioni subiectas proficiscentibus, severissimis prohibuerit penis, ne insularum huiusmodi Indos illis servientes, seu accolas, eo pretextu quod fidei catholice expertes existant, inhumaniter trac-

tare presumant, tamen persone huiusmodi adeo crudeliter eosdem indos tractant, et in miseram servitutem redigunt, quod pluribus ex dictis indis ob asperitatem huiusmodi mori contigerit, et alii eam ob causam ad Christi fidem advolare exhoruerint, cumque sicut eadem Serenitatis tue expositio subiungebat, persone ecclesiastice plerumque in oppidis et locis remaneant, alii ad opera sua extra illa euntibus huiusmodi crudelitates videant, supplicari Nobis fecisti, ut huiusmodi persone ecclesiastice, tam seculares quam cuiuscunque etiam mendicantium ordinum regulares, etiam in presbiteratus ordinibus constitute, fisco seu cuicumque officiali regio, huiusmodi graves et atroces excessus, non tamen in confessionibus revelatas, etiam si exinde sanguinis aut ultimi supplicii pena subsequatur, absque alicuius irregularitatis incursu denuntiare et revelare, ac requisiti testimonium veritati desuper perhibere possint et valeant, absque in premissis oportune providere, de benignitate Apostolica dignaremur. Nos itaque attendentes indos ipsos licet extra ecclesie gremium existant, tamen fidei et salutis eterne capaces esse, et propterea non severitate et laboribus perdendos, sed predicationibus et blandis operibus ad vitam eternam invitandos et alliciendos fore, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnibus et singulis personis ecclesiasticis, secularibus et cuiuscumque etiam mendicantium ordinis regularibus, cuiuscumque status, gradus, ordinis vel conditionis, etiam in presbyteratus ordinibus existentibus, huiusmodi gravia et atrocia facinora non tamen ex confessionibus revelata fisco, seu cuicumque alteri officiali regio, seu tribunali etiam si sanguinis seu ultimi supplitii pena exinde subsequatur, absque alicuius irregularitatis incursu denuntiandi et revelandi, necnon desuper testimonium veritati perhibendi dummodo nec per viam accusationis nec alias contra taliter delinquentes iudicia huiusmodi prosequantur, Apostolica auctoritate licentiam et facultatem concedimus per presentes. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod presentium transumptus etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum 29 Iunii 1547, Anno XIII.

142

Cum nos nuper

Reg. Lat. 1783 fol. 103v-104r — die 1 iulii 1547

ARCHIEPISCOPO DE SANCTO DOMINICO PALLIUM ASSIGNATUR

Ecclesia Sancti Dominici in insula Hispaniola in metropolitanam cum archiepiscopali dignitate et iurisdictione erecta et Alfonso de Fonte maiore ad gradum archiepiscopi promoto, ipse Alfonsus per magistrum Gasparem de Lahoz pallium quod est signum plenitudinis pontificalis officii humiliter postulavit. Summus Pontifex precibus annuit et pallium Alfonso assignat, quod episcopi de *Puerto Rico* et de *Cuba* vel eorum alter ei tradent, fidelitatis iuramento recepto. Archiepiscopus pallio illis solummodo diebus uti potest qui expresse in ipsius Ecclesiae privilegiis continentur.

Paulus III

Venerabili fratri Alfonso [1] nuper episcopo in archiepiscopum Sancti Dominici electo salutem etc. Cum nos nuper ecclesiam Sancti Dominici insule Hispaniole nuncupate in magno mari occidentalis Occeani posite, cui etiam tunc preesse dinoscebaris in metropolitanam cum archiepiscopali dignitate, iurisdictione et superioritate necnon omnimoda pallii et crucis delatione et aliis metropoliticis insigniis de venerabilium fratrum nostrorum consilio apostolica auctoritate erexerimus et instituerimus ita quod tu eidem ecclesie Sancti Dominici absque alia de persona tua predicte ecclesie de novo facienda prefectione in archiepiscopum preesses, prout in nostris inde confectis litteris

[1] De Alfonso de Fonte maiore cfr. supra doc. 90.

plenius continetur, ac postmodum pallium insigne videlicet plenitudinis pontificalis officii ex parte tua fuerit a nobis per dilectum filium magistrum Gasparem de Lahoz canonicum Segobien., scriptorem et familiarem nostrum, nuntium tuum cum ea qua decuit instantia postulatum, nos tuis supplicationibus annuentes pallium ipsum de corpore beati Petri sumptum per venerabiles fratres nostros Sancti Iohannis de Puerto Rico et Cuben. episcopos tibi assignandum per prefatum nuntium tuum duximus destinandum ut iidem episcopi seu eorum alter illud tibi assignent et a te, nostro et Romane ecclesie nomine sub forma quam eis sub bulla nostra mitimus introclusam fidelitatis debite solitum recipiant iuramentum tu autem illo intra ecclesiam tuam illis diebus dumtaxat utaris qui expresse in ipsius tue ecclesie privilegiis continentur ut igitur signum non discrepet a signato, sed quod geris exterius interius serves in mente fraternitatem tuam monemus et ortamur attente tibi per apostolica scripta mandantes quatenus humilitatem et iustitiam dante Domino qui dat premia et munera elargitur observare studeas que suum servant et promovent servatorem et dictam ecclesiam Sancti Dominici sponsam tuam cures sollicite, auctore Domino, spiritualiter et temporaliter augmentare. Datum Romae apud Sanctum Marcum anno etc. millesimo quingentesimo quadragesimo septimo, kalendis iulii anno tertiodecimo.

143

Cum pallium insigne

Reg. Lat. 1783 fol. 104rv — die 1 iulii 1547

DE PALLIO ARCHIEPISCOPO DE SANCTO DOMINICO ASSIGNANDO

Summus Pontifex episcopis de *Puerto Rico* et de *Cuba* mandat, ut ipsi vel alter eorum archiepiscopo electo Sancti Dominici pallium assignare curent, nomine Summi Pontificis et Romanae Ecclesiae.

Paulus III

Venerabilibus fratribus Sancti Iohannis de Puerto Rico et Cuben. episcopis salutem etc. Cum pallium insigne videlicet plenitudinis pontificalis officii ex parte venerabilis fratris nostri Alfonsi nuper episcopi in archiepiscopum Sancti Dominici electi cum nuper ecclesiam Sancti Dominici insule Hispaniole nuncupate in magno mari occidentalis occeani posite, cui dictus Alfonsus electus etiam tunc preesse dinoscebatur in metropolitanam cum archiepiscopali dignitate, iurisdictione et superioritate necnon omnimoda pallii et crucis delatione ac aliis metropoliticis insigniis de venerabilium fratrum nostrum consilio apostolica auctoritate erexerimus et instituerimus ita quod dictus Alfonsus electus eidem ecclesie absque alia de persona sua predicte ecclesie de novo facienda prefectione in archiepiscopum preesset, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur per dilectum filium magistrum Gasparem de Lahoz canonicum Segobien., scriptorem et familiarem nostrum, nuntium suum fuerit a nobis cum ea qua decuit instantia postulatum nos ipsius Alfonsi electi precibus annuentes pallium ipsum de corpore beati Petri sumptum per vos vel alter vestrum sibi assignandum iuxta formam quam vobis sub bulla nostra mitimus introclusam per prefatum nuntium duximus destinandum; quocirca fraternitati vestre etc. mandamus quatinus vos vel alter vestrum pallium ipsum iuxta premissam formam eidem Alfonso electo assignare curetis et ab ipso, nostro et Romane ecclesie nomine sub forma quam vobis sub eadem bulla dirigimus fidelitatis debite solitum recipiatis seu recipiat iuramentum. Formam autem iuramenti quod idem Alfonsus electus prestabit nobis de verbo ad verbum per eius patentes litteras suo sigillo munitas per proprium nuntium quantocius destinare curetis. Datum ut supra.

144

Super specula

Reg. Lat. 1783 fol. 116v-117v die 1 iulii 1547

ERECTIO ECCLESIAE *RIO DE LA PLATA*

Inter provincias noviter repertas et acquisitas est *insula del Rio de la Plata,* cuius habitatores divinae legis expertes sunt. Opportet inibi spiritualium semina plantare, ut incolae et habitatores ad lucem veritatis perveniant et Salvatorem nostrum Iesum Christum agnoscant. Ideoque Summus Pontifex oppidum *Rio de la Plata* in civitatem et in ea ecclesiam cathedralem erigit pro uno episcopo, qui archiepiscopo Civitatis Regum iure metropolitico subsit. Redditus mensae episcopalis et privilegia episcopi definiuntur. Imperatori conceditur iuspatronatus atque facultas limites dioecesis statuere et alterare.

Paulus III

Ad perpetuam rei memoriam. Super specula militantis ecclesie meritis licet imparibus divina dispositione locati ad universas orbis provincias et loca presertim omnipotentis Dei misericordia per catholicos reges et principes ab infidelibus et barbaris nationibus nostris temporibus recuperata et acquisita aciem nostre meditationis passim reflectimus ut in locis ipsis dignioribus titulis decoratis plantetur radicitus christiana religio et eorum incole ac habitatores venerabilium presulum doctrina et auctoritate suffulti proficiant semper in fide et quod in temporalibus sunt adepti non careant in spiritualibus incremento opem et operam libenter impendimus efficaces. Sane cum inter ceteras provincias in insulis Indiarum maris Oceani concedente Domino auspiciis charissimi in Christo filii nostri Caroli Romanorum Imperatoris semper Augusti, qui etiam Castelle et Legionis Rex existit, noviter repertas et acquisitas ac eius temporali ditioni subiectas sit una insula del Rio de la Plata nuncupata, cuius incole et habitatores divine legis expertes absque aliqua fidei orthodoxe instructione vivunt et in qua aliqua ecclesia nondum erecta existit ac propterea ut ipsi incole et habitatores rationis et humanitatis capaces fidei predicte adhereant et discussis eorum tenebris ad lucem veritatis perveniant et salvatorem nostrum Iesum Christum totius humani generis redentorem agnoscant necesse sit inhibi spiritualium semina plantare et dominici ovilis, ad quod oves errantes reducantur et in eo reducte perseverent, septa conservare nos habita super hiis cum fratribus nostris deliberatione matura de illorum consilio et Apostolice potestatis plenitudine prefato Carolo Imperatore et Rege super hoc nobis humiliter supplicante ad omnipotentis Dei laudem et gloriam ac gloriosissime eius genitricis virginis Marie totiusque curie celestis honorem et ipsius

fidei catholice exaltationem ac incolarum et habitatorum predictorum salutem oppidum etiam del Rio de la Plata [1] in eadem provincia, in qua aliqui fideles morantur, consistens civitatis titulo auctoritate Apostolica tenore presentium insignimus et illud in civitatem que del Rio de la Plata nuncupetur et in ea cathedralem ecclesiam del Rio de la Plata nuncupandam pro uno episcopo del Rio de la Plata nuncupando, qui eidem ecclesie presit et in ea ac civitate predicta et sibi assignanda diocesi verbum Dei predicet ac eorum incolas infideles ad orthodoxe fidei cultum convertat et conversos in eadem fide instruat et confirmet, eisque baptismi gratiam impendat ac tam illis sic conversis quam aliis omnibus fidelibus in civitate et diocesi huiusmodi pro tempore degentibus ac ad eas declinantibus sacramenta ecclesiastica et alia spiritualia ministret ac ministrari faciat et procuret, necnon in ecclesia et civitate ac diocesi prefatis episcopalem iurisdictionem auctoritatem et potestatem libere exercere valeat ac dignitates, canonicatus et prebendas, aliaque beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura erigat et instituat, ac alia spiritualia conferat et seminet prout divini cultus augmento et ipsorum incolarum animarum saluti expedire cognoverit, et qui archiepiscopo Civitatis Regum pro tempore existenti iure metropolitico subsit ac ex omnibus inibi pro tempore provenientibus preter quam ex auro et argento et aliis metallis, gemmis et lapidibus pretiosis, que pro tempore existentibus Castelle et Legionis Regibus quoad hoc libera esse decernimus decimas et primitias de iure debitas ceteraque episcopalia iura prout alii in Hispania episcopi de iure vel consuetudine exigunt et percipiunt exigere ac percipere libere et licite valeant cum sede ac mensa et aliis insigniis ac iurisdictionibus episcopalibus necnon privilegiis, immunitatibus, gratiis quibus alie cathedrales ecclesie ac illarum presules in eadem Hispania de iure vel consuetudine utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum auctoritate et tenore premissis erigimus et instituimus, ac eidem ecclesie oppidum predictum sic per nos in civitatem erectum pro civitate et partem provincie del Rio de la Plata huiusmodi quam ipse Carolus Imperator et Rex, positis limitibus, statuerit et statui mandaverit quos idem Carolus Imperator et pro tempore existens Castelle ac Legionis Rex dum et quando ac totiens, quotiens sibi expediens videbitur in totum vel in partem augere, extendere, mutare et alterare libere et licite valeat pro diocesi ipsarumque civitatis et diocesis incolas et habitatores pro clero

---

[1] Nomen huius dioecesis saepius mutatum est. Anno 1579 prima vice appellatur «Fluminis argentei», ab anno 1591 autem «Sanctae Assumptionis seu de *Paraguay*».

et populo concedimus et assignamus, necnon illius mense episcopali predicte pro eius dote redditus annuos ducentorum ducatorum auri per ipsum Carolum Imperatorem et Regem ex redditibus annuis ad eum in dicta provincia spectantibus assignandos donec fructus ipsius mense ad valorem ducentorum ducatorum similium ascendant annuatim applicamus et apropriamus, et insuper ius patronatus et presentandi infra annum, propter loci distantiam, personas idoneas ad erectam ecclesiam predictam quotiens illius vacatio hac prima vice dumtaxat excepta pro tempore ocurrerit Romani Pontifici pro tempore existenti per eum in eiusdem ecclesie episcopum et pastorem ad presentationem huiusmodi preficiendum necnon ad dignitates, canonicatus et prebendas ac beneficia erigenda huiusmodi tam ab eorum primeva erectione huiusmodi post quam erecta fuerint quam extunc deinceps pro tempore vacantia episcopo del Rio de la Plata pro tempore existenti similiter per eum ad presentationem huiusmodi in ipsis dignitatibus, canonicatibus et prebendis ac beneficiis instituendis prefato Carolo Imperatori et pro tempore existenti Castelle et Legionis Regi de simili consilio auctoritate et tenore supradictis in perpetuum reservamus, concedimus et assignamus. Nulli ergo etc. nostre erectionis, institutionis, concessionis, assignationis, applicationis, apropriationis etc. Siquis etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo quadragesimo septimo, kalendis iulii anno tertio decimo.

145a

Apostolatus officium

Reg. Lat. 1783 fol. 118rv | die 1 iulii 1547

PROVISIO ECCLESIAE *RIO DE LA PLATA*

Summus Pontifex Ioannem de los Barrios, Ordinis Fratrum Minorum de Observantia, primum episcopum Ecclesiae *Rio de la Plata* constituit, quam eodem die erexerat. Eandem provisionem clero et fidelibus civitatis et dioecesis atque archiepiscopo Civitatis Regum, cui episcopus electus iure metropoli-

tico subsit, communicat. Etiam imperatorem de provisione certiorem facit. Electo episcopo vero facultatem concedit, ut a quocumque maluerit Antistite catholico munus consecrationis suscipere valeat, assistentibus sibi duobus aut tribus episcopis, iuramento fidelitatis rite praestito, eique absolutio a censuris et poenis ecclesiasticis impertitur, ut litterae apostolicae de provisione suum sortiantur effectum.

Paulus III

Dilecto filio Iohanni de los Barrios [1] electo del Rio de la Plata salutem etc. Apostolatus officium meritis licet imparibus nobis ex alto commissum quo ecclesiarum omnium regimini divina dispositione presidemus utiliter exequi quo adiuvante Domino cupientes solliciti corde reddimur et solertes ut cum de ecclesiarum ipsarum regiminibus agitur committendis tales eis in pastores preficere studeamus qui populum sue cure creditum sciant non solum doctrina verbi sed etiam exemplo boni operis informare, commissasque sibi ecclesias in statu pacifico et tranquillo velint et valeant, auctore Domino, salubriter regere et feliciter gubernare. Dudum siquidem provisionis ecclesiarum omnium apud Sedem Apostolicam tunc vacantium et in antea vacaturarum ordinationi et dispositioni nostre reservavimus decernentes extunc irritum et inane etc. attentari. Postmodum vero ecclesia del Rio de la Plata, quam nos hodie in provincia del Rio de la Plata nuncupata in insulis Indiarum maris Oceani noviter repertis consistente pro uno episcopo del Rio de la Plata nuncupando, qui illi preesset, et archiepiscopo Civitatis Regum pro tempore existenti metropolitico iure subesse ex certis causis procurante charissimo in Christo filio nostro Carolo Romanorum Imperatore semper Augusto, qui etiam Castelle et Legionis Rex existit, de fratrum nostrum consilio Apostolica auctoritate ereximus et instituimus et ad quam ius patronatus et presentandi infra annum propter loci distantiam personam idoneam quotiens illius vacatio ea prima vice excepta pro tempore occurrente eidem Carolo Imperatori et pro tempore existenti Castelle et Legionis Regi de

[1] Ioannes de los Barrios, OFM, numquam in dioecesim suam pervenit. Anno 1552 nominatus est episcopus Ecclesiae Sanctae Marthae, ubi anno 1553 advenit. Anno 1562 sedes huius Ecclesiae ad civitatem *Santa Fe* translata est, quae anno 1564 fit sedes metropolitana, et Ioannes de los Barrios archiepiscopus. Mortuus est die 12 februarii 1569. *Egaña* 20-22, 85-86. 494-499.

simili consilio dicta auctoritate reservavimus per alias nostras literas prout in illis plenius continetur ab eius primeva erectione huiusmodi apud sedem predictam vacante nos ad provisionem eiusdem ecclesie erecte celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit seu potest reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne ecclesia ipsa longe vacationis exponatur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes post deliberationem quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus ipsis habuimus diligentem demum ad te ordinis fratrum minorum de observantia nuncupatorum professorem in presbiteratus ordine constitutum, cui apud nos de litterarum scientia, vite mundicia, honestate morum, spiritualium providentia et temporalium circumspectione, aliisque multiplicum virtutum donis fidedigna testimonia perhibentur direximus oculos nostre mentis, quibus omnibus debita meditatione pensatis de persona tua nobis et eisdem fratribus ob tuorum exigentiam meritorum accepta prefate ecclesie de simili eorumdem fratrum consilio dicta auctoritate providemus, teque illi in episcopum preficimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo in illo qui dat gratias et largitur premia confidentes quod dirigente Domino actus tuos predicta ecclesia sub tuo felici regimine regetur utiliter et prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Iugum igitur Domini tuis impositum humeris prompta devotione suscipiens curam et administrationem predictas sic exercere studeas sollicite, fideliter et prudenter quod ecclesia ipsa gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque preter eterne retributionis premium nostram et Apostolice Sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo quadragesimo septimo, kalendis iulii anno tertio decimo.

145b

Hodie Ecclesiae del Rio de la Plata

Reg. Lat. 1783 fol. 118v-119r — die 1 iulii 1547

Dilectis filiis clero civitatis et diocesis del Rio de la Plata salutem etc. Hodie ecclesie del Rio de la Plata quam nos etiam hodie in provincia etiam del Rio de la Plata nuncupata in insulis Indiarum maris Oceani noviter repertis consistente pro uno episcopo del Rio de la Plata nuncupando, qui illi preesset, ex certis causis procurante charissimo in Christo filio nostro Carolo Romanorum Imperatore semper Augusto, qui etiam Castelle et Legionis Rex existit, de fratrum nostrorum consilio Apostolica auctoritate ereximus et instituimus ac cui oppidum etiam del Rio de la Plata nuncupatum in dicta provincia consistens etiam per nos in civitatem erectum pro civitate que del Rio de la Plata nuncuparetur, necnon certam partem ipsius provincie per eundem Carolum Imperatorem, positis limitibus, statuendam pro diocesi ipsarum civitatis et diocesis ac incolas et habitatores pro clero et populo concessimus et assignavimus tunc a primeva eius erectione huiusmodi vacanti de persona dilecti filii Iohannis electi del Rio de la Plata nobis et eisdem fratribus ob suorum exigentiam meritorum accepta de simili consilio dicta auctoritate providimus ipsumque illi in episcopum prefecimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo prout in diversis nostris inde confectis litteris plenius continetur. Quocirca etc. mandamus quatinus eidem Iohanni electo tamquam patri et pastori animarum vestrarum humiliter intendentes ac exhibentes sibi obedientiam et reverentiam debitas et devotas eius salubria monita et mandata suscipiatis humiliter et efficaciter adimplere curetis alioquin sententiam quam idem Iohannes electus rite tulerit in rebelles ratam habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum ut supra.

145c

Hodie Ecclesiae del Rio de la Plata

Reg. Lat. 1783 fol. 119r — die 1 iulii 1547

Dilectis filiis populo civitatis et diocesis del Rio de la Plata salutem etc. Hodie ecclesie del Rio de la Plata etc. ut supra usque conti-

netur. Quocirca universitatem vestram monemus et ortamur attente vobis per Apostolica scripta mandantes quatinus eundem Iohannem electum tamquam patrem et pastorem animarum vestrarum devote suscipientes et debita honorificentia pertractantes eius monitis et mandatis salubribus humiliter intendatis, ita quod ipse Iohannes electus in vobis devotionis filios et vos in eo per consequens patrem benivolum invenisse gaudeatis. Datum ut supra.

145d

Ad cumulum tuae cedit salutis

Reg. Lat. 1783 fol. 119rv die 1 iulii 1547

Venerabili fratri archiepiscopo Civitatis Regum salutem etc. Ad cumulum tue cedit etc. prosequaris. Hodie siquidem ecclesie del Rio de la Plata etc. ut supra usque continetur. Cum igitur ut idem Iohannes electus in commissa sibi predicte ecclesie cura facilius proficere valeat tuus favor ei fore noscatur plurimum opportunus fraternitatem tuam rogamus et ortamur attente tibi per Apostolica scripta mandantes quatinus eundem Iohannem electum et prefatam ecclesiam sibi commissam suffraganeam tuam habens pro nostra et Apostolice Sedis reverentia propensius commendatos in ampliandis et conservandis iuribus suis sic eos tui favoris presidio prosequaris quod ipse Iohannes electus per tue auxilium gratie se possit in commisso sibi eiusdem ecclesie regimine utilius exercere, tuque divinam misericordiam et nostram ac eiusdem sedis benedictionem et gratiam valeas exinde uberius promereri. Datum ut supra.

145e

Gratiae divinae praemium

Reg. Lat. 1783 fol. 119v die 1 iulii 1547

Charissimo in Christo filio Carolo Romanorum Imperatori semper Augusto et charissime in Christo filie Iohanne Castelle et Legionis Regine illustri salutem etc. Gratie divine premium et humane laudis preconium acquiritur si per seculares principes ecclesiarum prelatis presertim pontificali dignitate preditis opportuni favoris presidium et honor debitus impendatur. Hodie siquidem ecclesie del Rio de la Plata etc. ut supra usque continetur. Cum itaque filii charissimi sit virtutis opus Dei ministros benigno favore prosequi ac eos verbis et operibus pro regis eterni gloria venerari serenitatem vestram cum tu fili Carole etiam Castelle et Legionis Rex existas rogamus et ortamur attente quatinus eundem Iohannem electum et ecclesiam predictam sue cure commissam habentes pro nostra et Apostolice Sedis reverentia propensius commendatos in ampliandis et conservandis iuribus suis sic eos benigni favoris auxilio prosequamini quod idem Iohannes electus vestri favoris fultus presidio in commisso sibi dicte ecclesie regimine possit, Deo propitio, prosperari ac vobis exinde a Deo perennis vite premium et a nobis condigna proveniat actio gratiarum. Datum ut supra.

145f

Cum nos pridem

Reg. Lat. 1783 fol. 119v-120r — die 2 iulii 1547

Dilecto filio Iohanni electo del Rio de la Plata salutem etc. Cum nos pridem ecclesie del Rio de la Plata tunc certo modo pastoris solatio destitute de persona tua nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorundem consilio Apostolica auctoritate providerimus preficiendo te illi in episcopum et pastorem, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur, nos ad ea que ad tue commoditatis augmentum cedere valeant favorabiliter intendentes tuis in hac parte supplicationibus inclinati tibi presbitero ut a quocumque malueris catholico antistite gratiam et communionem Apostolice Sedis habente accitis et in hoc sibi assistentibus duobus aut tribus catholicis episcopis similes gratiam et communionem ha-

bentibus munus consecrationis accipere valeas, ac eidem antistiti ut recepto prius per eum a te nostro et Romane ecclesie nomine fidelitatis debite solito iuramento iuxta formam presentibus annotatam munus predictum auctoritate nostra impendere libere tibi possit plenam et liberam earundem tenore presentium concedimus facultatem. Volumus autem et auctoritate predicta statuimus ac decernimus quod si non recepto a te per ipsum antistitem predicto iuramento idem antistes munus ipsum tibi impendere et tu illud suscipere presumseritis dictus antistes a pontificalis officii exercitio, et tam ipse quam tu ab administratione tam spiritualium quam temporalium ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso preterea etiam volumus quod forma huiusmodi a te tunc prestiti iuramenti nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo munitas per proprium nuntium quantocius destinare procures, quodque per hoc venerabili fratri nostro archiepiscopo Civitatis Regum, cui ecclesia ipsa metropolitico iure subesse dinoscitur nullum in posterum preiudicium generetur. Forma autem iuramenti quod prestabis hec est: ego Iohannes electus. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo quadragesimo septimo, sexto nonas iulii anno tertio decimo.

145g

Apostolicae Sedis consueta clementia

Reg. Lat. 1783 fol. 120rv — die 1 iulii 1547

Dilecto filio Iohanni de los Barrios ordinis fratrum minorum professori salutem etc. Apostolice Sedis consueta clementia ne dispositiones per eam de cathedralibus ecclesiis pro tempore facte valeant quomodolibet impugnari, sed persone ad eas promovende illis puro corde et sincera conscientia presidere possint remedia prout convenit adibet opportuna. Cum itaque nos hodie ecclesie del Rio de la Plata quam nos etiam hodie in provincia del Rio de la Plata nuncupata in insulis Indiarum maris Oceani noviter repertis consistente pro uno episcopo del Rio de la Plata nuncupando qui illi preesset ex certis causis de fratrum nostrorum consilio ereximus et instituimus per alias

nostras litteras prout in illis plenius continetur a primeva eius erectione huiusmodi ad presens vacanti de persona tua nobis et fratribus ipsis ob tuorum exigentiam meritorum accepta de simili consilio dicta auctoritate providere teque illi in episcopum et pastorem preficere intendamus nos ne si forsan aliquibus sententiis, censuris et penis ecclesiasticis ligatus sis provisio et prefectio predicte possint propterea quomodolibet impugnari providere volentes teque a quibusvis excommunicationis etc. ad hoc dumtaxat ut provisio et prefectio predicte ac singule littere Apostolice desuper conficiende suum sortiantur effectum auctoritate predicta tenore presentium absolvimus et absolutum fore censemus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo etc. nostre absolutionis infringere etc. Siquis etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo quadragesimo septimo, kalendis iulii anno tertio decimo.

146

Tuis exigentibus meritis

Arm. XLI 39 fol. 255r — die 8 iulii 1547

DE PALLIO ASSIGNANDO

Hieronymus de Loaysa, Episcopus Civitatis Regum (*Lima*) in *Perú*, postquam Ecclesia Regum in sedem metropolitanam erecta fuerat, in archiepiscopum promovebatur ac pallium ei assignatum est, ab episcopis de *Cuzco* et Sancti Francisci de *Quito* ei tradendum. Cum autem *Cuzco* et *Quito* ultra 500 milliariá a *Lima* distent, et in partibus illis copia episcoporum non facile haberi possit, precibus ipsius Hieronymi motus, Summus Pontifex concedit, ut pallium a duobus abbatibus aut ab alia persona in dignitate ecclesiastica constituta accipere possit.

Paulus III

Venerabili fratri Ieronimo nuper episcopo in archiepiscopum Regum electo.

Venerabilis frater salutem etc. Tuis exigentibus meritis inducimur ut commoditatibus tuis quantum cum Deo possumus favorabiliter annuamus. Dudum siquidem postquam Ecclesiam Regum in provincia del Peru nuncupata, in magno mari Oceani posita, cui etiam tunc preesse dignoscebaris, in metropolitanam cum archiepiscopali dignitate, iurisdictione et superioritate, necnon omnimoda palii et crucis delatione, ac aliis metropoliticis insigniis, de venerabilium fratrum nostrorum consilio per quasdam erexeramus et institueramus, itaque tu eidem Ecclesie Regum absque alia de persona tua predicte Ecclesie de novo facienda prefectione in archiepiscopum preesses per alias nostras litteras venerabilibus fratribus del Cuzco et Sancti Francisci del Quito episcopis commisimus et mandavimus, quatinus pallium insigne videlicet plenitudinis pontificalis officii, ex parte tua per certum tuum nuntium a nobis postulatum de corpore beati Petri sumptum per eosdem episcopos, vel eorum alterum tibi assignandum secundum certam formam, quam nos illis miseramus, assignare curarent, et abs te nostro et Romane Ecclesie nomine sub forma quam eis sub bulla nostra misimus introclusam fidelitatis debite solitum reciperent iuramentum, prout in singulis predictis litteris plenius continetur. Cum autem sicut exponi nobis nuper fecisti del Cuzco et Sancti Francisci del Quito episcopi prefati ultra CCCCC milliaria vel circa ab eadem ecclesia distent et in partibus illis copia Antistitum, qui pallium tibi assignare, ac iuramentum huiusmodi abs te recipere valeant, nisi difficile, ac cum magno temporis intervallo haberi possit, nos ad ea, que ad tue commoditatis augmentum, necnon animarum tibi creditarum salutem peramplius cedere valeant favorabiliter intendere volentes tuis in hac parte supplicationibus inclinati tibi ut, si copia eorundem Antistitum, nisi ut prefertur, haberi non potuerit ab uno, seu duobus, abbate vel abbatibus usum mitre et baculi ex Apostolico privilegio habentes, seu si ipsi abbates haberi nequeant uno vel duobus aliis abbatibus, aut una seu duabus aliis persona aut personis in dignitate ecclesiastica constituta seu constitutis per te eligendis pallium ac iuramentum huiusmodi alias iuxta earundem posteriorum litterarum continentiam, atque formam recipere valeas, ac abbati seu abbatibus vel persone seu personis predictis, ut pallium tibi assignare et abs te iuramentum huiusmodi recipere alias iuxta formas predictas, et litterarum earundem tenorem respective possit plenam et liberam licentiam et faculta-

tem tenore presentium concedimus et elargimur premissis ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ceterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Marcum sub annulo Nostro Piscatoris, die VIII Iulii 1547, Pontificatus Nostri Anno 13.

147

Tuis exigentibus meritis

Arm. XLI 39 fol. 254r — die 8 iulii 1547

DE PALLIO ASSIGNANDO

Alfonsus de Fonte majore, episcopus dioecesis Sancti Dominici (*Santo Domingo*) in insula Hispaniola (*Haiti*), postquam sedes sua episcopalis in sedem metropolitanam erecta est, in archiepiscopum promovetur et pallium ei assignatur, ab episcopis de *Puertorico* et *Cuba* ei tradendum. Cum autem *Puertorico* et *Cuba* ultra 500 milliaria ab Ecclesia Sancti Dominici distent, et in partibus illis copia episcoporum non facile haberi possit, precibus ipsius Alfonsi motus, Summus Pontifex concedit, ut pallium ei ab uno abbate seu duobus abbatibus aut alia persona in dignitate ecclesiastica constituta tradi possit.

Paulus III

Venerabili fratri Alfonso nuper episcopo in archiepiscopum Sancti Dominici electo.

Verabilis frater noster, salutem etc. Tuis exigentibus meritis inducimur, ut commoditatibus tuis, quantum cum Deo possumus favorabiliter annuamus. Dudum siquidem postquam Ecclesiam Sancti Dominici in insula Ispaniola nuncupata, in magno mari Occidentalis Oceani posita, cui etiam tunc preesse dignoscebaris, in Metropolitanam cum archiepiscopali dignitate, iurisdictione et superioritate, necnon omnimoda palii et crucis delatione, ac aliis Metropoliticis insigniis de venerabilium fratrum nostrorum consilio, per quasdam erexe-

ramus et institueramus, ita quod tu eidem Ecclesie Sancti Dominici absque alia de persona tua predicte ecclesie de novo facienda prefectione in archiepiscopum preesses, per alias nostras litteras venerabilibus fratribus nostris Sancti Ioannis de Puertorico et Cuben. episcopis commisimus et mandavimus, quatinus pallium insigne videlicet plenitudinis pontificalis officii, ex parte tua, per certum tuum nuntium a nobis postulatum, de corpore beati Petri sumptum, per eosdem episcopos vel eorum alterum tibi assignandum secundum certam formam, quam nos illis miseramus assignare curarent, et abs te nostro et Romane Ecclesie nomine, sub forma, quam eis sub bulla nostra misimus introclusam, fidelitatis debite solitum reciperent iuramentum, prout in singulis predictis litteris plenius continetur. Cum autem sicut exponi nobis nuper fecisti Sancti Iohannis de Puerto Rico et Cuben. episcopi ultra CCCCC milliaria vel circa ab eadem ecclesia Sancti Dominici distent, et in partibus illis copia Antistitum, qui pallium tibi assignare ac iuramentum huiusmodi abs te recipere valeant, nisi longo temporis intervallo ac maxima cum difficultate haberi non possit, nos ad ea que ad tue commoditatis augmentum et animarum tibi creditarum salutem, peramplius cedere valeant favorabiliter intendere volentes tuis in hac parte supplicationibus inclinati tibi, ut si copia earundem Antistitum nisi ut prefertur haberi non potuerit ab uno seu duobus abbate vel abbatibus usum mitre et baculi ex privilegio Apostolico habentibus, seu si abbas seu abbates predicti haberi nequierint, uno vel duobus aliis abbatibus, aut una seu duabus aliis persona aut personis in dignitate ecclesiastica constituta seu constitutis per te eligendis pallium ac iuramentum huiusmodi alias iuxta earundem posteriorum litterarum continentiam, atque formam recipere valeas, ac abbati seu abbatibus vel persone seu personis predictis, ut pallium tibi assignare et abs te iuramentum huiusmodi recipere alias iuxta formas predictas et litterarum earundem tenorem respective possint plenam et liberam licentiam et facultatem tenore presentium concedimus et elargimur premissis ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ceterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Marcum sub annulo Nostro Piscatoris, die VIII Iulii 1547, Pontificatus Nostri Anno 13.

148

Tuis exigentibus meritis

Arm. XLI 39 fol. 253r — die 8 iulii 1547
BM II 579

DE PALLIO ASSIGNANDO

Postquam dioecesis Mexicanensis in Ecclesiam Metropolitanam erecta et episcopus Iohannes de Zumarraga in archiepiscopum nominatus erat, Summus Pontifex ei pallium assignavit, a duobus episcopis ei tradendum. Sed quia illorum sedes ultre 500 milia a civitate Mexicana distent, duo abbates vel duae personae ecclesiasticae pallium archiepiscopo tradere possunt, vel etiam una sola persona.

Paulus III

Venerabili fratri Iohanni episcopo in archiepiscopum Mexicanen. electo.

Venerabilis frater salutem etc. Tuis exigentibus meritis inducimur, ut commoditatibus tuis, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Dudum siquidem, postquam Ecclesiam Mexicanen. in insula Nova Hispania nuncupata, in magno mari Occidentalis Oceani posita, cui etiam tunc preesse dignoscebaris, in Metropolitanam cum archiepiscopali dignitate, iurisdictione et superioritate, necnon omnimoda palii et crucis delatione, ac aliis Metropoliticis insigniis de venerabilium fratrum nostrorum consilio, per quasdam erexeramus et institueramus, ita quod tu eidem Ecclesie Mexicanen., absque alia de persona tua predicte ecclesie de novo facienda prefectione in archiepiscopum preesses, per alias nostras litteras venerabilibus fratribus nostris Antequeran. et Mechoacan. episcopis commisimus et mandavimus, quatinus pallium insigne videlicet plenitudinis pontificalis officii, ex parte tua, per certum tuum nuntium a nobis postulatum, de corpore beati Petri sumptum, per eosdem episcopos, vel eorum alte-

rum, tibi assignandum secundum certam formam quam nos illis miseramus assignare curarent, et abs te nostro et Romanae Ecclesiae nomine sub forma, quam eis sub bulla nostra misimus introclusam fidelitatis debite solitum reciperent iuramentum, prout in singulis predictis litteris plenius continetur. Cum autem sicut exponi nobis nuper fecisti Antequeran. et Mechoacan. episcopi ultra CCCCC milliaria vel circa ab eadem Ecclesia Mexicanen. distent, et in partibus illis copia Antistitum, qui pallium tibi assignare ac iuramentum huiusmodi abs te recipere valeant, nisi maxima cum difficultate ac longo temporis spacio haberi non possit, nos ad ea, que ad tue commoditatis et animarum tue cure commissarum salutis augmentum peramplius cedere valeant favorabiliter intendere volentes tuis in hac parte supplicationibus inclinati tibi, ut si copia earundem Antistitum, nisi ut prefertur, haberi non potuerit, ab uno seu duobus abbate vel abbatibus, usum mitre et baculi ex privilegio Apostolico habentibus, seu si ipsi abbates haberi nequeant uno vel duobus aliis abbatibus seu una vel duabus aliis persona aut personis in dignitate Ecclesiastica constituta seu constitutis, per te eligendis, pallium ac iuramentum huiusmodi, alias iuxta earundem litterarum continentiam atque formam recipere valeas. Ac abbati seu abbatibus vel persone seu personis predictis, ut pallium tibi assignare et abs te iuramentum huiusmodi recipere, alias iuxta formas predictas et litterarum earundem tenorem respective possint, plenam et liberam licentiam et facultatem tenore presentium concedimus et elargimur, premissis ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ceterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Marcum VIII Iulii 1547, Anno XIIImo.

149a

Apostolatus officium

Reg. Lat. 1783 fol. 5v-6v — die 13 iunii 1548

PROVISIO ECCLESIAE DE *TLAXCALA*

Per obitum Pauli Gil de Talavera, Ecclesia Tlaxcalensis, quae est de iurepatronatus imperatoris Romanorum et regis Hispaniae, pastoris solatio destituta est. Summus Pontifex Martinum de Osacastro, Ordinis Fratrum Minorum, ab imperatore praesentatum, Ecclesiae praedictae cum limitibus per ipsum imperatorem assignatis vel assignandis praeficit. Provisio haec capitulo Ecclesiae Tlaxcalensis, clero et populo civitatis et dioecesis Tlaxcalensis et universis vasallis eiusdem Ecclesiae communicatur. Archiepiscopo Mexicano, cuius suffraganea Ecclesia Tlaxcalensis est, episcopus electus commendatur, necnon imperatori et reginae. Electo episcopo absolutio a censuris et poenis ecclesiasticis, quibus forsan ligatus existit, impertitur, ut litterae apostolicae de provisione conficiendae effectum suum sortiantur, eique facultas datur, ut a quocumque maluerit Antistite catholico, assistentibus sibi duobus vel tribus episcopis, munus consecrationis suscipere possit, iuramento consueto fidelitatis praestito.

Paulus III

Dilecto filio Martino de Osacastro [1] electo Taxcalen. salutem etc. Apostolatus officium meritis licet imparibus nobis ex alto commissum

[1] Martinus Sarmiento de Osacastro (*Hojacastro*) natus est in oppido *Hojacastro*, Hispania, Ordini Fratrum Minorum Sancti Francisci nomen dedit, anno 1538 in Americam pervenit. Die 7 aprilis 1549 ab episcopo Antequerensi episcopus ordinatus est. Mortuus est anno 1557 in *Puebla* (BM II 529).

Testimonium de ordinatione:

In nomine Domini amen. Universis et singulis presens hoc et publicum instrumentum inspecturis manifestum sit et pateat evidenter quod anno nativitatis Dominice millesimo quingentesimo quadragesimo nono, mensis aprilis, die septima eademque dominica que dicitur de Passione, infra notario et testibus scriptis presentibus, reverendus dominus Iohannes Carate, Antequeren. ecclesie Antistes in Cathedrali ecclesia civitatis Antequere alias Quaxaque, in Nova Hispania, reverendum dominum fratrem Martinum ab Hoiacastro, electum Tlaxcalen. ecclesie episcopum, duabus dignitatibus eisdem Tlaxcalen. ecclesie assistentibus, more solito, inunxit ac consecravit recepto tamen prius ab eo debite fidelitatis iuramento, iuxta formam in quodam mandato sanctissimi in Christo patris et domini nostri Pauli divina providentia papae tertii annotatam quod sane iuramentum idem dominus Martinus electus ante predictum dominum Antequeren. Antistitem genuflexit, librum Sanctorum Evangeliorum manibus tangens iuxta prefatam formam de verbo ad verbum, voce alta, expressit ac pronuntiavit. Forma autem iuramenti ab eo prestiti talis erat: Ego Martinus electus Tlaxcalen., ab hac hora in anteâ fidelis et obediens ero beato Petro, Sancteque Apostolice Romane Ecclesie, ac domino nostro domino Paulo pape tertio, suisque successoribus canonice intrantibus; non ero in consilio aut consensu vel facto, ut vitam perdant, aut membrum seu capiantur aut in eos manus violenter quomodolibet ingerantur vel iniurie alique inferantur quovis quesito collore consilium, vero quod michi credituri sunt per se aut nuntium, seu literas

quo ecclesiarum omnium regimini divina dispositione presidemus utiliter exequi quo adiuvante Domino, cupientes solertia reddimur indefessa solliciti ut cum de ecclesiarum ipsarum regiminibus agitur committendis tales eis in pastores preficere studeamus qui populum sue cure creditum sciant non solum doctrina verbi, sed etiam exemplo boni operis informare, commissasque sibi ecclesias in statu prospero et tranquillo velint et valeant, auctore Domino, salubriter regere et feliciter gubernare. Sane ecclesia Taxcalen. in partibus occidentalis maris Occeani que de iure patronatus charissimi in Christo filii nostri Caroli Romanorum Imperatoris semper Augusti, qui etiam Hispaniarum Rex existit ex privilegio apostolico cui non est hactenus in aliquo derogatum fore dinoscitur, et cui bone memorie Paulus [2] episcopus Taxcalen. dum viveret presidebat per obitum eiusdem Pauli episcopi qui extra Romana curia debitum nature persolvit pastoris solatio destituta nos vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta ad provisionem eiusdem ecclesie celerem et felicem ne ecclesia ipsa longe vacationis

ad eorum damnum sue scienter nemini pandam papatum romanum, et regalia Sancti Petri adiutor ero ad retinendum et defendendum contra omnem ominem legatum Apostolice Sedis in eundo et redeundo honorifice tractabo et in suis necessitatibus adunabo iura, honores, privilegia et auctoritatem Romane Ecclesie domini nostri pape et successorum predictorum conservare, defendere, augere et promovere curabo. Nec ero in consilio facto seu tractatu, in quibus contra ipsum dominum nostrum vel eandem Romanam Ecclesiam aliqua ministra vel preiuditialia personarum iuris, honoris, status et potestatis eorum machinetur, et si talia a quibuscumque procurari novero, vel tractari impendiam hoc pro posse, et quantotius potero comode significabo eidem domino nostro vel alteri per quem ad ipsius notitiam pervenire possit regulas Sanctorum Patrum decreta, ordinationes, sententias, dispositiones, reservationes, provisiones et mandata Apostolica, totis viribus observabo et faciam ab aliis observari, hereticos, scismaticos et rebelles domino nostro et successoribus predictis pro posse persequar et impugnabo; vocatus ad sinodum, veniam nisi prepeditus fuero canonica prepeditione apostolorum limina Romana curia existente citra singulis annis, ultra vero montes singulis bienniis visitabo, aut per me aut per meum nuntium, nisi Apostolica absolvar licentia, possessiones, nec ad mensam meam pertinentes non vendam, neque donabo, neque impignorabo, neque de novo infeudabo vel aliquo modo alienabo, etiam cum consensu capituli ecclesie mee inconsulto romano pontifice. Sic me Deus adiuvet et hec Sancta Dei Evangelia etc. Datum (?). Quibus omnibus et singulis venerabiles viri Iohannes Gallego, Iohannes a Toleto predicte civitatis Antequere, iudices ordinarii, Didacus Holgium, Didacus a Villa Nova, civitatis Angelorum rectores, Franciscus Rubio et Bartholomeus del Gado eiusdem civitatis Angelorum, cives personaliter interfuerunt omnes testes ad hec (?) mecum acciti et rogati, in quorum omnium et singulorum fidem et testimonium. Ego Blasius Morales, Apostolicus notarius, Auctoritate Apostolica presens hoc et publicum instrumentum subscribi feci, sigilloque predicti domini Tlaxcalen. Antistitis, et meo nomine conveniri. Actum in dicta Angelorum civitate, in Nova Hispania, tertio idus iunias supra dicti anni (Arm. XXVIIII 160 fol. 199r-200r).

[2] Paulus Gil de Talavera. De eo cfr. supra doc. 116.

exponatur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes post deliberationem quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te ordinis fratrum minorum professorem in presbiteratus ordine constitutum quem prefatus Carolus Imperator et Rex nobis ad hoc per suas litteras presentavit et cui apud nos de litterarum scientia, vite mundicia, honestate morum, spiritualium providentia et temporalium circumspectione, aliisque multiplicum virtutum donis fidedigna testimonia perhibentur direximus oculos nostre mentis quibus omnibus debita meditatione pensatis de persona tua nobis et eisdem fratribus ob tuorum exigentiam meritorum accepta prefate ecclesie cum limitibus et diocesi per eundem Carolum Imperatorem et Regem illi assignatis et prout sibi videbitur assignandis ac alterandis de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica providemus teque illi in episcopum preficimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo in illo qui dat gratias et largitur premia, confidentes quod prefata ecclesia sub tuo felici regimine regetur utiliter et prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa; iugum igitur Domini tuis impositum humeris prompta devotione suscipiens curam et administrationem predictas sic exercere studeas sollicite, fideliter et prudenter quod ecclesia ipsa gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam tuque preter eterne retributionis premium nostram et apostolice Sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis. Datum Romae apud Sanctum Marcum anno etc. millesimo quingentesimo quadragesimo octavo, idibus iunii anno quarto decimo.

149b

Hodie Ecclesiae vestrae

Reg. Lat. 1783 fol. 7r — die 13 iunii 1548

Dilectis filiis capitulo ecclesie Taxcalen. salutem etc. Hodie ecclesie vestre Taxcalen. etc. ut supra usque continetur. Quocirca etc.

mandamus quatinus eidem Martino electo tamquam patri et pastori animarum vestrarum humiliter intendentes ac exibentes sibi obedientiam et reverentiam debitas et devotas eius salubria monita et mandata suscipiatis humiliter et efficaciter adimplere curetis alioquin sententiam quam idem Martinus electus rite tulerit in rebelles ratam habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum ut supra.

149c

Hodie Ecclesiae Taxcalen.

Reg. Lat. 1783 fol. 6v-7r die 13 iunii 1548

Dilectis filiis clero civitatis et diocesis Taxcalen. salutem etc. Hodie ecclesie Taxcalen. tunc per obitum bone memorie Pauli olim episcopi Taxcalen. extra Romana curia defuncti pastoris solatio destitute de persona dilecti filii Martini electi Taxcalen. nobis et fratribus nostris ob suorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorundem consilio apostolica auctoritate providimus ipsumque illi in episcopum prefecimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Quocirca etc. mandamus quatinus eidem Martino electo tamquam patri et pastori animarum vestrarum humiliter intendentes ac exhibentes sibi obedientiam et reverentiam debitas et devotas eius salubria monita et mandata suscipiatis humiliter et efficaciter adimplere curetis alioquin sententiam quam idem Martinus electus rite tulerit in rebelles ratam habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum ut supra.

149d

Hodie Ecclesiae Taxcalen.

Reg. Lat. 1783 fol. 7v die 13 iunii 1548

Dilectis filiis populo civitatis et diocesis Taxcalen. salutem etc. Hodie ecclesie Taxcalen. etc. ut supra usque continetur. Quocirca etc. mandantes quatinus eundem Martinum electum tanquam patrem et pastorem animarum vestrarum devote suscipientes et debita honorificentia prosequentes eius monitis et mandatis salubribus humiliter intendatis ita quod dictus Martinus electus in vobis devotionis filios et vos in eo per consequens patrem benivolum invenisse gaudeatis. Datum ut supra.

149e

Hodie Ecclesiae Taxcalen.

Reg. Lat. 1783 fol. 7rv die 13 iunii 1548

Dilectis filiis universis vassallis ecclesie Taxcalen. salutem etc. Hodie ecclesie Taxcalen. etc. ut supra usque continetur. Quocirca etc. mandamus quatinus eundem Martinum electum tamquam patrem et pastorem animarum vestrarum devote suscipientes et debita onorificentia prosequentes ei fidelitatem solitam necnon consueta servitia et iura sibi a vobis debita integre exhibere studeatis alioquin sententiam sive penam quam dictus Martinus electus rite tulerit sive statuerit in rebelles ratam habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum ut supra.

149f

Ad cumulum tuae cedit salutis

Reg. Lat. 1783 fol. 7v-8r die 13 iunii 1548

Venerabili fratri archiepiscopo Mexicanen. salutem etc. Ad cumulum tue cedit salutis et fame si personas ecclesiasticas presertim pontificali dignitate preditas divine propitiationis intuitu opportuni presidii et favoris gratia prosequaris. Hodie siquidem ecclesie Taxcalen. etc. ut supra usque continetur. Cum igitur idem Martinus electus in commissa sibi dicte ecclesie cura facilius proficere valeat tuus favor sibi fore noscatur plurimum opportunus fraternitatem tuam rogamus et ortamur attente tibi per apostolica scripta mandantes quatinus eundem Martinum electum et prefatam ecclesiam suffraganeam tuam habens pro nostra et apostolice Sedis reverentia propensius commendatos in ampliandis et conservandis iuribus suis sic eos tui favoris presidio prosequaris quod idem Martinus electus per tue auxilium gratie se possit in commisso sibi dicte ecclesie regimine utilius exercere, tuque divinam misericordiam ac nostram ac dicte Sedis benedictionem et gratiam valeas exinde uberius promereri. Datum ut supra.

149g

Gratiae divinae praemium

Reg. Lat. 1783 fol. 8rv die 13 iunii 1548

Charissimo in Christo filio Carolo Romanorum Imperatori semper Augusto et charissime in Christo filie Iohanne Castelle et Legionis Regine illustri salutem etc. Gratie divine premium et humane laudis preconium acquiritur si per seculares principes personis ecclesiasticis presertim pontificali dignitate preditis opportuni favoris presidium et honor debitus impendatur. Hodie siquidem ecclesie Taxcalen. etc. ut supra usque continetur. Cum itaque filii charissimi sit virtutis opus Dei ministros benigno favore prosequi ac eos verbis et operibus pro regis eterni gloria venerari serenitatem vestram cum tu fili Carole etiam Castelle et Legionis Rex existas rogamus et hortamur attente quatinus eundem Martinum electum et ecclesiam predictam sue cure commissam habens pro nostra et apostolice Sedis reverentia propensius commendatos in ampliandis et conservandis iuribus suis sic eos benigni favoris auxilio prosequamini quod ipse Martinus electus vestri favoris fultus presidio in commisso sibi dicte ecclesie regimine possit, Deo propitio, prosperari ac vobis exinde a Deo perennis vite premium et a nobis condigna perveniat actio gratiarum. Datum ut supra.

149h

Apostolicae Sedis consueta clementia

Reg. Lat. 1783 fol. 8v-9r — die 13 iunii 1548

Dilecto filio Martino de Osacastro ordinis fratrum minorum professori salutem etc. Apostolice Sedis consueta clementia ne dispositiones per eam de cathedralibus ecclesiis pro tempore facte valeant quomodolibet impugnari sed persone ad eas promovende illis puro corde et sincera conscientia presidere valeant remedia, prout convenit adibet opportuna. Cum itaque nos hodie ecclesie Taxcalen. ad presens certo modo pastoris solatio destitute de persona tua nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorundem consilio apostolica auctoritate providere teque illi in episcopum et pastorem preficere intendamus nos ne si forsan aliquibus sententiis,

censuris et penis ligatus sis provisio et prefectio predicte possint propterea quomodolibet impugnari providere volentes teque a quibusvis excommunicationis etc. ad hoc dumtaxat ut provisio et prefectio predicte ac singule littere apostolice desuper conficiende suum sortiantur effectum dicta auctoritate tenore presentium absolvimus et absolutum fore nuntiamus, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac dicte ecclesie iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo etc. nostre absolutionis et nuntiationis etc. Siquis etc. Datum Romae apud Sanctum Marcum anno etc. millesimo quingentesimo quadragesimo octavo, idibus iunii anno quarto decimo.

149i

Cum nos pridem

Reg. Lat. 1783 fol. 9v-10r — die 14 iunii 1548

Dilecto filio Martino electo Taxcalen. salutem etc. Cum nos pridem ecclesie Taxcalen. etc. ut supra [usque] continetur. Nos ad ea que ad tue commoditatis augmentum cedere valeant favorabiliter intendentes tuis in hac parte supplicationibus inclinati tibi in presbiteratus ordine constituto ut a quocumque malueris catholico antistite gratiam et communionem apostolice Sedis habente accitis et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus catholicis episcopis similes gratiam et communionem habentibus munus consecrationis recipere valeas, ac eidem antistiti ut recepto prius per eum a te nostro et Romane ecclesie nomine fidelitatis debite solito iuramento iuxta formam presentibus annotatam munus predictum auctoritate nostra impendere libere tibi possit plenam et liberam earundem tenore presentium concedimus, facultatem. Volumus autem et auctoritate prefata statuimus et decernimus quod si non recepto a te per ipsum antistitem prefato iuramento idem antistes munus ipsum tibi impendere et tu illud suscipe-

re presumpseritis dictus antistes a pontificalis officii exercitio, et tam ipse quam tu ab administratione tam spiritualium quam temporalium ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso preterea etiam volumus quod formam huiusmodi a te tunc prestiti iuramenti nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo munitas per proprium nuncium quantocius destinare procures, quodque per hoc venerabili fratri nostro archiepiscopo Mexicanen. cui ecclesia ipsa Taxcalen. metropolitico iure subesse dinoscitur nullum in posterum preiudicium generetur. Forma autem iuramenti per te prestandi talis est: Ego etc. Datum Romae apud Sanctum Marcum anno etc. millesimo quingentesimo quadragesimo octavo, decimo octavo kalendas iulii anno quarto decimo.

150

Tuis exigentibus meritis

Arm. XLI 42 fol. 266r — die 20 iunii 1548

DE ORDINATIONE EPISCOPI ELECTI DIOECESIS TLAXCALENSIS

Episcopus electus dioecesis de *Tlaxcala* in *México* munus consecrationis suscipere potest a quocumque Antistite catholico assistentibus sibi duobus vel tribus aliis episcopis. Sed quia in illis regionibus copia episcoporum non facile haberi potest facultas ei conceditur ut munus consecrationis suscipere possit ab uno episcopo assistentibus sibi duobus aut tribus abbatibus vel personis in dignitate ecclesiastica constitutis.

Paulus III

Dilecto filio Martino de Osacastro electo ecclesie Taxcalen.
Dilecte fili salutem etc. Tuis exigentibus meritis inducimur ut

commoditatibus tuis, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Nuper siquidem ecclesie Taxcalen. in Indiis occidentalibus maris Occeani, certo tunc expresso modo pastoris solatio destitute, nos de persona tua ecclesie predicte sic vacanti de fratrum nostrorum consilio et Apostolice potestatis plenitudine providimus, teque illi in episcopum prefecimus et pastorem, curam et administrationem eiusdem ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, ac tibi, ut a quocumque malles catholico Antistite gratiam et communionem Apostolice Sedis habente accitis, et in hoc sibi assistentibus duobus, vel tribus catholicis Antistitibus, similes gratiam et communionem habentibus munus consecrationis suscipere valeres inter alia indulsimus, prout in aliis nostris sub plumbo confectis litteris, plenius continetur. Cum autem sicut exhibita nobis nuper pro parte tua peti[ti]o continebat, Cathedrales illarum partium ecclesie propter terrarum earundem vastam latitudinem, novamque expugnationem ita ad invicem distent, ut Antistitum copia de facili inibi haberi nequeat, nos ad ea que ad tue commoditatis augmentum peramplius cedere valeant favorabiliter intendere volentes tuis in hac parte supplicationibus inclinati tibi ut, si copia Antistitum ad hoc requisita huiusmodi commode haberi non poterit, accitis et assistentibus duobus aut tribus abbatibus mitre et baculi usum ex privilegio Apostolico habentibus, seu in eorum defectum duobus aut tribus aliis abbatibus, seu dicte tue vel aliarum cathedralium etiam metropolitanarum ecclesiarum personis in dignitate ecclesiastica constitutis, et in loco dictis partibus, ubi munus huiusmodi recipere tibi placuerit residentibus, ac per te eligendis a primo dicto Antistite munus consecrationis huiusmodi hiis recipere valeas; ac Antistiti et personis huiusmodi assistentibus, ut munus predictum alias iuxta earundem litterarum tenorem auctoritate nostra tibi impendere et assistere respective possint, premissis ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ceterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque liberam facultatem et auctoritatem tenore presentium concedimus et elargimur. Datum Romae apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris, die XX Iunii 1548, Pontificatus Nostri Anno 14.

151

Exponi nobis nuper

Arm. XLI 45 fol. 200r-201r die 12 maii 1549

EPISCOPUS A VISITATIONE AD LIMINA APOSTOLORUM DISPENSATUR

Cum sedes episcopalis dioecesis de *Mechoacan* longe a Roma distet et episcopus sexaginta iam annos habeat, visitatio ad limina facienda singulis bienniis iuxta formam iuramenti in actu consecrationis episcopalis faciendi, valde difficilis et periculosa esset. Ideoque Summus Pontifex indultum per sex annos ei concessit, ut loco visitationis ad limina Apostolorum Romae, ecclesiam quamdam suae dioecesis visitaret. Tamen episcopus conscientia animi excruciabatur quia numquam certum responsum litterarum suarum habuit. Ideoque Summus Pontifex ad cautelam eum a quibusvis censuris ecclesiasticis, quas forsan incurrerit, liberat, ac indultum supradictum vita episcopi durante extendit, etsi fortasse ad aliam dioecesim transferatur.

Paulus III

Venerabili fratri Basco de Quiroga [1], episcopo Mechuacan.

Venerabilis frater salutem etc. Exponi nobis nuper fecisti quod, cum alias tempore quo Ecclesie Mechuacan ab eius primeva erectione de persona tua Apostolica auctoritate providimus preficiendo te illi in episcopum et pastorem, ex eo quod dicta ecclesia in Indiis consistit, et ab Alma Urbe fere per duo millia leucarum remota existit, ac in sexagesimo tue etatis anno constitutus existis, tuque propterea non sine maxima difficultate et nisi cum maximo vite tue periculo, limina bea-

[1] De Vasco de Quiroga cfr. supra doc. 75.

torum apostolorum Petri et Pauli de eadem Urbe singulis bienniis, prout iuxta formam iuramenti, quod in munere consecrationis per te tunc suscipiendo prestare tenebaris, visitare minime poteras, tibi, ut aliquam ex tue diocesi ecclesiis, quam duceres eligendam statutis temporibus huiusmodi visitando ad eadem limina visitanda ad sex annos a die suscipiendi per te muneris consecrationis huiusmodi computandi minime tenereris Apostolica auctoritate de speciali gratia indulserimus, et si forsan iam tunc munus huiusmodi suscepisses, et iuramentum predictum prestitisses, illud quoad spatium sex annorum huiusmodi predicta Apostolica auctoritate gratiose relaxaverimus, prout in litteris nostris in forma brevis desuper confectis, latius continetur, tuque ab inde citra ob tam maximam distantiam et maria multaque pericula intermedia personaliter dicta limina apostolorum non visitaveris, et licet pro obtinenda denuo a nobis indulgentia, ne ad eadem limina visitanda venire tenereris nuntios destinaveris, seu litteras miseris numquam tamen certum de his responsum habueris dubitas propterea aliquas censuras ecclesiasticas incurrisse, et in futurum eo quod in dies in gravescente etate tibi difficilem esset ad predictam Urbem venire, maiusque periculum veniendo immineret fere impossibile tibi esse putas dicta apostolorum limina personaliter visitare. Quare supplicari nobis fecisti humiliter, ut in his tibi de remedio opportuno providere de Sedis Apostolice benignitate dignaremur. Nos igitur autem tue saluti consulere, tuisque commoditatibus providere volentes huiusmodi supplicationibus inclinati te a periurii reatu et quibusvis censuris ecclesiasticis, quas ob id quod hactenus dicta limina apostolorum non visitasti, quomodolibet incurristi Apostolica auctoritate predicta tenore presentium absolvimus penitus et liberamus tibique, ut de cetero quoad vixeris, et in dictis Indiis resideris, aliquam ex tue diocesis, seu quando ab illa alias fueris alterius cuiuscumque in qua pro tempore te morari contigerit ecclesiis, quam etiam pro tempore duxeris eligendis statutis temporibus predictis visitando ad eadem limina apostolorum tam ratione dicte ecclesie Mechuacan, quam alterius cuiusvis, seu aliarum quarumcumque in eisdem Indiis consistentis seu consistentium, ad quam seu ad quas in futurum forsan te etiam promoveri seu transferri contigerit visitandum quoad vixeris minime tenearis, nec ad id a quoquam invictus compelli possis eadem Apostolica auctoritate, ac earundem tenore presentium de speciali gratia indulgemus, dictumque iuramentum per te prestitum vita tua durante dicta Apostolica auctoritate gratiose relaxamus, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Marcum, sub Annulo Piscatoris, die XII Maii 1549, Pontificatus Nostri Anno 15.

152

Licet debitum

Hernáez I 117-118 die 18 octobris 1549

FACULTATES EXTRAORDINARIAE PRO SOCIETATE IESU

De nova Societate Iesu ab ipso instituta et approbata congratulans Summus Pontifex imprimis precibus annuens a Praeposito generali Ignatio de Loyola prolatis statuit ut Praepositus generalis pro tempore existens vi ipsius electionis iuxta constitutiones eiusdem Societatis peractae verus ipsius religionis Praepositus generalis sit plenamque huius officii auctoritatem et in omnes Societatis socios iurisdictionem obtineat et exercere valeat.

Praeterea eidem Praeposito eiusque in officio successoribus concedit ut Societatis sociis, quos in infidelium terras a Sede Apostolica remotissimas miserit, ex auctoritate apostolica facultatem tribuere valeat christianos ibidem commorantes ab omnibus peccatis etiam reservatis et censuris ac poenis absolvendi necnon a matrimoniorum impedimentis lege divina quidem non prohibitis dispensandi necnon hospitalia et alia pia loca erigendi ac pro tempore erecta reformandi.

Paulus III

Ad perpetuam rei memoriam. Licet debitum pastoralis officii omnibus regularem vitam ducentibus, ut in suis disciplinis et laudabilibus institutis conserventur et augeantur, Vos reddat favorabiles et benignos; ad societatem vero de Jesu, per Nos institutam et approbatam, cujus specimen, veluti ager fertilis, in Domino multiplices atque uberes fructus animarum, ad summi Regis laudem et fidei incrementum attulit et affert quotidie verbo et exemplo in populo Christiano, dirigentes praecipue, velut pius Pater, oculos mentis nostrae, dignum censemus, ut ipsam ejusque in odorem suavitatis Altissimo deservien-

tes personas, specialibus favoribus prosequamur, illaque sibi favorabiliter concedamus, per quae societas ipsa utiliter regi et prospere dirigi ac ad animarum auxilium fideliter in Domino procedere valeat. Hinc est, quod nos dilectorum filiorum, Ignatii de Loyola, moderni Praepositi Generalis, et aliorum sociorum ejusdem Ordinis supplicationibus inclinati, sibi, ut Praepositus Generalis dictae societatis pro tempore existens, cum primum iuxta constitutiones ejusdem societatis in illius praepositum electus fuerit, eo ipso verus ipsius religionis Generalis Praepositus cum libera, generali et omnimoda cura et administratione omnium et singulorum ad felix regimen et prosperam directionem spectantium et pertinentium, sit et esse censeatur, ac suum Praepositi officium in omnibus exercere incipiat, ac plenam in universos eiusdem societatis socios et personas sub ejus obedientia degentes, ubilibet commorantes, etiam exemptos, etiam quascumque facultates habentes, suam jurisdictionem exerceat etc.

Ac Praeposito Generali ejusdem societatis etc. ut cum aliquos ex fratribus seu sociis societatis hujusmodi in Saracenorum et Paganorum aliorumque infidelium terras et provincias alias remotissimas, a quibus non potest adiri Sedes Apostolica, miserit, possit eis auctoritate nostra facultatem concedere, ut christianos ibidem commorantes, confessione peccatorum suorum audita et poenitentia salutari injuncta, eos et eorum quemlibet, ab omnibus et singulis eorum peccatis, etiam in Bulla Coenae Domini et a consequentibus censuris et poenis absolvere, et cum iis, qui ab infidelitate convertuntur tantum, et in locis remotissimis, qui prius in gradibus non licitis, tamen lege divina non prohibitis, matrimonia contraxerant, ut in eisdem manere possint, dispensare; ac in locis praedictis remotissimis quaecumque, Ecclesias, Hospitalia et alia pia loca, prout expediens fuerit, erigere, ac nunc et pro tempore erecta reformare sine alicujus praejudicio possint etc. Necnon Ignatio et aliis successoribus suis, Praepositis Generalibus dictae societatis pro tempore existentibus etc. quascumque gratias, concessiones et indulta per nos concessa, per eorum vicarios, aut personas ad id sibi bene visas, praesertim in Indiarum et aliis partibus remotis, pro tempore substitutas, exercere libere et licite valeant. Ac praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ex quavis causa, de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae defectu, notari vel impugnari nullatenus posse: ac sub quibusvis suspensionibus, derogationibus, limitationibus et aliis quibusvis contrariis dispositionibus et gratiarum ac indulgentiarum concessarum derogatoriis seu revocatoriis, etiam per nos et Sedem eamdem pro tempore concessis, nullatenus comprehendi, sed semper exceptas existere,

ac suos plenarios effectus sortiri etc. Ac dilectis in Christo filiis illustribus et nobilibus viris, principibus ac dominis temporalibus, et venerabilibus Fratribus, Praelatis ecclesiasticis in quavis dignitate constitutis, praedictam societatem ac singulos illius socios plurimum in Domino commendantes: non solum, ne eos inquietari, aut eorum privilegia violari permittant, sed ut benigne et cum charitate, ut decet, suscipiant, exhortamur atque in Domino rogamus etc.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus etc.

Datum Romae apud Sanctum Marcum anno Incarnationis Dominicae 1549, decimo quinto kalendas Novembris, Pontificatus nostri anno 15.

153

De benignitate

Arm. XLI 55 fol. 202r-203r — die 18 martii 1550

CONCEDITUR FACULTAS CONDENDI TESTAMENTUM

Pontifex episcopo Ecclesiae Seguntinae ad effectum de quo agitur ab omnibus quibus innodatus exsistat censuris ecclesiasticis absoluto, liberam et latam tribuit facultatem, ut de quibuscumque bonis mobilibus et immobilibus ab ipso tam per ecclesias vel beneficia ecclesiastica obtentis vel obtinendis vel ex industria propria aut alias acquisitis usque ad summam decem millium ducatorum licite disponere seu testari valeat, sive in quosvis pios vel alios licitos usus sive inter quascumque personas. Insuper archiepiscopo Toletano et decano ecclesiae Seguntinae mandat ut ipsi oratori vel eiusdem testamentariis aut successoribus qui id requisiverint pro executione huiusmodi dispositionum efficaciter assistant, non obstantibus constitutionibus vel ordinationibus cuiusvis generis vel quavis firmitate roboratis, iis exceptis quibus nullatenus derogari possit.

Iulius III

Venerabili fratri Ferdinando Nino Patriarchae Indiarum [1].

Venerabilis frater salutem etc. De benignitate Sedis Apostolice provenire dignum est, ut Ecclesiarum prelatis disponendi de bonis que viventes possident libera, si tam in ultima voluntate quam aliter attributa presentiarum, ut ordinata per eos perpetuo firma persistant. Hinc est quod nos te, qui Ecclesia Seguntin. ex dispensatione Apostolica preesse dignosceris, et sicut accepimus extremum tue peregrinationis diem dispositione testamentaria prevenire desideras, favore gratioso prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris et penis, a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis si quibus, quomodolibet innodatus existis ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolvendo et absolutum fore censentes tuis in hac parte supplicationibus inclinati tibi, ut de quibuscumque bonis mobilibus et immobilibus per te, tam per dictam Segutin. ac alia quecumque ecclesias et beneficia ecclesiastica per te obtenta et obtinenda, quam alias quomodolibet etiam ex ingenio et industria, seu labore tuis licite acquisitis et acquirendis, seu aliter tibi donandis, pro libitu tue voluntatis et usque ad summam decem millium ducatorum testari et de illis tam donationis inter vivos quam causa mortis in quosvis pios et non pios alias tamen licitos usus et inter quascumque personas sive sint consanguinei sive servitores aut alii disponere et erogare libere et licite possis et valeas, auctoritate Apostolica tenore presentium licentiam et facultatem concedimus. Quocirca venerabili fratri archiepiscopo Toletan. ac generali auditori et decano ecclesie Seguntin. per presentes committimus et mandamus quatinus ipsi et eorum quilibet tibi tuisque testamentariis legatariis, donatariis, fideicommissariis, heredibus et successoribus per te instituendis, et illorum cuilibet quoties pro tua seu illorum, vel alicuius ipsorum parte fuerint requisiti, seu aliquis illorum fuerit requisitus, in premissis efficacis defensionis presidio assistant ac omnia et singula vigore presentium pro tempore acta de gesta faciam et mandent per quoscumque inviolabiliter observari. Contradictores quoslibet et rebelles per censuras et penas ecclesiasticas et diu opportuna iuris remedia appellatione posposita compescendo. Non obstantibus premissis, ac felicis recordationis Alexandri VI, Iulii II,

[1] Ferdinandus Nino, episcopus Seguntinus (*Sigüenza*) 1546-1552.

Leonis X et aliorum Romanorum Pontificum predecessorum Nostrorum invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis, aliisque Apostolicis ac in provincialibus et sinodalibus Conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ac dictarum Ecclesiarum iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et litteris Apostolicis, in contrarium quomodolibet concessis, quibus omnibus etiam, si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis specifica expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quevis alia expressio habendam, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, et in eis caveatur expresse quod illis nullatenus derogari possit tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nichil penitus omisso et forma in illis traddita observata inserta forent presentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat harum serie specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum die 18 Martii 1550, Pontificatus Nostri Anno primo.

154

Exponi nobis nuper

Arm. XLI 55 fol. 365r — die 14 aprilis 1550

INDULTUM PRO FERDINANDO PEREZ, CONSILIARIO IMPERATORIS IN INDIIS

Carolus imperator Ferdinandum Perez consiliarium suum in Indiis Occidentalibus deputavit. Ideoque facile fieri potest, ut Ferdinandus causis et quaestionibus criminalibus interesse debet, quibus poena sanguinis ingeritur. Precibus suis Summus Pontifex indultum ei concedit, ut in causis et quaestionibus criminalibus sese intromittere possit, absque alicuius irregularitatis, inhabilitatis vel infamiae macula et sententiarum, censurarum et poenarum incursu.

Iulius III

Dilecto filio Ferdinando Perez clerico Zamoren. decretorum doctori.

Dilecte fili, salutem etc. Exponi nobis nuper fecisti quod, cum charissimus in Christo filius noster Carolus Romanorum Imperator semper Augustus te Indiarum maris Occeani, que sub ipsius Caroli Imperatoris ditione existunt consiliarium deputaverit facile contingere posset quod tam solus quam cum aliis pro salubri ipsarum Indiarum directione te de causis et questionibus criminalibus intromittere, ac illarum agnitioni et decisioni etiam in hiis quibus pena sanguinis ingeritur interesse, ac in eis votum condemnando vel absolvendo ferre haberes, quo circa nobis humiliter supplicari fecisti, ut te cum in presbiteratus ordine constitutus non existis super premissis dispensare et conscientie tue puritati opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur volentes te apud nos, de litterarum scientia, aliisque multiplicum virtutum donis multipliciter commendatum, favore prosequi gratioso huiusmodi supplicationibus inclinati, tecum ut tam solus quam cum aliis in dictis Indiis et illarum districtu et territorio, te de causis et questionibus intromittere, et illarum etiam in hiis, in quibus pena sanguinis ingeritur cognitioni et decisioni interesse, ac in eis votum condemnando vel absolvendo, etiam si exinde mors aut mutilatio membri sive alia pena, etiam sanguinis subsequi debeat, dummodo sententiam sanguinis per alium feras, dare et prestare absque alicuius irregularitatis, inhabilitatis vel infamie macula, sive nota aut sententiarum censurarum et penarum contra ingerentes se quomodolibet in premissis latarum incursu libere et licite valeas, auctoritate Apostolica tenore presentium, de specialis dono gratie dispensamus. Non obstantibus premissis et quibusvis Apostolicis, ac in provincialibus et sinodalibus Conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae etc. die 14 Aprilis 1550, Anno Primo.

155

Exponi nobis nuper

Arm. XLI 55 fol. 366r die 14 aprilis 1550

IDEM INDULTUM PRO TELLO DE SANDOVAL
CONSILIARIO IMPERATORIS IN INDIIS

Iulius III

Dilecto filio Tello de Sandoval, clerico Hispalen. diocesis, licentiato in decretis.

Dilecte fili, salutem etc. Exponi nobis nuper fecisti quod, cum charissimus in Christo filius noster Carolus Romanorum Imperator semper Augustus, te Indiarum maris Occeani, que sub ipsius Caroli Imperatoris ditione existunt, consiliarium deputaverit facile contingere posset quod tam solus quam cum aliis pro salubri ipsarum Indiarum directione te de causis et questionibus criminalibus intromittere, ac illarum agnitioni et decisioni, etiam in hiis quibus pena sanguinis ingeritur interesse, ac in eis votum condemnando vel absolvendo ferre haberes quo circa nobis humiliter supplicari fecisti, ut tecum super premissis dispensare et conscientie tue puritati opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur volentes te apud nos, de litterarum scientia, aliisque multiplicum virtutum donis multipliciter commendatum favore prosequi gratioso huiusmodi supplicationibus inclinati, te cum in presbiteratus ordine constitutus non existis ut tam solus quam cum aliis in dictis Indiis, et illarum districtu et territorio, te de causis et questionibus criminalibus intromittere, et illarum etiam in hiis, in quibus pena sanguinis ingeritur agnitioni et decisioni interesse, ac in eis votum condemnando vel absolvendo etiam si exinde mors aut mutilatio membri sive alia pena etiam sanguinis subsequi

debeat, dummodo sanguinis sententiam per alium feras, dare et prestare absque alicuius irregularitatis, inhabilitatis vel infamie macula sive nota aut sententiarum, censurarum et penarum contra ingerentes se quomodolibet in premissis latarum incursu libere et licite valeas, auctoritate Apostolica tenore presentium, de specialis dono gratie dispensamus. Non obstantibus premissis et quibusvis Apostolicis, ac in provincialibus et sinodalibus Conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum, die 14 Aprilis 1550, Anno Primo.

156

Exponi nobis nuper

Arm. XLI 56 fol. 142r-143r — die 23 maii 1550

ABSOLUTIO AB OMNIBUS CENSURIS ET RESTITUTIO IN INTEGRUM

In supplicatione oratoris Summo Pontifici delata primo loco expositum erat quod ipse licet clericus vi indulti apostolici iam dudum obtenti per Carolum Romanorum imperatorem et Hispaniarum regem Catholicum iudex seu commissarius aut visitator tribunalium et officialium tam in regno Valentiae quam alibi deputatus erat cum competentia in singulis causis civilibus et criminalibus ac mixtis sive cognoscendis sive terminandis; idcirco tam ante quam post dispensationem huiusmodi orator pro visitatione tribunalium ac sedandis nonnullis seditionibus in regno de *Perú* et forsan aliis Indiarum maris Oceani insulis exortis diversis negotiis criminalibus ac conflictibus bellicis se immiscere debuit atque in iisdem auxilium, consilium et favorem praestare, neminem tamen per se ipsum condemnando aut propriis manibus mutilando vel interficiendo.

Summus Pontifex proinde oratorem ab excessibus ac quibusvis excommunicationibus aliisque poenis ecclesiasticis ac temporalibus et corporis afflictionibus tunc incursis absolvit et totaliter liberat omnesque poenas inde provenientes remittit eumque ad famam, honores ac bona, quae quovis titulo habebat vel percipiebat, et in ipsum statum, in quo antea exsistebat, restituit et

reintegratum esse vi praesentium decernit. Praeterea cum ipso super irregularitate illa occasione contracta dispensat, ita ut ordinibus receptis uti etiam in altaris ministerio valeat necnon beneficia ecclesiastica in quibuslibet ecclesiis consistentia percipere vel retinere ac ius ipsi in illis vel ad ea competens prosequi et eorum fructus ut prius percipere. Quod Pontifex de dono specialis gratiae concedit omnesque inhabilitatis et infamiae maculas tunc contractas abolet.

Iulius III

Dilecto filio Petro de la Gasca, clerico Abulen. seu alterius civitatis aut diocesis.

Dilecte fili salutem etc. Exponi nobis nuper fecisti quod, cum licet dudum tibi, ut quamdiu per charissimum in Christo filium nostrum Carolum Romanorum Imperatorem semper Augustum, et Hispaniarum Regem Catholicum, iudex seu commissarius aut visitator tribunalium et officialium tam in Regno Valentie, quam alibi deputatus fores in omnibus et singulis causis civilibus et criminalibus atque mixtis, contra omnes et singulos etiam iudices et officiales regios te intromittere consulere, et votum tuum dare, de illisque omnibus et singulis causis cognoscere, ac illas audire et terminare valeres auctoritate Apostolica indultum, tecumque desuper dispensatum fuerit; cum tamen tam ante quam post indultum ac dispensationem huiusmodi, tu qui in sacris et forsan presbiteratus ordinibus constitutus, ac in altero iurium licentiatus existis pro visitatione tribunalium et officialium dicti Regni, ac sedandis nonnullis seditionibus et tumultibus in del Peru et forsan aliis Indiarum maris Oceani insulis, sub ditione ipsius Caroli Imperatoris existentibus exortis, ac earum ab ipso Carolo Imperatore rebellibus reducendis et puniendis, ac iustitia administranda cognitioni et decisioni causarum et questionum criminalium incubueris ac iudices, capitaneos, officiales, qui causas criminales huiusmodi audirent et terminarent deputaveris, ac in dicto regno apud proregem gubernatorem et alios eiusdem regni officiales quatenus iustitiam etiam in causis criminalibus administrarent tam in genere quam specie iustum feceris ac diversis negotiis criminalibus et actibus ac conflictibus bellicis te immiscueris, ex quibus quamplures ultimo supplicio iustitia mediante condannari hominum cedes, incendia, membrorum mutilationes, homicidia et alia crimina, excessus et delicta subsecuta et perpetuata fuerunt, ac auxilium, consilium et favorem in hiis prestiteris ne-

minem tamen per te ipsum condennando, seu tuis propriis manibus interficiendo aut mutilando, pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum ut tibi ab huiusmodi excessibus de absolutionis beneficio, ac alias statui tuo in premissis opportune providere, de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur attendentes Sedis Apostolice clementiam pietatis, seu premium petentibus claudere non consuevisse, ac volentes te favore prosequi gratioso huiusmodi supplicationibus inclinati te ab excessibus huiusmodi, ac quibusvis excommunicationis et aliis sententiis, censuris et penis ecclesiasticis, ac etiam temporalibus et corporis afflictionibus, quas premissorum occasione quomodolibet incurristi, dicta auctoritate Apostolica tenore presentium absolvimus, et totaliter liberamus; ac omnes inde provenientes penas tibi remittimus, teque ad famam, honores et bona, necnon regressus ac accessus et pensiones annuas, quas ante premissa et tempore commissorum excessuum huiusmodi quomodolibet obtinebas, habebas et percipiebas etiam quoad prosecutionem litium et causarum, quas tunc habebas, ac in pristinum et eum statum, in quo antea existebas auctoritate et tenore premissis restituimus, reponimus et plenarie reintegramus, ac restitutum, repositum et reintegratum esse decernimus; necnon tecum super irregularitate, per te dicta occasione contracta, quodque clericali caracthere, quo alias rite insignitus fuisti, et ordinibus predictis uti, et in illis etiam in altaris ministerio ministrare; necnon quecumque, quotcumque et qualiacumque, cum cura et sine cura, sic invicem compatientia beneficia ecclesiastica, quomodolibet qualificata, ac in quibusvis etiam cathedralibus, etiam metropolitanis, seu collegiatis ecclesiis consistentia tibi alias canonice conferenda recipere et retinere, ferenda recipere, ac cathedrales et metropolitanas ecclesias et illa ac per te obtenta beneficia ecclesiastica, etiam quomodolibet qualitate retinere, ac ius tibi in illis vel ad illa competens, necnon lites et causas predictas in statu et terminis, in quibus tunc pendebant, prosequi, et ius non deductum deducere, necnon quibusvis regressibus et accessibus tibi concessis uti, et beneficia sub illis conprehensa consequi, et obtinere, necnon quascumque pensiones annuas tibi super quibusvis fructibus, redditibus et proventibus ecclesiasticis assignatas, ut prius percipere, exigere et levare libere et licite valeas, auctoritate et tenore predictis, de specialis dono gratie dispensamus, omnesque inhabilitatis, et infamie maculas sive notam per te eadem occasione contractas te penitus abulemus. Non obstantibus premissis ac quibusvis Apostolicis necnon in provincialibus sinodalibus Conciliis editis generabilus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ac ecclesiarum in quibus beneficia huiusmodi fuerint, iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus,

ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod penitentiam per confessorem idoneum, quem propterea duxeris eligendum tibi pro premissis iniungendam adimplere omnino tenearis. Datum Romae apud Sanctum Petrum, die 23 Maii 1550, Anno primo.

157a

Apostolatus officium

Reg. Lat. 1817 fol. 73r-74r die 4 iulii 1550

PROVISIO ECCLESIAE CUBENSIS

Per obitum episcopi Didaci Sarmiento Ecclesia Cubensis, quae ex privilegio apostolico de iurepatronatus regis Hispaniae et imperatoris Romani existit, pastoris solatio destituta est. Summus Pontifex Ferdinandum de Uranga, sacerdotem dioecesis Calaguritanae (*Calahorra*), ab imperatore praesentatum, novum episcopum Cubensem constituit eique administrationem ipsius Ecclesiae in spiritualibus et temporalibus committit. Provisio haec imperatori et archiepiscopo Ecclesiae Sancti Dominici, cuius suffraganea Ecclesia Cubensis est, communicatur. Simili modo clerus civitatis et dioecesis Cubensis, capitulus ecclesiae, populus et universi vasalli de provisione certiores fiunt. Episcopus electus vero a censuris et poenis ecclesiasticis, quibus forsan ligatus est, absolvitur, ne provisio impugnari possit, eique facultas conceditur, ut a quocumque maluerit catholico Antistite munus consecrationis suscipere valeat, assistentibus sibi duobus vel tribus episcopis, iuramento fidelitatis consueto ritu praestito ab episcopo electo.

Iulius III

Dilecto filio Ferdinando de Uranga [1] electo Cuben. salutem etc.

---

[1] Ferdinandus de Uranga natus est in Azcoitia (*Guipúzcoa*), Hispania, anno 1552 in Cuba advenit; mortuus est ibidem anno 1557. *Lopetegui-Zubillaga* 472.

Apostolatus officium meritis licet imparibus nobis ex alto commissum quo ecclesiarum omnium regimini divina dispositione presidemus utiliter exequi, coadiuvante Domino, cupientes solliciti corde reddimur et solertes ut cum de ecclesiarum ipsarum regiminibus agitur committendis tales eis in pastores preficere studeamus, qui populum sue cure creditum sciant non solum doctrina verbi, sed etiam exemplo boni operis informare commissasque sibi ecclesias in statu pacifico et tranquillo velint et valeant auctore Domino salubriter regere et feliciter gubernare. Sane ecclesia Cuben. in partibus Occidentalibus maris Occeani que de iurepatronatus carissimi in Christo filii nostri Caroli Romanorum Imperatoris semper Augusti, qui etiam Hispaniarum Rex existit ex privilegio apostolico cui non est hactenus in aliquo derogatum fore dinoscitur et cui bona memoria Didacus [2] episcopus Cuben. dum viveret presidebat per obitum eiusdem Didaci episcopi qui extra Romanam curiam debitum nature persolvit pastoris solatio destituta, nos vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta ad provisionem eiusdem ecclesie celerem et felicem, ne ecclesia ipsa longe vacationis exponatur incommodis paternis et sollicitis studiis intendentes post deliberationem quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te presbiterum Calagurritan. diocesis in theologia licentiatum, quem prefatus Carolus Imperator et Rex nobis ad hoc per suas litteras presentavit et cui apud nos de vite mundicia, honestate morum, spiritualium providentia et temporalium circumspectione, aliisque multiplicum virtutum donis fidedigna testimonia perhibentur direximus oculos nostre mentis quibus omnibus debita meditatione pensatis de persona tua nobis et eisdem fratribus ob tuorum exigentiam meritorum accepta prefate ecclesie de fratrum eorundem consilio auctoritate apostolica providemus teque illi in episcopum et pastorem preficimus curam et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo in illo qui dat gratias et largitur premia confidentes quod prefata ecclesia sub tuo felici regimine regetur utiliter et prospere dirigetur ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Iugum igitur Domini tuis impositum humeris prompta devotione suscipiens curam et administrationem predictas sic exercere studeas sollicite, fideliter et prudenter ad ecclesia ipsa gubernatori provido et fructuoso administratori

[2] Didacus Sarmiento, Cartusianus, anno 1535 episcopus Ecclesiae Cubensis ubi anno 1538 advenit; mortuus est in Hispania. *Lopetegui-Zubillaga* 281; de eo saepius in BM II.

gaudeat se commissam, tuque preter eterne retributionis premium nostram et Sedis apostolice benedictionem exinde uberius consequi merearis. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo quinquagesimo, quarto nonas iulii anno primo.

157b

Gratiae divinae praemium

Reg. Lat. 1817 fol. 74rv die 4 iulii 1550

Carissimo in Christo filio Carolo Romanorum Imperatori semper Augusto et carissime in Christo filie Iohanne Castelle et Legionis Regine illustri salutem etc. Gratie divine premium et humane laudis preconium acquiritur si per seculares principes personis ecclesiasticis presertim pontificali dignitate preditis opportuni favoris presidium et honor debitus impendatur. Hodie siquidem ecclesie Cuben. in partibus occidentalibus maris Occeani tunc per obitum bone memorie Didaci olim episcopi Cuben. extra Romanam curiam defuncti pastoris solatio destitute de persona dilecti filii Ferdinandi electi Cuben. nobis et fratribus nostris ob suorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorundem consilio apostolica auctoritate providimus ipsumque illi [in] episcopum prefecimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum itaque filii carissimi sit virtutum opus Dei ministros benigno favore prosequi ac eos verbis et operibus pro regis eterni gloria venerari serenitatem vestram cum tu fili Carole etiam Castelle et Legionis Rex existas rogamus et hortamur attente quatenus eundem Ferdinandum electum etiam ecclesiam prefatam sue cure commissam habentes pro nostra et Sedis apostolice Sedis reverentia propensius commendatos in ampliandis et conservandis iuribus suis sic eos benigni favoris auxilio prosequamini quod ipse Ferdinandus electus vestri favoris fultus presidio in commisso sibi dicte ecclesie regimine possit, Deo propitio, prospe-

rari ac vobis exinde a Deo perennis vite premium et a nobis condigna proveniat actio gratiarum. Datum ut supra.

157c

Ad cumulum tuae cedit salutis

Reg. Lat. 1817 fol. 74v-75r die 4 iulii 1550

Venerabili fratri archiepiscopo Sancti Dominici salutem etc. Ad cumulum tue cedit salutis et fame si personas ecclesiasticas presertim pontificali dignitate preditas divina propitiatione intuitu opportuni presidii et favoris gratia prosequaris. Hodie siquidem ecclesie Cuben. in partibus occidentalibus maris Occeani tunc per obitum bone memorie Didaci olim episcopi Cuben. extra Romanam curiam defuncti pastoris solatio destitute de persona dilecti filii Ferdinandi electi Cuben. nobis et fratribus nostris ob suorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorundem consilio apostolica auctoritate providimus ipsumque illi in episcopum prefecimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum igitur ut idem Ferdinandus electus in commissa sibi dicte ecclesie cura facilius proficere valeat tuus favor sibi fore noscatur plurimum opportunus fraternitatem tuam rogamus et hortamur attente tibi per apostolica scripta mandantes quatinus eundem Ferdinandum electum et prefatam ecclesiam suffraganeam tuam habens pro nostra et Sedis apostolice reverentia propensius commendatos in ampliandis et conservandis iuribus suis sic eos tui favoris presidio prosequaris quod idem Ferdinandus electus per tue auxilium gratie se possit in commisso sibi dicte ecclesie regimine utilius exercere, tuque divinam misericordiam ac nostram et dicte Sedis benedictionem et gratiam valeas exinde uberius promereri. Datum ut supra.

157d

Hodie Ecclesiae Cuben.

Reg. Lat. 1817 fol. 75rv die 4 iulii 1550

Dilectis filiis clero civitatis et diocesis Cuben. salutem etc. Hodie ecclesie Cuben. in partibus occidentalibus maris Occeani tunc per obitum bone memorie Didaci olim episcopi Cuben. extra Romanam curiam defuncti pastoris solatio destitute de persona dilecti filii Ferdinandi electi Cuben. nobis et fratribus nostris ob suorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorundem consilio apostolica auctoritate providimus ipsumque illi in episcopum prefecimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Quocirca etc. mandamus quatinus eidem Ferdinando electo tanquam patri et pastori animarum vestrarum humiliter intendentes ac exhibentes sibi obedientiam et reverentiam debitas et devotas eius salubria monita et mandata suscipiatis humiliter et efficaciter adimplere curetis, alioquin sententiam quam idem Ferdinandus electus rite tulerit in rebelles ratam habebimus et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum ut supra.

157e

Hodie Ecclesiae vestrae

Reg. Lat. 1817 fol. 75v-76r die 4 iulii 1550

Dilectis filiis capitulo ecclesie Cuben. salutem etc. Hodie ecclesie vestre Cuben. in partibus occidentalibus maris Occeani tunc per obitum bone memorie Didaci olim episcopi Cuben. extra Romanam curiam defuncti pastoris solatio destitute de persona dilecti filii Ferdinandi electi Cuben. nobis et fratribus nostris ob suorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorundem consilio apostolica auctoritate providimus ipsumque illi in episcopum prefecimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Quocirca etc. mandamus quatinus eidem Ferdinando electo tamquam patri et pastori animarum vestrarum humiliter intendentes ac exhibentes sibi obedientiam et reverentiam debitas et devotas eius salubria monita et mandata suscipiatis humiliter et efficaciter adimplere curetis, alioquin sententiam quam idem Ferdinandus electus rite tulerit in rebelles ratam habebimus et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum ut supra.

157f

Hodie Ecclesiae Cuben.

Reg. Lat. 1817 fol. 76rv — die 4 iulii 1550

Dilectis filiis populo civitatis et diocesis Cuben. salutem etc. Hodie ecclesie Cuben. in partibus occidentalibus maris Oceani tunc per obitum bone memorie Didaci olim episcopi Cuben. extra Romanam curiam defuncti pastoris solatio destitute de persona dilecti filii Ferdinandi electi Cuben. nobis et fratribus nostris ob suorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorundem consilio apostolica auctoritate providimus ipsumque illi in episcopum prefecimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Quocirca etc. mandamus quatinus eundem

Ferdinandum electum tamquam patrem et pastorem animarum vestrarum devote suscipientes et debita honorificentia prosequentes eius monitis et mandatis salubribus humiliter intendatis ita quod dictus Ferdinandus electus in vobis devotionis filios et vos in eo per consequens patrem benivolum invenisse gaudeatis. Datum ut supra.

157g

Hodie Ecclesiae Cuben.

Reg. Lat. 1817 fol. 76v-77r die 4 iulii 1550

Universis vassallis ecclesie Cuben. salutem etc. Hodie ecclesie Cuben. in partibus occidentalibus maris Occeani tunc per obitum bone memorie Didaci olim episcopi Cuben. extra Romanam curiam defuncti pastoris solatio destitute de persona dilecti filii Ferdinandi electi Cuben. nobis et fratribus nostris ob suorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorundem consilio apostolica auctoritate providimus ipsumque illi in episcopum prefecimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Quocirca etc. mandamus quatinus eundem Ferdinandum electum tamquam patrem et pastorem animarum vestrarum devote suscipientes et debita honorificentia prosequentes ei fidelitatem solitam nec non consueta servitia et iura sibi a vobis debita integre exhibentes studeatis alioquin sententiam sive penam quam dictus Ferdinandus electus rite tulerit seu statuerit in rebelles ratam habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum ut supra.

157h

Apostolicae Sedis consueta clementia

Reg. Lat. 1817 fol. 77v die 4 iulii 1550

Dilecto filio Ferdinando de Uranga presbitero Calagurritan. diocesis in theologia licentiato salutem etc. Apostolice Sedis consueta clementia ne dispositiones per eam de cathedralibus ecclesiis pro tempore facte valeant quomodolibet impugnari sed persone ad eas promovende illis puro corde et sincera conscientia presidere valeant remedia prout convenit adhibet opportuna. Cum itaque nos hodie ecclesie Cuben. in partibus occidentalibus maris Occeani ad presens certo modo pastoris solatio destitute de persona tua nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorundem consilio apostolica auctoritate providere teque illi in episcopum et pastorem preficere intendamus nos ne si forsan aliquibus sententiis, censuris et penis ecclesiasticis ligatus sis provisio et prefectio prefate possint propterea quomodolibet impugnari providere volentes teque a quibusvis excommunicationis etc. nunciamus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac dicte ecclesie iuramento etc. roboratis statutis et consuetudinibus ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo etc. nostre absolutionis et nuntiationis etc. Siquis etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo quinquagesimo, quarto nonas iulii anno primo.

157i

Cum nos pridem

Reg. Lat. 1817 fol. 78rv die 5 iulii 1550

Dilecto filio Ferdinando electo Cuben. salutem etc. Cum nos pridem ecclesie Cuben. in partibus occidentalibus maris Occeani tunc certo modo pastoris solatio destitute de persona tua nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorundem consilio Apostolica auctoritate duxerimus providendum preficiendo te illi in episcopum et pastorem prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur, nos ad ea que ad tue commoditatis augmentum cedere valeant favorabiliter intendentes tuis in hac parte supplicationibus inclinati tibi presbitero ut a quocumque malueris catholico antistite gratiam et communionem Sedis apostolice habente accitis et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus catholicis episcopis similes gratiam et communionem habentibus munus consecrationis recipere valeas ac eidem antistiti ut recepto prius per eum a te nostro et Romane ecclesie nomine fidelitatis debite solito iuramento iuxta formam presentibus annotatam munus predictum auctoritate nostra impendere libere tibi possit plenam et liberam eorundem tenore presentium concedimus facultatem. Volumus autem et eadem auctoritate apostolica statuimus et decernimus quod si non recepto a te per ipsum antistitem prefato iuramento idem antistes munus ipsum tibi impendere et tu illud suscipere presumpseritis dictus antistes a pontificalis officii exercitio et tam ipse quam tu ab administratione tam spiritualium quam temporalium ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso. Propterea etiam volumus quod formam huiusmodi a te tunc prestiti iuramenti nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo munitas per proprium nuntium quantocius destinare procures quodque per hoc venerabili fratri nostro archiepiscopo Sancti Dominici cui ecclesia ipsa Cuben. metropolitico iure subesse dinoscitur nullum in posterum preiudicium generetur. Forma autem iuramenti talis est: Ego Ferdinandus electus Cuben. etc. evangelia. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo quinquagesimo, tertio nonas iulii anno primo.

158

Exponi nobis nuper

Arm. XLI 57 fol. 56r — die 8 iulii 1550

TRANSLATIO ECCLESIAE CATHEDRALIS CONFIRMATUR

Imperator Summum Pontificem certiorem fecit, episcopum de *Mechoacan* ecclesiam cathedralem, sub invocatione sancti Francisci erectam, ob loci et situs indispositionem ante plus quam decem annos ad alium locum aptiorem, cum consensu ipsius imperatoris, transtulisse. Sed cum in illo loco alia ecclesia sub invocatione eiusdem nominis sancti Francisci existebat, ecclesiam cathedralem sub invocatione sancti Salvatoris mutavit. Precibus imperatoris Summus Pontifex translationem ecclesiae cathedralis ad locum *Pazcuaro* et mutationem invocationis approbat et confirmat.

Iulius III

Ad futuram rei memorian. Exponi nobis nuper fecit charissimus in Christo filius noster Carolus Romanorum Imperator semper Augustus, qui etiam Hispaniarum Rex catholicus existit, quod alias venerabilis frater noster Vascus de Quiroga [1], episcopus Mechuacan ob loci ac situs indispositionem ecclesiam cathedralem civitatis Mechuacan, que in partibus Indiarum maris Oceani nove Hispaniae consistit, et ab eius primeva erectione sub invocatione Sancti Francisci, et in alio loco eiusdem civitatis auctoritate Apostolica erecta fuerat, interveniente ad id eiusdem Caroli Imperatoris ac Regis auctoritate et consensu, ecclesiam ipsam, cum a decem annis et ultra ad alium locum seu vicum eiusdem civitatis aptiorem et commodiorem Pazcuaro nuncupatum, sua ordinaria auctoritate transtulit, et cum in eadem civitate due domus sub invocatione Sancti Francisci consistant, ne cum eisdem domibus ratione similis invocationis confundaretur, sub invocatione Sancti Salvatoris mutavit. Quare dictus Carolus Imperator et Rex nobis humiliter supplicavit ut premissis pro illorum subsistentia firmiori robur nostre confirmationis adiicere dignaremur. Nos huiusmodi supplicationibus inclinati translationem ecclesie cathedralis ad locum seu vicum de Pazcuaro, et mutationem invocationis sub Sancti Salvatoris huiusmodi ut premittitur factas eadem auctoritate Apostolica tenore presentium approbamus et confirmamus supplemusque omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem decernentes illa perpetue et inconcusse firmitatis robur obtinere, et ab omnibus inviolabiliter observari debere. Non

[1] De Vasco de Quiroga cfr. supra doc. 73.

obstantibus premissis, ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ac omnibus illis, que in litteris erectionis eiusdem ecclesie expressum est non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die VIII Iulii 1550, Anno Primo.

159

Exponi nobis nuper

Arm. XLI 57 fol. 57r — die 8 iulii 1550

ERROR IN LITTERIS APOSTOLICIS CORRIGITUR

In litteris apostolicis nominationis suae episcopus de *Mechoacan*, Vasco de Quiroga, ob inadvertentiam et negligentiam, licentiatus in sacra theologia dicebatur, cum esset licentiatus in iure canonico. Dubia exinde circa validitatem litterarum oriri posse metuens, episcopus supplicavit Summum Pontificem, ut errorem corrigeret. Summus Pontifex declarat, litteras nominationis et in eis contenta plenam roboris firmitatem obtinere ac si in eis episcopus licentiatus in iure canonico designatus fuisset.

Iulius III

Venerabili fratri Vasco de Quiroga, episcopo Mechuacan.

Venerabilis frater salutem etc. Exponi nobis nuper fecisti quod, cum in litteris Apostolicis provisionis ac prefectionis de persona tua ecclesie Mechuacan ab eius primeva erectione pastoris solatio tunc destitute, quod tu in theologia licentiatus existebas, quod ob inadvertentiam et negligentiam negocium huiusmodi sollicitantis factum existit, expressum fuit prout in illis plenius continetur quamvis in rei veritate non in theologia sed in iure canonico licentiatus sis, et propterea dubites litteras ipsas de surreptionis aut obreptionis vicio notari teque desuper molestari posse tempore procedente, supplicari fecisti nobis humiliter ut tibi super hiis opportune providere de benignitate Apo-

stolica dignaremur. Nos litterarum earundem veriores tenores presentibus pro expressis habentes, et ne illarum frustrari valeas effectu providere volentes huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi, quod prefate littere et in eis contenta ac inde secuta, quecumque ab illarum dicta valeant plenamque roboris firmitatem obtineant, et tibi suffragentur in omnibus et per omnia perinde ac si in eis, quod tu non in theologia, sed in iure canonico licentiatus existebas, expressum fuisset auctoritate Apostolica tenore presentium indulgemus. Non obstantibus premissis et constitutionibus ac ordinationibus Apostolicis, ac omnibus illis que in predictis litteris expressum est non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die 8 Iulii 1550, Anno primo.

160a

Apostolatus officium

Reg. Lat. 1803 fol. 297v-299r — die 19 ianuarii 1551
Bull. Praed. V 37 (ex parte)
BM II 1181

PROVISIO ECCLESIAE CIVITATIS REGALIS (*CHIAPAS*)

Post abdicationem muneris episcopi Bartholomaei de Las Casas, Thomas de Casellas Ordinis Praedicatorum, ab imperatore vi iurispatronatus sui praesentatus, Ecclesiae Civitatis Regalis praeficitur et cura atque administratio eiusdem Ecclesiae in spiritualibus et temporalibus ei committitur.

Provisio haec capitulo Ecclesiae Civitatis Regalis, clero, populo et universis vasallis civitatis et dioecesis quoque nuntiatur. Archiepiscopo Mexicanensi, cuius suffraganea Ecclesia Civitatis Regalis est, electio Thomae communicatur. Simili modo imperator Romanorum et regina de provisione certiores fiunt, quos Summus Pontifex hortatur, ut Thomam electum episcopum et ecclesiam praedictam suae curae commissam habeant.

Electo episcopo vero facultas conceditur, ut a quocumque maluerit catholico Antistite munus consecrationis suscipere possit, assistentibus sibi duobus vel tribus episcopis, solito iuramento fidelitatis praestito. Si non recepto iuramento ab episcopo electo per ipsum Antistitem, munus impenditur et Thomas illud suscipit, ambo ipso facto suspensi erunt a pontificalis officii

exercitio et ab administratione Ecclesiarum suarum. Tandem episcopus electus absolvitur a sententiis et censuris ecclesiasticis quibus forsan ligatus existit, ne provisio et praefectio impugnari possint.

Iulius III

Dilecto filio Thome de Casellas [1] electus Civitatis Regalis salutem etc. Apostolatus officium meritis licet imparibus nobis ex alto commissum quo ecclesiarum omnium regimini divina dispositione presidemus utiliter exequi, coadiuvante Domino, cupientes solliciti corde reddimur et solertes ut cum de ecclesiarum regiminibus agitur committendis tales eis in pastores preficere studeamus qui populum sue cure creditum sciant non solum doctrina verbi sed etiam exemplo boni operis informare commissasque sibi ecclesias in statu prospero et tranquillo velint et valeant, auctore Domino, salubriter regere et feliciter gubernare. Sane ecclesia Civitatis Regalis in partibus occidentalibus maris Oceani in insulis de Chiapa nuncupatis que de iurepatronatus carissimi in Christo filii Caroli Romanorum Imperatoris semper Augusti qui etiam Ispaniarum Rex existit ex privilegio Apostolico cui non est hactenus derogatum fore dinoscitur ex eo quod venerabilis frater noster Bartholomeus episcopus nuper Civitatis Regalis regimini et administrationi dicte ecclesie cui tunc preerat, hodie in manibus nostris sponte et libere cesserit nosque cessionem ipsam duximus committendam, pastoris solatio destituta nos ad provisionem eiusdem ecclesie celerem et felicem ne illa longe vacationis exponatur incommodis paternis et sollicitis studiis intendentes post deliberationem quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem demum ad te ordinis fratrum predicatorum professorem in presbiteratus ordine constitutum quem predictus Carolus Imperator et Rex ad ipsam ecclesiam, ut prefertur, vacantem nobis per suas litteras presentavit et cui apud nos de litterarum scientia, vite mundicia, honestate morum, spiritualium providentia et temporalium circumspectione, aliisque multiplicum virtutum donis fidedigna testimonia perhibentur direximus oculos nostre

[1] Thomas de Casellas anno 1544 episcopum Bartholomaeum de Las Casas redeuntem in suam dioecesim comitatus est, qui eum vicarium suum nominavit; mortuus est anno 1567. BM II 137.

mentis, quibus omnibus debita meditatione pensatis de persona tua nobis et eisdem fratribus ob tuorum exigentiam meritorum accepta predicte ecclesie de fratrum eorumdem consilio auctoritate Apostolica providemus teque illi in episcopum et pastorem preficimus curam et administrationem eiusdem ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo firma spe fiduciaque conceptis quod dirigente Domino actus suos predicte ecclesie sub tuo felici regimine regetur utiliter et prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa; iugum igitur Domini tuis impositum humeris prompta devotione suscipiens curam et administrationem predictas sic exercere studeas sollicite, fideliter et prudenter quod ecclesia ipsa gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam tuque preter eterne retributionis premium nostram et Apostolice Sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo quinquagesimo, quarto decimo kalendas februarii anno primo.

160b

Hodie Ecclesiae vestrae

Reg. Lat. 1803 fol. 299rv — die 19 ianuarii 1551

Dilectis filiis capitulo ecclesie Civitatis Regalis salutem etc. Hodie ecclesie vestre Civitatis Regalis in partibus occidentalibus maris Oceani in insulis de Chiapa nuncupatis ex eo quod venerabilis frater noster Bartholomeus episcopus nuper Civitatis Regalis regimini et administrationi ipsius ecclesie cui tunc preerat etiam hodie in manibus nostris sponte et libere cessit, nosque cessionem ipsam duximus admittendam, pastoris solatio destitute de persona dilecti filii Thome electi Civitatis Regalis nobis et fratribus nostris ob suorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorundem consilio Apostolica auctoritate providimus ipsumque illi in episcopum prefecimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo prout in nostris inde confectis litteris plenius

continetur. Quocirca etc. mandamus quatinus eundem Thomam electum tamquam patrem et pastorem animarum vestrarum grato admittentes honore ac exhibentes sibi obedientiam et reverentiam debitas ac devotas eius salubria monita et mandata suscipiatis humiliter et efficaciter adimplere curetis. Alioquin sententiam quam idem Thomas electus rite tulerit in rebelles ratam habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum ut supra.

160c

Hodie Ecclesiae Civitatis Regalis

Reg. Lat. 1803 fol. 299v die 19 ianuarii 1551

Dilectis filiis clero civitatis et diocesis Civitatis Regalis salutem etc. Hodie ecclesie Civitatis Regalis etc. continetur. Quocirca etc. mandamus quatinus eidem Thome electo tamquam patri et pastori animarum vestrarum humiliter intendentes ac exhibentes sibi obedientiam et reverentiam debitas et devotas eius salubria monita et mandata suscipiatis humiliter et efficaciter adimplere curetis. Alioquin sententiam etc. observari. Datum ut supra.

160d

Hodie Ecclesiae Civitatis Regalis

Reg. Lat. 1803 fol. 299v-300r die 19 ianuarii 1551

Dilectis filiis populo civitatis et diocesis Civitatis Regalis salutem etc. Hodie ecclesie Civitatis Regalis etc. continetur. Quocirca universitatem vestram rogamus et hortamur attente vobis etc. mandantes quatinus eundem Thomam electum tamquam patrem et pastorem animarum vestrarum grato admittentes honore ac exhibentes sibi obedientiam et reverentiam debitas et devotas eius salubribus monitis et mandatis humiliter intendatis, ita quod ipse Thomas electus in vobis devotionis filios et vos in eo per consequens patrem benivolum invenisse gaudeatis. Datum ut supra.

160e

Hodie Ecclesiae Civitatis Regalis

Reg. Lat. 1803 fol. 300r — die 19 ianuarii 1551

Dilectis filiis universis vassallis ecclesie Civitatis Regalis salutem etc. Hodie ecclesie Civitatis Regalis etc. continetur. Quocirca etc. mandantes quatinus eundem Thomam electum tamquam patrem et pastorem animarum vestrarum devote suscipientes et debita honorificentia prosequentes ei fidelitatem solitam necnon consueta servitia et iura sibi a vobis debita exhibere integre studeatis. Alioquin sententiam etc. observari. Datum ut supra.

160f

Ad cumulum tuae cedit salutis

Reg. Lat. 1803 fol. 300rv — die 19 ianuarii 1551

Venerabili fratri archiepiscopo Mexicanen. salutem etc. Ad cumulum tue cedit salutis et fame si personas ecclesiasticas etc. prosequaris. Hodie siquidem ecclesie Civitatis Regalis etc. continetur. Cum igitur ut idem Thomas electus in commissa sibi dicte ecclesie cura facilius proficere valeat tuus favor sibi fore noscatur plurimum opportunus fraternitatem tuam rogamus et hortamur attente per Apostolica scripta tibi mandantes quatinus predictum Thomam electum et commissam sibi ecclesiam suffraganeam tuam habens pro nostra et Apostolice Sedis reverentia propensius commendatos in ampliandis et conservandis iuribus suis sic eos tui favoris presidio prosequaris quod ipse Thomas electus per tue auxilium gratie in commisso sibi predicte ecclesie regimine se possit utilius exercere tuque divinam misericordiam ac nostram et dicte Sedis benedictionem et gratiam valeas exinde uberius promereri. Datum ut supra.

160g

Gratiae divinae praemium

Reg. Lat. 1803 fol. 300v-301r — die 19 ianuarii 1551

Charissimo in Christo filio Romanorum Imperatori semper Augusto et charissime in Christo filie Iohanne Castelle et Legionis Regine illustri salutem etc. Gratie divine premium et humane laudis preconium acquiritur etc. impendatur. Hodie siquidem ecclesie Civitatis Regalis etc. continetur. Cum igitur filii carissimi sit virtutis opus Dei ministros benigni favoris prosequi ac eis verbis et operibus pro regis eterni gloria venerari, serenitatem vestram cum tu fili carissime Carole Imperator etiam Castelle et Legionis Rex existas rogamus et hortamur attente quatinus eundem Thomam electum et ecclesiam predictam sue cure commissam habens pro nostra et Apostolice Sedis reverentia propensius commendatos in ampliandis et conservandis iuribus suis sic ipsos benigni favoris auxilio prosequamini quod idem Thomas electus tue favoris fultus presidio in commisso sibi cure pastoralis of-

ficio possit, Deo propitio, prosperari ac vobis exinde a Deo perennis vite premium et a nobis condigna proveniat actio gratiarum. Datum ut supra.

160h

Apostolicae Sedis consueta clementia

Reg. Lat. 1803 fol. 301rv die 19 ianuarii 1551

Dilecto filio Thome de Casellas ordinis fratrum predicatorum professori salutem etc. Apostolice Sedis consueta clementia ne dispositiones per eam de cathedralibus etc. opportuna. Cum itaque nos hodie ecclesie Civitatis Regalis in partibus Occidentalibus maris Oceani in insulis de Chiapa nuncupatis ad presens certo modo pastoris solatio destitute de persona tua nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorundem consilio Apostolica auctoritate providere teque illi in episcopum et pastorem preficere intendamus nos ne si aliquibus sententiis et censuris ecclesiasticis ligatus sis provisio et prefectio predicte possint propterea quomodolibet impugnari providere volentes teque a quibusvis excommunicationis etc. existis ad hoc dumtaxat ut provisio et prefectio predicte ac singule littere Apostolice desuper conficiende suum sortiantur effectum auctoritate Apostolica tenore presentium absolvimus et absolutum fore nunciamus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ac ecclesie predicte iuramento etc. quibuscumque. Nulli etc. nostre absolutionis et nunciationis etc. Siquis etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo quinquagesimo, quarto decimo kalendas februarii anno primo.

160i

Cum nos pridem

Reg. Lat. 1803 fol. 301v-302v — die 20 ianuarii 1551

Dilecto filio Thome electo Civitatis Regalis salutem etc. Cum nos pridem ecclesie Civitatis Regalis maris Oceani in insulis de Chiapa nuncupatis tunc certo modo pastoris solatio destitute de persona tua nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorundem consilio Apostolica auctoritate providerimus teque illi in episcopum prefecimus et pastorem curam et administrationem dicte ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur, nos ad ea que ad tue commoditatis augmentum cedere valeant favorabiliter annuentes tuis in hac parte supplicationibus inclinati tibi in presbiteratus ordine constituto ut a quocumque malueris catholico antistite gratiam et communionem Apostolice Sedis habente accitis et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus catholicis episcopis similes gratiam et communionem habentibus munus consecrationis recipere valeas ac eidem antistiti ut recepto prius per eum a te nostre et Romane Ecclesie nomine fidelitatis debite solito iuramento iuxta formam presentibus annotatam munus predictum auctoritate nostra impendere libere et licite tibi possit plenam et liberam earundem tenore presentium concedimus facultatem. Volumus autem quod si non recepto a te per ipsum antistitem predicto iuramento dictus antistes munus ipsum tibi impendere et tu illud suscipere presumpseritis dictus antistes a pontificalis officii exercitio et tam ipse quam tu ab administratione tam spiritualium quam temporalium ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso. Preterea volumus quod formam huiusmodi a te tunc prestiti iuramenti nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo munitas per proprium nuncium quantocitius destinare procures quodque per hoc venerabili fratri nostro archiepiscopo Mexicanen. cui ecclesia ipsa metropolitico iure subesse dinoscitur nullum in posterum preiudicium

generetur. Forma autem iuramenti quod prestabis hec est: Ego Thomas etc. evangelia. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo quinquagesimo, tertio decimo kalendas februarii anno primo.

161

Super specula

Reg. Lat. 1802 fol. 307r-310r
Bull. Patr. I 177-179
BM II 1207

die 25 februarii 1551

DIOECESIS S. SALVATORIS SEU *BAHIA* IN BRASILIA ERIGITUR ET EPISCOPUS NOMINATUR

Postquam in regione Brasiliae, a regibus lusitanis conquistata, plures parochiales ecclesiae et alia loca sacra in quibus missa celebratur erecta et praedicatores ac religiosi ad verbum Dei annuntiandum missi sunt, ecclesia Sancti Salvatoris in oppido Civitatensi praefecturae *Baya* in ecclesiam cathedralem erigitur. Tota regio Brasiliae, quae usque tunc pars archidioecesis Funchalensis erat, novae dioecesi attribuitur, quae suffraganea Ecclesiae Metropolitanae Ulixbonensi (*Lisboa*) constituitur. Incolae et habitatores civium nomine decorantur. Iuspatronatus praesentandi personam idoneam ad Ecclesiam Sancti Salvatoris a Summo Pontifice in episcopum praeficiendum regi, ius vero praesentandi personas ad dignitates canonicatus, praebendas et alia beneficia erigenda Magistro seu administratori Militiae Christi conceditur. Petrus Ferdinandus (Fernandez) primus episcopus nominatur.

Iulius III

Ad perpetuam rei memoriam. Super specula militantis ecclesie meritis licet imparibus divina dispositione locati ad universas orbis

provincias et loca presertim omnipotentis Dei misericordia per catholicos reges et principes ab infidelibus et barbaris nationibus recuperata et acquisita aciem nostre meditationis passim reflectimus et ut locis ipsis dignioribus titulis decoratis plantetur radicitus christiana religio et eorum incole ac habitatores venerabilium presulum doctrina et auctoritate suffulti proficiant semper in fide et quod in temporalibus sunt adepti non careant in spiritualibus incremento, opem et operam libenter impendimus efficaces. Sane cum charissimus in Christo filius noster Ioannes Portugallie et Algarbiorum Rex illustris Dei benignitate suaque et maiorum suorum virtute christiane religionis fines peramplius propagari volens regionem de Brasil a barbaris et gentilibus ac aliis feris nationibus incultam dudum a clare memorie Emanuele olim Portugallie et Algarbiorum Rege eius genitore debellari ceptam, tamen post varios sudores et impensas propterea passos ditioni sue subiegerit eamque ob illius magnitudinem et incolarum numerum in diversas prefecturas unicuique illarum quinquaginta leucas iuxta morem illarum partium prope mare in longitudinem, in latitudinem vero tot quot acquirerentur assignans diviserit ac inibi plures etiam parrocchiales ecclesias et pleraque alia loca sacra in quibus misse et alia divina officia celebrantur edificari variosque predicatores et religiosos ad verbum Dei inibi seminandum et incolas predictos ad veritatis lumen reducendum transmitti curaverit, ac in una ex prefecturis ipsis de Baya [1] omnium sanctorum nuncupata unum oppidum Civitaten. nuncupatum Sancti Salvatoris in formam arcis ad christifidelium in eadem regione degentium tutelam et receptum idoneum plantaverit et oppidum ipsum in quo una sub invocatione eiusdem Sancti Salvatoris ecclesia, ceteris inibi erigentibus ecclesiis maior in qua misse et alia divina officia celebrantur ac ecclesiastica sacramenta administrantur consistit adeo fertilitate agri et aeris benignitate nobili ac populi frequentia et commertio notabile fore noscatur, quod merito civitatis nomine et titulo decorari possit et debeat, idque predictus Ioannes Rex necnon in dicta regione sue temporali ditioni, ut prefertur, subiecta illius gloriosissimi nominis cultum cuius est orbis terrarum et plenitudo eius ac universi qui habitant in eo ampliari pio affectu desideret, nos attendentes reipubblice christiane plurimum expedire in regione ipsa aliquem catholicum antistitem pro episcopalibus muneribus administrandis et ad Christi fidem venientes confirmandis existere, habita super his cum venerabilibus fratribus nostris Sanctae Romane Ecclesie cardinalibus deliberatione matura, de illorum consilio et po-

[1] *Bahia.*

testatis plenitudine ipso Ioanne Rege nobis super hoc per suas litteras humiliter supplicante oppidum predictum quod venerabili fratri nostro archiepiscopo Funchalen. in insula de Madeyra metropolitico iure subesse dinoscitur et ab eadem insula plurimum distat ac cuius dilecti filii incole cum eiusdem insule habitatoribus modicum, cum dilectis filiis comunitate civitatis Ulixbonen. vero plurimum comertium habeant, cum omnibus et singulis illius terminis, territoriis, castris, villis et locis necnon clero, populo et personis ac ecclesiis, monasteriis et aliis piis locis ac beneficiis ecclesiasticis cum cura et sine cura secularibus et quorumvis ordinum regularibus infra limites inferius assignandos consistentibus a diocesi Funchalen. auctoritate apostolica tenore presentium perpetuo separamus et dismembramus, ac ab omni iurisdictione, superioritate, correctione, dominio, visitatione et potestate pro tempore existentis archiepiscopi et dilectorum filiorum capituli Funchalen. eorumque vicariorum et officialium quoad ea que legis metropolitane existunt et ad ius metropoliticum pertinent tantum, necnon a quorumcumque decimarum et aliorum iurium eisdem archiepiscopo et capitulo per clerum et alios predictos ratione legis metropolitane dumtaxat debitorum solvunt, ita quod archiepiscopus seu vicarii vel officiales predicti in oppidum, terminos, territorium, castra, villas et loca necnon clerum, populum, personas, monasteria, ecclesias, beneficia et pia loca huiusmodi iurisdictionem aut superioritatem exercere aut in illis de his que ad eos ratione legis metropolitane huiusmodi pertinent se intromittere nullatenus possint auctoritate et tenore prefatis penitus eximimus ac totaliter liberamus, ac oppidum in civitatem et ecclesiam Sancti Salvatoris predictam in cathedralem ecclesiam sub eadem invocatione pro uno episcopo Sancti Salvatoris nuncupando qui eidem ecclesie presit et illius edificia ampliet et ad formam cathedralis ecclesie redigat et in tot quot sibi videbitur dignitates ac canonicatus et prebendas aliaque beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura, que dicte ecclesie Sancti Salvatoris pro Dei servitio et Dei cultu videbuntur convenire de dicti Ioannis Regis consilio erigat et instituat, ac in civitate et diocesi prefatis et donec alie cathedrales ecclesie inibi constructe fuerint in tota ipsa regione ac terris et insulis illi adiacentibus spiritualia prout pro divini cultus augmento et animarum salute expedire cognoverit, conferat et seminet ac infideles ad orthodoxe fidei cultum convertet et conversos in eadem fide instruat et confirmet, necnon episcopalem iurisdictionem, auctoritatem et potestatem exercere ac omnia et singula alia que alii episcopi etiam regni et dominiorum Portugallie in suis ecclesiis, civitatibus et diocesi seu alias facere possunt facere libere et licite possit et debeat et non Funchalen. predicto prout antea oppidum ipsum suberat, sed Ulixbo-

nen. archiepiscopo pro tempore existenti iure metropolitico subsit, ac in ea sic erecta ecclesia episcopalem dignitatem cum sede, preeminentiis, honoribus, privilegiis et facultatibus, quibus alie cathedrales ecclesie huiusmodi de iure vel consuetudine aut alias utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, necnon episcopali et capitulari mensis ac aliis cathedralibus insigniis ad omnipotentis Dei laudem et ipsius Sancti Salvatoris honorem, totiusque triumphantis ecclesie gloriam et fidei catholice exaltationem de simili consilio apostolica auctoritate prefata erigimus et instituimus, ac oppidum civitatis et ecclesiam Sancti Salvatoris cathedralis necnon incolas et habitatores huiusmodi civium nomine et honore decoramus, ac eidem sic erecte ecclesie oppidum Sancti Salvatoris pro civitate et terminos ac territorium, castra, villas et loca infra quinquaginta in longitudinem secundum mare, in latitudinem vero viginti leucas similes iuxta oppidum ipsum consistente pro diocesi necnon ecclesias pro clero ac seculares personas in oppido, terminis, territorio ac castris, villis et locis predictis habitantes pro populo concedimus et assignamus, ac civitatem, diocesim, clerum et populum huiusmodi episcopo Sancti Salvatoris quoad episcopalem et archiepiscopo Ulixbonen. pro tempore existentibus quoad metropolitanam ordinariam iurisdictionem et superioritatem etiam perpetuo subiicimus, necnon episcopali pro illius quingentos ducatos cruciatos nuncupatos ac capitulari mensis predictis pro eius et dignitatum aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum, ut prefertur, erigendorum et instituendorum dotibus eam pecuniarum summam quam pro illa obtinentium substentatione necessariam esse eidem episcopo de simili eiusdem Iohannis Regis qui militie Iesu Christi Cistercien. ordinis perpetuus administrator in spiritualibus et temporalibus per sedem eandem deputatus existit et pro tempore existentis ipsius militie magistri seu administratoris consilio visum fuerit, ex decimis et iuribus ad ipsum Ioannem Regem tamquam eiusdem militie administratorem spectantibus in dicta regione consistentibus vel si aliqui fructus ex ipsa regione non colligantur ex bonis ad predictum Ioannem et pro tempore existentem Portugallie et Algarbiorum Regem aliunde spectantibus per eum quoad quingentos ducatos quo vero ad summam huiusmodi per eum pro tempore existentem dicte militie magistrum seu administratorem respective annis singulis in dicta civitate episcopo Sancti Salvatoris ac dignitates, canonicatus et prebendas, ac alia beneficia in ecclesia Sancti Salvatoris huiusmodi pro tempore obtinentes persolvendis, de simili fratrum consilio dicta apostolica auctoritate etiam perpetuo applicamus et appropriamus, ita quod liceat eidem episcopo Sancti Salvatoris ac singulis dignitates, canonicatus et prebendas ac alia benefi-

cia in ecclesia Sancti Salvatoris huiusmodi pro tempore erecta et instituta assignantibus per se vel alium seu alios quingentos ducatos et summam huiusmodi propria auctoritate libere percipere ac in suos usus et utilitatem convertere; necnon iuspatronatus et presentandi nobis et pro tempore existenti romano pontifici personam idoneam ad dictam ecclesiam Sancti Salvatoris quoties illam etiam hac prima vice pro tempore quovis modo etiam apud Sedem predictam vacare contigerit per nos et romanum pontificem predictum eidem ecclesie Sancti Salvatoris in episcopum preficiendum Ioanni Regi et pro tempore existenti Regi predicto, ad dignitates vero canonicatus et prebendas ac alia beneficia erigenda predicta quoties illa etiam ut prefertur vacari contigerit personas idoneas per eundem episcopum ad presentationem huiusmodi instituendas pro tempore existenti magistro seu administratori militie huiusmodi de consilio et auctoritate premissis reservamus et concedimus ac ius patronatus et presentandi huiusmodi illius omnino roboris essentie et efficacie, cuius ius patronatus regum ex veris ac totalibus fundatione et dotatione sequitur ac regi et magistro seu administratori predictis ita competere ac si illud eis ratione vere et totalis donationis competeret, illique etiam per sedem eandem derogari non posse nec derogatum censeri nisi Ioannis Regis ac magistri seu administratoris pro tempore existentium predictorum ad id expressus accedat assensus et hic per quoscumque quavis auctoritate fungentes iudices et personas sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate iudicari, interpretari ac diffiniri debere, irritum quoque et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus. Et insuper dilecto filio Petro Ferdinandez [2] clerico Elboren. diocesis, baccalario in theologia de cuius persona nobis et eisdem fratribus nostris ob suorum exigentiam meritorum accepta eidem ecclesie Sancti Salvatoris ab eius primeva erectione huiusmodi vacanti providere intendimus et pro tempore existenti episcopo Sancti Salvatoris quecumque statuta et ordinationes tam circa modum erigendi dignitates, canonicatus et prebendas ac alia beneficia huiusmodi et illa pro tempore obtinentium vivendi formam, ritum et normam quam divinorum officiorum in ecclesia ac illius civitate et diocesi predictis celebrationem et decantationem de simili Ioannis Regis consilio condendi illaque postquam condita fuerint alterandi et mutandi que postquam condita, alterata et mutata fuerint, eo ipso dicta auctoritate apostolica confirmata sint et esse censeantur, auctoritate apostolica et tenore premissis

[2] Petrus Fernandes; mortuus est die 16 iulii 1556.

facultatem concedimus. Nulli ergo etc. nostre separationis, dismembrationis, exemptionis, liberationis, erectionis, institutionis, decorationis, concessionum, assignationis, subiectionis, appropriationis, reservationis, decreti et intentionis infringere etc. Siquis etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo quinquagesimo, quinto kalendas martii anno secundo.

162

Tuis exigentibus meritis

Arm. XLI 60 fol. 59r die 12 aprilis 1551

DE ORDINATIONE EPISCOPI
ECCLESIAE CIVITATIS REGALIS (*CHIAPAS*)

Summus Pontifex novo episcopo dioecesis Civitatis Regalis (*Chiapas* in *México*), Thomae de Casellas, facultatem concedit, ut munus consecrationis ab uno episcopo assistentibus duobus aut tribus abbatibus vel tribus quattuor aliis personis in dignitate ecclesiastica constitutis suscipere possit, propter terrarum vastam latitudinem et quia ibi copia episcoporum commode reperiri non potest.

Iulius III

Dilecto filio Thomae de Casellas, electo Civitatis Regalis.

Dilecte fili salutem etc. Tuis exigentibus meritis inducimur et commoditatibus tuis, quantum cum Deo possumus favorabiliter annuamus. Nuper siquidem ecclesia Civitatis Regalis in Indiis occidentalibus maris Occeani certo tunc expresso modo pastoris solatio destituta, nos de persona tua ecclesie predicte sic vacanti de fratrum nostrorum consilio Apostolica auctoritate providimus teque illi in episco-

pum prefecimus et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, ac tibi ut a quocumque malles Catholico Antistite gratiam et communionem Apostolice Sedis habente, accitis et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus Catholicis Antistitibus similes gratiam et communionem habentibus, munus consecrationis recipere valeres inter alia indulsimus, prout in diversis nostris sub plumbo confectis litteris plenius continetur. Cum autem sicut exhibita nobis nuper pro parte tua petitio continebat, cathedrales illarum partium ecclesie, propter terrarum earundem vastam latitudinem novamque expugnationem ita ab invicem distent, ut Antistitum copia de facili inibi haberi nequeat, nos ad ea que ad tue commoditatis augmentum peramplius cedere valeant favorabiliter intendere volentes tuis in hac parte supplicationibus inclinati tibi, ut in eisdem Indiis degeris, si copia Antistitum ad hoc requisita commode reperiri non possit munus predictum a quocumque malueris catholico Antistite gratiam et communionem predictas habente accitis, et in hoc sibi assistentibus duobus aut tribus abbatibus mitre et baculi usum ex privilegio Apostolico habentibus, seu in eorum defectum tribus aut quattuor aliis abbatibus, seu dicte tue vel alterius cathedralis seu metropolitane ecclesie personis in dignitate ecclesiastica constitutis recipere valeas, et Antistiti predicto et abbatibus seu personis huiusmodi sibi assistentibus munus predictum alias iuxta earundem litterarum tenorem auctoritate Apostolica tibi impendere possint, premissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque, liberam facultatem et auctoritatem tenore presentium concedimus et elargimur. Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die XII Aprilis 1551, Anno 2°.

163

Tuis exigentibus meritis

Arm. XLI 60 fol. 99r — die 19 aprilis 1551

DE ORDINATIONE EPISCOPI ECCLESIAE CUBENSIS

Summus Pontifex novo episcopo dioecesis Sancti Iacobi de *Cuba*, Ferdinando de Uranga, facultatem concedit, ut munus consecrationis ab uno episcopo assistentibus duobus aut tribus abbatibus vel tribus aut quattuor aliis personis in dignitate ecclesiastica constitutis suscipere possit, propter terrarum vastam latitudinem et quia ibi copia episcoporum commode reperiri non potest.

Iulius III

Dilecto filio Ferdinando de Uranga [1] electo Cuben.

Dilecte fili salutem etc. Tuis exigentibus meritis inducimur ut commoditatibus tuis quantum cum Deo possumus favorabiliter annuamus. Nuper siquidem ecclesia Cuben. in Indiis occidentalibus maris Occeani, certo tunc expresso modo pastoris solatio destituta, nos de persona tua ecclesie predicte sic vacanti de fratrum nostrorum consilio Apostolica auctoritate providimus teque illi in episcopum prefecimus et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, ac tibi ut a quocumque malles Catholico Antistite gratiam et communionem Apostolice Sedis habente accitis et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus catholicis Antistitibus similes gratiam et communionem habentibus, munus consecrationis recipere valeres inter alia indulsimus, prout in diversis nostris sub plumbo confectis litteris plenius continetur. Cum autem sicut exhibita nobis nuper pro parte tua petitio continebat, cathedrales illarum partium ecclesie propter terrarum earundem vastam latitudinem, novamque expugnationem ita ab invicem distent, ut Antistitum copia de facili inibi haberi nequeat, nos ad ea que ad tue commoditatis augmentum peramplius cedere valeant favorabiliter intendere volentes tuis in hac parte supplicationibus inclinati tibi, qui ad presens in eisdem Indiis degeris, ut si copia Antistitum ad hoc requisita commode reperiri non possit, munus predictum a quocumque malueris catholico Antistite gratiam et communionem predictas habentes accitis, et in hoc assistentibus sibi duobus aut tribus abbatibus mitre et baculi usum ex privilegio Apostolico habentibus, seu in eorum defectum tribus aut quattuor aliis abbatibus, seu dicte tue vel al-

[1] De Ferdinando de Uranga cfr. supra doc. 157.

terius cathedralis seu metropolitane ecclesie personis in dignitate ecclesiastica constitutis recipere valeas, et Antistiti predicto et abbatibus seu personis huiusmodi sibi assistentibus, munus predictum alias iuxta earundem litterarum tenorem auctoritate nostra tibi impendere possint, premissis ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ceterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque, liberam facultatem et auctoritatem tenore presentium concedimus et elargimur. Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 19 Aprilis 1551, Anno 2°.

164

Super universas

Reg. Lat. 1817 fol. 23r-24v — die 3 iulii 1551

IURA METROPOLITANA ECCLESIAE FUNCHALENSIS REVOCANTUR

Propter faciliorem, tutiorem et frequentiorem navigationem ad civitatem Ulixbonensem (*Lisboa*) in Portugallia, iura metropolitana Ecclesiae Funchalensis revocantur et archiepiscopo Ulixbonensi transmittuntur. Item dioeceses olim Ecclesiae Funchalensi ut suffraganeae assignatae a iurisdictione archiepiscopi Funchalensis liberantur et auctoritati archiepiscopi Ulixbonensis assignantur. Ideoque etiam Ecclesia Sancti Salvatoris (*Bahia*) in Brasilia suffraganea fit Ecclesiae Ulixbonensis.

Iulius III

Ad perpetuam rei memoriam. Super universas orbis ecclesias eo disponente, qui cunctis imperat et cui omnia obediunt, meritis licet insufficientibus constituti levamus in circuitu agri Dominici oculos nostre mentis more pervigilis pastoris inspecturi, quid ecclesiarum ipsa-

rum presertim cathedralium et metropolitanarum statui et felici successui congruat, quodque circa illas earumque personarum et populorum prosperum et felicem statum impendi debeat, salubriter et utiliter impendere curamus etiam quandoque per modum reductionis accommode prout catholicorum regum et principum exposcit devotio et locorum qualitas exigit et ipsarum ecclesiarum utilitas suadet, idque in Domino salubriter expedire cognoscamus. Sane postquam alias felicis recordationis Leo Papa X predecessor noster olim parrochialem ecclesiam beate Marie Funchalen. in insula de Madeyra maris Oceani per clare memorie Emanuelem Portugallie te Algarbiorum Regem tunc in humanis agentem fundatam et in qua unus vicarius frater militie Iesu Christi cistercien. ordinis et nonnulli presbiteri seculares certa beneficia ecclesiastica portiones nuncupata inibi obtinentes existebant, in cathedralem ecclesiam et in ea unum decanatum pro uno decano ac diversas alias dignitates pro diversis personis, necnon duodecim canonicatus ac duodecim prebendas pro totidem canonicis qui insimul capitulum ipsius ecclesie Funchalen. constituerent, erexerat et instituerat, illisque sic erectis et institutis pro eorum dotibus certa tunc expressa fructus, redditus et proventus et emolumenta ac bona perpetuo applicaverat et appropriaverat, ac iuspatronatus et presentandi Romano Pontifici pro tempore existenti personam idoneam ad dictam ecclesiam Funchalen. dum illam pro tempore vacare contigeret, predicto Emanueli et pro tempore existenti Portugallie et Algarbiorum Regi etiam perpetuo reservaverat et concesserat. Et successive pie memorie Clemens Papa VII etiam predecessor noster ipsam ecclesiam Funchalen. in metropolitanam ac Indiarum omniumque et singulorum antea producta ipsius ecclesie Funchalen. assignatarum ac ceterarum temporalis ditionis Portugallie insularum, provinciarum et terrarum novarum eatenus repertarum et in futurum reperiendarum ac ecclesiarum, civitatum et diocesium in eis pro tempore erectarum primatialiter cum archiepiscopali et provinciali dignitate, preeminentia, iurisdictione, superioritate, auctoritate et crucis delatione ac aliis metropoliticis et primatialibus insigniis erexerat et instituerat, ac eiusdem ecclesie Funchalen. presulem pro tempore existentem archiepiscopum, necnon Indiarum insularum, provinciarum, terrarum, ecclesiarum, civitatum et diocesium predictarum primatem constituerat et deputaverat ac perpetuis futuris temporibus esse voluerat, necnon certas tunc expressas ecclesias olim parrochiales in cathedrales tunc erectas et institutas ac omnes et singulas terras et provincias tam in Asia, quam in Affrica, necnon predictas et alias expressas illis adiacentes insulas antea diocesis Fuchalen. cum omnibus et singulis illarum castris, villis, locis et districtibus, ac clero, populo, personis, ecclesiis, monasteriis, hospita-

libus et aliis piis locis ac beneficiis ecclesiasticis cum cura et sine cura secularibus et quorumvis ordinum regularibus ab eadem ecclesia Funchalen. seu illius mensa archiepiscopali similiter perpetuo dismembraverat et separaverat ac eandem diocesim Funchalen. per totam de Madeyra predictam et alias etiam tunc expressas insulas, terras et loca terminaverat et limitaverat, illasque et earum clericos et religiosos quorumvis ordinum pro clero, incolasque et habitatores pro populo, necnon Indias insulas terras repertas et reperiendas, ac, ut prefertur, erectas et erigendas ecclesias, civitates et dioceses predictas pro eius archiepiscopali provincia et primatia, earumque presules pro suis sufffraganeis episcopis, capitula vero ecclesiarum ac clerum et populorum civitatum et diocesium similiter pro suis provincialibus, clero et populo concesserat et assignaverat, prout in ipsorum predecessorum desuper confectis litteris plenius continetur; dicta ecclesia Funchalen. cui bone memorie Martinus archiepiscopus Funchalen. dum viveret preerat, per obitum dicti Martini archiepiscopi qui extra Romana Curia debitum nature persolvit, pastoris solatio destituta nos provide attendentes quod ab eadem archiepiscopali provincia ad civitatem Funchalen. navigatio admodum difficilis et incerta, ipsisque provincialibus episcopis clero et populo non minus dispendiosa periculosaque existet et plerumque contingit quod ad navigationem huiusmodi necessariis et optimis navibus deficientibus ac etiam illis suppetentibus non sit tamen qui metu in tam longinqua et periculosa navigatione se committere audeat ex quo sit quod ipsi provinciales ad archiepiscopum Funchalen. pro tempore appellantes ad illius tribunal et dictam civitatem Funchalen. pro suis appellationibus prosequendis et iustitie complemento consequendo accedere nequeant et propterea diversa incommoda et iacturas sustinent, quodque ab ipsa archiepiscopali provincia ad civitatem Ulixbonen. navigatio longe facilior, tutior et frequentior, ipsisque provincialibus optabilior existit, habita super hiis cum venerabilibus fratribus nostris matura deliberatione de illorum consilio charissimo in Christo filio nostro Iohanne Portugallie et Algarbiorum Regi illustri tam per eius patentes litteras, quam per dilectum filium Alfonsum del Sencastro preceptorem maiorem nuncupatum ipsius Militie, dicti Iohannis Regis consobrinum et pro eo ad nos et Sedem Apostolicam oratorem destinatum, nobis super hoc humiliter supplicante erectionem, institutionem, constitutionem, deputationem, voluntatem, dismembrationem, concessionem et assignationem per Clementem predecessorem ut prefertur factas, ac desuper confectas litteras huiusmodi, ita quod ex nunc de cetero ipsa ecclesia Funchalen. non metropolitana et provincialis, sed cathedralis, illiusque presul pro tempore existens non archiepiscopus Funchalen. sed solum

episcopus Funchalen. prout ante posteriorem erectionem huiusmodi existebant, existant et archiepiscopali ac primatiali dignitate, preeminentia, iurisdictione, superioritate, auctoritate et crucis delatione, ac aliis metropoliticis et provincialibus insigniis nullatenus utantur, seu illa habeant aut habere et uti possint auctoritate Apostolica predicta tenore presentium revocamus, cassamus et annullamus, nulliusque roboris vel momenti fore decernimus, necnon ecclesiam Funchalen. et illius presulem pro tempore existentem archiepiscopali et primatiali dignitate, preeminentia, iurisdictione, superioritate, auctoritate, crucis delatione et aliis metropoliticis ac primatialibus insigniis destituimus, ac illi pro suffraganeis et provincialibus, ut prefertur, concessos et assignatos episcopos, ecclesias, capitula, clerum et populum predictos ab illis eorumque superioritate, visitatione et iurisdictione eisdem auctoritate Apostolica et tenore perpetuo eximimus et liberamus, ipsosque episcopos, ecclesias, capitula, clerum et populum, ac ecclesiam et pro tempore existentem presulem necnon capitulum, clerum, populum, civitatem et diocesim Funchalen. huiusmodi archiepiscopo Ulixbonen. pro tempore existenti pro eius archiepiscopali provincia ac suffraganeis episcopis, capitulis, clero et populo provincialibus auctoritate Apostolica et tenore premissis concedimus et assignamus, eosque archiepiscopo Ulixbonen. iure metropolitico summittimus et subiicimus ac quoad dicta metropolitica superioritatem, iurisdictionem et iura subiectos esse et illi de archiepiscopalibus et metropoliticis iuribus responderi debere, necnon pro tempore existentem archiepiscopum Ulixbonen. in Funchalen. et aliis erectis ac in eadem provincia pro tempore erigendis ecclesiis, civitatibus et diocesibus predictis, illarumque insulis, terris et locis et contra eorum prefatos officiales, vicarios spirituales et generales ac personas necnon monasteria et illorum abbates, capitula, conventus et beneficia ecclesiastica, secularia et quorumvis ordinum regularia, cuiuscunque qualitatis existentia et illa pro tempore obtinentia, ac universum clerum et populum omni superioritate, auctoritate, preeminentia, iurisdictione et potestate, quibus alii archiepiscopi infra limites suarum provinciarum de iure vel consuetudine aut alias quomodolibet utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti potiri et gaudere poterunt in futurum uti, potiri et gaudere posse et debere, auctoritate Apostolica et tenore predictis statuimus, ordinamus et decernimus, ac eidem ecclesie Funchalen. pro eius dote omnes et singulos illi antea tam per Emanuelem quam ex eius annuis redditibus ad eum tamquam predicte militie administratorem in dicta insula de Madeyra spectantem et pertinentem, Ioannem Regem predictos assignatos redditus summam mille ducati auri de Camera constituendam de novo eadem auctoritate Apostolica similiter perpetuo

applicamus et appropriamus. Non obstantibus premissis ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli etc. absolutionis, revocationis, cassationis, annullationis, exemptionis, liberationis, concessionis, assignationis, submissionis, subiicionis, statuti, ordinationis, decretorum, applicationis et appropriationis etc. Siquis etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo quinquagesimo primo, quinto nonas iulii, anno secundo.

165

Praeclara charissimi

Bull. Patr. I 180-185 die 30 decembris 1551
Bull. Rom. (ed. Taurinen.) VI 446-453
BM IV 664; XV 1297

TRANSLATIO MAGISTRATUS TRIUM ORDINUM MILITARIUM AD CORONAM PORTUGALLIAE

Dum Ioannes rex Portugalliae et Algarbiorum magistratum Militiae Iesu Christi iam per deputationem Sedis Apostolicae exercebat, et quidem tamquam administrator perpetuus, Pontifex eidem Ioanni regi administrationem perpetuam magistratuum Militiarum Sancti Iacobi et de *Aviz* contulit, cum plena et libera facultate, auctoritate et potestate faciendi omnia et singula, quae magistri earum Militiarum, qui pro tempore fuerant, facere et exercere potuerant. Ratio sane huiusmodi collationis est remuneratio meritorum, quae reges Portugalliae in propagatione fidei in diversis mundi partibus acquisiverunt, nominatim quidem in partibus Indiarum, Africae et *Brasiliae* insimul quoque incitamentum ad opus evangelizationis necnon erectionis ecclesiarum aliorumque piorum locorum in posterum continuandi. Accedit altera ratio praecavendi contestationes vel odia et dissidia inter varias Militias non uni administratori seu magistratui supremo subiectas. Sequuntur normae de explendis dignitatibus vacantibus in Militiis ita coniunctis necnon de fructibus et proventibus et emolumentis, etiam ex beneficiis ecclesiasticis, necnon de privilegiis et indultis sive regibus Portugalliae sive Militiarum magistris olim concessis. Favores iterum ita regibus concessi vel in eosdem translati etiam validi et efficaces sunto, si in defectu regis mulier seu regina regnum regere contin-

gat. Cavetur tandem de efficacitate ipsarum Litterarum Pontificis necnon de consuetis obsequiis magistratibus debitis, de conservatione bonorum aliisque ad huiusmodi administrationem pertinentibus ac de cura animarum ceterisque oneribus cum Militiis coniunctis.

Iulius III

Ad perpetuam rei memoriam. Preclara charissimi in Christo filii nostri Joannis, Portugalliae et Algarbiorum Regis illustris, ac suorum in Portugalliae et Algarbiorum hujusmodi regnis praedecessorum, erga hanc Sanctam Sedem merita, necnon sincera fides et singularis devotio, quibus idem Joannes Rex in nostro et dictae Sedis conspectu clarere dignoscitur, promerentur, et nos quodam modo compellunt, ut illa praedicto Joanni, et pro tempore existenti Portugalliae et Algarbiorum Regi, favorabiliter concedamus, per quae dissentionibus et odiis, quae inter personas regnorum hujusmodi exoriri possent, occurratur, ac eorundem regnorum quieti et tranquillitati consulatur.

Dudum siquidem Sancti Jacobi de Spata, sub Sancti Augustini, et de Aviz, sub Sancti Benedicti regulis, in dictis regnis Militiarum magistratibus, per obitum quondam Georgii, olim ipsarum magistri seu administratoris, extra Romanam Curiam defuncti, seu alias certo modo vacantibus; nos considerantes magistratus praedictos diversa castra, villas, terra, loca et arces eis a clarae memoriae Portugalliae Regibus, et aliis personis saecularibus, ut plurimum donata, in quibus magistratus ipsos, pro tempore obtinentes, jurisdictionem exercent, et plurimum praeceptoriarum, et pinguissimis redditibus dotatarum collationem habere; et propterea tam pro justitia in castris, villis, terris et locis eisdem perfecte administranda, ac arcibus praedictis ad regna praedicta ab infidelibus, et perversorum conatibus defendendum, ac in pacis dulcedine conservandum diligenter, et fideliter custodiendis, necnon praeceptoriis ipsis personis benemeritis, praesertim contra Christiani nominis hostes dimicantibus plurimum expedire, ut magistratus praedicti personae regnis ipsis et illorum incolis gratae et acceptae, per quam nedum in juribus suis conservari, verum etiam adaugeri possent, committeretur; ac sperantes quod dictus Joannes Rex, qui justitiae zelator et orthodoxe fidei acerrimus defensor eatenus fuerat, et tunc existebat, ac Christiani nominis hostes, tam in Africa, quam in partibus Indiae orientalis et Aethiopiae, continuis bellis, cum intollerabilibus expensis, lacessere non desinebat, et inco-

las inibi commorantes ad veri luminis cognitionem reducere magnopere studebat, magistratus ipsos prout Militiam Jesu Christi Cisterciensis Ordinis, cujus idem Joannes Rex administrator perpetuus per Sedem praedictam deputatus existebat, eatenus laudabiliter et prudenter rexerat, et feliciter et tranquille gubernarat, illisque posset esse utilis plurimum et etiam fructuosus; ac volentes eidem Joanni Regi, ut expensas onerum, quae in gerendis bellis praedictis tenebatur, facilius perferre valeret, de alicujus subventionis auxilio providere, motu proprio, eundem Joannem Regem, quoad viveret, administratorem perpetuum et irrevocabilem magistratuum Militiarum Sancti Jacobi et de Aviz hujusmodi, juriumque, rerum et pertinentiarum suorum omnium, etiam una cum magistratu Militiae Jesu Christi hujusmodi, cum plena et libera facultate, auctoritate et potestate; omnia et singula, quae magistri Militiarum Sancti Jacobi et de Aviz hujusmodi, qui pro tempore fuerant, facere et exercere potuerant, etiam si habitum per fratres milites dictarum Militiarum gestari solitum numquam susciperet nec professionem per eos emitti solitam emitteret, faciendi et exercendi, Apostolica auctoritate, constituimus et deputavimus, curam, regimen et administrationem magistratuum Sancti Jacobi et de Aviz, ac castrorum et aliorum praedictorum sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur.

Cum autem, postmodum intra mentis nostrae arcana saepius revolverimus, singulas Militias praedictas ad hoc institutas fuisse, ut contra hostes et inimicos fidei hujusmodi firma quaedam praesidia essent, eorumque fratres milites, pro tempore existentes, infidelium eorundem expugnationi, ac terrarum ab eis occupatarum recuperationi jugiter vacarent, et a plurimis annis citra, prout tam dilecti filii Alphonsi de Alencastro, praeceptoris majoris eiusdem Militiae Jesu Christi, et ipsius Joannis Regis consobrini, et apud nos ac dictam Sedem oratoris, quam aliarum fidedignarum personarum relatione percepimus, praedictus Joannes Rex, clarae memoriae Emmanuelis, Portugalliae et Algarbiorum Regis, genitoris sui, et aliorum praedecessorum suorum praedictorum vestigiis inherendo, ad divini nominis exaltationem, Christianaeque fidei propagationem, in eripiendis e manibus ipsorum infidelium diversis provinciis, terris et locis, et aliis jam ereptis conservandis; necnon bello contra eosdem infideles, tam terra, quam mari gerendo gravissimos labores et expensas sustinuerit, et tam in Indiarum, quam in Africae, et Aethiopiae ac Brasilii partibus, nonnullas civitates, insulas, oppida et loca e manibus infidelium hujusmodi eripuerit, ea quae inibi Christifideles introduci, et nomen Domini praedicari faciendo, ad gremium Sancte Matris Ecclesiae ad-

duci procuraverit, et ad hoc non solum vi et armis, sed et nonnullarum ad hoc ab eo deputatarum excellentis doctrinae et approbatae vitae personarum opera continue utatur, et propterea Septensem et Tingensem civitates, et oppidum de Mazagam in Africa, necnon Goam, ac alias terras et loca in Indiarum partibus, per eum et ejus praedecessores praedictos e manibus ipsorum infidelium, non sine magna sanguinis effusione, erepta, ad reipublicae Christianae commodum et universalis Ecclesiae exaltationem possideat; et ut mortalium animas Deo efficacius lucrifaciat, in civitatibus, insulis, terris et locis hujusmodi quamplura monasteria, ecclesias, hospitalia et collegia ad devotionis inibi habitantium excitationem erigi, ac in illis ministros ecclesiasticos introduci fecerit; necnon incolis et habitatoribus civitatum, terrarum et locorum hujusmodi, mediantibus diversis egregiis et fidelibus verbi Dei concionatoribus, ut sacrum Christi Evangelium amplecterentur, et sub nostra et ejusdem Sedis obedientia et protectione, degerent adeo efficaciter persuaserit, ut eorum infinitus fere numerus sacro baptismatis fonte renasci voluerit, spereturque verisimiliter quod idem Joannes Rex, ad quem spectat bella ipsa contra infideles praedictos, tam terra, quam mari, et tam offendendo, quam defendendo movere, ac successores sui, Portugalliae et Algarbiorum Reges, pro tempore existentes, divina eis assistente gratia, similia et alia longe majora in dies pro tuitione et augmento Christianae religionis facturi sint.

Nos attendentes quod si magistratus Militiarum hujusmodi qui aliquando per Romanos Pontifices, praedecessores nostros, Regibus Portugalliae et Algarbiorum hujusmodi seu eorum primogenitis aut aliis natis, infantibus nuncupatis, sive propinquis in administrationem, dum expediens visum fuit, concessi fuerunt et super quorum, dum pro tempore vacent, seu magistrorum ad eos electione quoad praeceptores domorum, et etiam forsan fratres milites singularum Militiarum hujusmodi spectare dignoscitur, possunt facile inter praeceptores seu fratres et milites hujusmodi graves dissensiones et intestina odia exoriri, et quo pro tempore obtinentes, si se pro tempore existenti Portugalliae et Algarbiorum Regi opponerent regna praedicta perturbare, et diversos tumultos bellicos excitare, ac bella, quae per eos contra infideles, ut praefertur, movenda sunt, in perturbationem quietis et pacis regnorum hujusmodi convertere possent, praedicto Joanni, pro tempore existenti Portugalliae et Algarbiorum Regi, in administrationem perpetuo concedantur, committantur et assignentur ex hoc profecto dissentionibus et odiis, ac perturbationi pacis et quietis regnorum, et excitationi tumultuum bellicorum hujusmodi oppor-

tune occurretur, et praedictus Joannes, et pro tempore existens Portugalliae et Algarbiorum Rex, praeceptorias domorum Militiarum hujusmodi fratribus militibus idoneis et ad praeliandum habilibus, qui non solum cum vocati fuerint ad bella se accingent, verum etiam Regem ipsum ad expeditiones contra infideles praedictos ultro sollicitabunt, ac se suaque omnia, tam in classe maritima, quam exercitu terrestri, laboribus et periculis exponere non dubitabunt, earum occurrente vacatione, conferre seu conferri procurabit, et bella ipsa commodius gerere, ac alia pro fidei Catholicae exaltatione et infidelium depressione necessaria et opportuna efficacius exequi poterit, ipsique praeceptores et fratres milites ac vassalli et subditi magistratuum hujusmodi libentius, sub eorum naturali Principe Rege, et Militiarum hujusmodi administratore existente, et ejus disciplina quam diversis ipsarum Militiarum magistris (cum majores conjunctae vires, majora et praeclariora in bello facinora edere possint) militabunt, seque omnibus periculis exponent.

Et propterea volentes in praemissis opportune providere, ac ipsius Joannis Regis, qui superioribus annis Bazaim et Diu civitates seu oppida, in partibus Indiarum, e manibus infidelium vi et bello eripuit, et bis invicto animo Diu videlicet a Turcis et Rege Cambayae, qui illam seu illud, cum ingenti exercitu, ducibus Soliman Bassa et Coja Suphar acriter et durissime obsidebant, Bazaim vero civitates seu oppida hujusmodi ab oppidanis, qui illam seu illud bello repetebant, praestante Domino, liberavit, et Turcas ac oppidanos ipsos, non sine maxima eorum clade et jactura, obsidionem hujusmodi solvere coegit, ac demum fugavit, et nomen Domini nostri Jesu Christi longe lateque propagare non cessat pro desiderio praemissorum intuitu morem gerere, motu simili, non ad ejusdem Joannis Regis, aut alterius pro eo nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de mera liberalitate ac ex certa scientia nostris, singulos Jesu Christi, et Sancti Jacobi ac de Aviz magistratus hujusmodi, qui in eisdem Militiis supremae dignitates, ac ipsarum Militiarum in dictis regnis et aliis dominiis, eisdem regnis, seu eorum Regi subjectis, capita esse noscuntur, et quorum singulorum universas alias qualitates et illorum erectionum et institutionum tenores fructuum, reddituum et proventuum veros annuos valores praesentibus pro expresso habentes; volumus etiam, si quovis modo quem etiam si ex illo quaevis generalis reservatio, etiam in corpore juris, clausa resultet, praesentibus haberi volumus pro expresso, et ex cujuscumque persona vacent, etiam si tanto tempore vacaverint, quod eorum collatio, juxta Lateranensis statuta Concilii, ad sedem praedictam legitime devoluta, ipsique magistratus,

specialiter vel generaliter, reservati existant, et ad illos consueverint, qui per electionem assumi eisque cura etiam jurisdictionalis immineat animarum, super eis quoque inter aliquos lis, cujus statum praesentibus habere volumus pro expresso pendeat indecisa, dummodo tempore datae praesentium non sit in eis alicui specialiter jus quaesitum, cum omnibus et singulis illorum, eorumque mensarum juribus, pertinentiis, jurisdictionibus, castris, villis, oppidis, fortalitiis, terris et locis.

Necnon fructibus, redditibus, proventibus, obventionibus et emolumentis, quocumque nomine nuncupentur, et in quibus suis rebus consistant, et undecumque proveniant, et per nos aut praedecessores nostros Romanos Pontifices, pro applicatione fructuum, reddituum, proventuum, jurium, obventionum et emolumentorum, praeceptoriarum et forsan aliorum beneficiorum ecclesiasticorum, seu illorum decimae, aut alterius partis, bellis pro tempore gerendis, eisdem Emmanueli et Joanni Regibus eorumque praedecessoribus, ac Militiarum hujusmodi magistris in genere et in specie, ac alias quomodolibet concessis; necnon facultatibus, licentiis, privilegiis et indultis praedicto Joanni, et pro tempore existenti Portugalliae et Algarbiorum Regi, etiam si regna ipsa in foeminam, aut minorem septem annis pervenerint, et minor hujusmodi etiam foemina existat in administrationem perpetuam.

Ita quod qui Rex, aut in defectum Regis Regina, regnorum hujusmodi pro tempore fuerit, et singularum Militiarum praedictarum et illarum magistratuum, absque alio juris aut pacti ministerio, perpetuus administrator aut administratrix sit, et esse censeatur, ac magistratuum, absque alio juris aut pacti ministerio, perpetuus administrator aut administratrix sit, et esse censeatur, ac magistratuum eorundem possessionem, propria auctoritate, libere apprehendere et perpetuo retinere, seu etiam, absque alia possessionis apprehensione, Militias ipsas et earum magistratus regere et administrare; necnon illorum fructus, redditus, proventus, jura, obventiones et emolumenta, ac alia praemissa in suos et magistratuum praedictorum usus et utilitatem convertere, dioecesanorum locorum vel quorumvis aliorum licentia, vel consensu desuper minime requisita vel requirenda, necnon praeceptorias et dignitates aliaque beneficia et officia Militiarum hujusmodi, ac alia ad collationem, provisionem, praesentationem, electionem seu quamvis aliam dispositionem pro tempore existentium earundem Militiarum magistrorum spectantia, tam saecularia, quam regularia beneficia personis idoneis conferre et assignare; necnon praemissa omnia et singula et caetera, quae magistri Militiarum hujusmodi, qui

pro tempore fuerunt, in spiritualibus et temporalibus facere et gerere, exercere et administrare consueverunt, seu potuerunt aut debuerunt facere, gerere, exercere et administrare; necnon jurisdictionem et superioritatem, ac quodcumque aliud dominium in praeceptores et milites, ac alios fratres et personas; necnon oppida, terras et loca, ac bona et res Militiarum hujusmodi, per earum magistros exerceri solita, exercere libere et licite possit in omnibus et per omnia perinde, ac si singularum Militiarum praedicta verus magister existeret; ac omne jus et omnis auctoritas et potestas Militias et magistratus hujusmodi, tam in spiritualibus, quam in temporalibus regendi et administrandi ad singulos magistros Militiarum hujusmodi, de jure vel consuetudine, aut alias quomodolibet pertinens, et quare in futurum pertinere poterit cum regnis hujusmodi incorporetur et consolidetur.

Sic tamen quod pro tempore existens Portugalliae et Algarbiorum Rex seu Regina eaque spiritualia pro tempore concernent, per idoneas personas ipsarum Militiarum religiosas, ad id per eum deputandas et ad ejus liberum nutum et arbitrium amobiles probe et laudabiliter exerceri facere debeat et teneatur, Apostolica auctoritate praedicta, tenore praesentium, perpetuo concedimus, et committimus et assignamus; ipsumque Joannem, et pro tempore existentem Portugalliae et Algarbiorum Regem seu Reginam, etiam si, ut praefertur, minor existat, perpetuum et irrevocabilem singularum Militiarum et earum magistratuum juriumque et pertinentiarum praedictorum in spiritualibus et temporalibus administratricem constituimus et deputamus; et personis per, pro tempore existentem, Regem seu Reginam, circa spiritualia deputandis, omnia et singula quaecumque singularum Militiarum hujusmodi, qui pro tempore fuerunt, concernentibus spiritualia, per se vel alios ordinare, disponere, mandare et facere de jure vel consuetudine, aut alias quomodolibet potuerunt seu debuerunt ordinandi et disponendi, mandandi et faciendi plenam, liberam et omnimodam facultatem et potestatem concedimus.

Et ne, in praejudicium concessionis, commissionis, assignationis, constitutionis et deputationis nostrarum praedictarum, praeceptores seu milites vel fratres Militiarum huiusmodi aliquid de facto per viam electionis vel postulationis seu alias, decedente pro tempore Rege aut Regina regnorum hujusmodi, attentare praesumant; nos, ab eisdem praeceptoribus, militibus et fratribus, omne jus et omnem actionem et potestatem eligendi vel postulandi aliquem in magistrum alicujus ex Militiis hujusmodi, vel eisdem magistratibus de magistris aut administratoribus, perpetuis quomodolibet providendi penitus et omnino tollimus, auferimus et abdicamus.

Ipsisque praeceptoribus, militibus et fratribus, sub excommunica-

tione latae sententiae et privatione praeceptoriarum ac aliorum beneficiorum et officiorum ecclesiasticorum, quae pro tempore obtinebunt; necnon pensionum annuarum, quas pro tempore percipient, ac inhabilitatis ad illa et illas, ac alia et alias in posterum obtinendas et percipiendas, ac aliis ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis per contravenientes eo ipso incurrendis, ne de caetero aliquem in magistrum alicujus ex Militiis hujusmodi eligere vel postulare, aut de eligendo vel postulando quovis modo tractare audeant vel praesumant, districtius inhibemus; absolutionem eorum, qui sententias, censuras et poenas praedictas incurrerint, ac earum relaxationem nobis et successoribus nostris Romanis Pontificibus canonice intrantibus specialiter et expresse reservantes.

Quocirca, venerabilibus fratribus nostris Ulixbonensi, Elborensi ac Bracharensi Archiepiscopis, per Apostolica scripta, motu simili mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta, quaecumque ubi, et quando opus fuerit, ac quoties pro parte Joannis, et pro tempore existentis Regis et Reginae hujusmodi desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis, praesidio assistentes, auctoritate nostra, faciant eidem Joanni, et pro tempore existenti Portugalliae et Algarbiorum Regi et Reginae, a dilectis filiis, conventibus, prioribus, praeceptoribus, fratribus et militibus obedientiam et reverentiam debitas et devotas; necnon a vassallis et aliis subditis Militiarum hujusmodi consueta servitia et jura sibi ab eis debita integre exhiberi; ipsosque Joannem, et pro tempore existentem Regem et Reginam, ad magistratus praedictos, ut est moris, admitti, sibique de illorum jurium et pertinentiarum, ac membrorum suorum omnium, fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi, contradictores quoslibet et rebelles, etiam per quasvis de quibus eis placuerit sententias, censuras et poenas ecclesiasticas ac alia opportuna juris remedia, appellatione postposita compescendo, ac legitimis super eis habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Non obstantibus nostra, per quam dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem etiam beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, et semper in unionibus commissio fieret ad partes vocatis quorum interesset, et Lateranensis Concilii, novissime celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis; necnon felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, etiam qua cavetur nequis extra suam civitatem et dioece-

sim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dictam a fine suae dioecesis ad judicium evocetur, seu ne judices a Sede praedicta deputati extra civitatem vel dioecesim, in quibus deputati fuerint, alii vel aliis vices suas committere praesumant, ac de duabus dietis in concilio generali edita, dummodo ultra tres dietas aliquis, auctoritate praesentium, ad judicium non trahatur, et aliis Apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, necnon Militiarum et Ordinum praedictorum, juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, privilegiis quoque, indultis et litteris Apostolicis, eisdem Militiis, earumque magistris, praeceptoribus, militibus, fratribus et conventibus, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis per quoscumque Romanos Pontifices, praedecessores nostros, et nos ac dictam Sedem, etiam motu simili aut consistorialiter, etiam per viam generalis legis et statuti perpetui, ac miti et stipulati contractus in genere vel in specie, aut alias quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, illis praesertim quibus inter alia caveri dicitur expresse quod, occurrente vacatione alicujus ex magistratibus praefatis, praefati conventus praeceptores, fratres et milites unum forsan de eorum gremio dictarum Militiarum militem expresse professum eligere, ipseque sic electus verus earundem Militiarum magnus magister habeatur, illique, et non alteri conventus, praeceptores, fratres, milites praedicti parere teneantur, quodque nullus nisi, ut praefertur, electus, magistratus ipsos obtinere possit, et quaecumque collationes et aliae dispositiones de magistratibus ipsis, aliter etiam per Romanum Pontificem et Sedem praedictam, nullae et invalidae, nulliusque sit roboris vel momenti, et penitus pro infectis habeantur, praefatique milites, aliis quam, ut praefertur, electis, vel litteris Apostolicis, per eos impetratis, parere minime teneantur, et ob illorum non paritionem aliquas censuras sive poenas nullatenus incurrant, quodque privilegiis, indultis et litteris nullatenus, aut non nisi certis inibi expressis modo et forma derogari possit, et si aliter derogetur, derogatio hujusmodi nemini suffragatur.

Quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica et expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium tenores praesentibus pro sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis; necnon modos et formas ad id servandos pro individuo servatis habentes illis alias in

suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse, pari motu, derogamus contrariis quibuscumque.

Aut si aliqui super provisionibus seu concessionibus administrationum sibi faciendis de magistratibus hujusmodi speciales, vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales dictae Sedis vel legatorum ejus litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum, vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus Joannem, et pro tempare existentem Regem ac Reginam praefatos, in assecutione dictorum magistratuum volumus anteferri, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem magistratuum aut beneficiorum aliorum praejudicium generari, seu si praeceptoribus majoribus dictorum conventuum, necnon prioribus, praeceptoribus, militibus et fratribus, ac conventibus, vassallis et subditis praedictis vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quoad receptionem vel provisionem alicujus minime teneantur, et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possit.

Quodque de magistratibus hujusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem, praesentationem, electionem seu quamvis aliam dispositionem, conjunctim vel separatim, spectantibus nulli valeat provideri, seu concessio in administrationem fieri per litteras Apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, et qualibet alia dictae Sedis indulgentia generalis vel specialis, cuiuscumque tenoris existat, per quam praesentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus hujusmodi gratiae impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cujusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis.

Volumus autem quod magistratus ipsi debitis propterea non fraudentur obsequiis, et animarum cura in eis nullatenus negligatur, sed Rex seu Regina, pro tempore existentes, omnia et singula eisdem Militis pro tempore, incumbentia onera perferre omnino teneatur, quodque ab alienatione quorumcumque bonorum immobilium et pretiosorum mobilium dictorum magistratuum penitus abstineat; et quod succedens in regnis hujusmodi, sive vir sive foemina, existat antequam dictos magistratus vel eorum aliquem administrare possit juramentum seu juramenta, sique de observandis statutis et consuetudinibus, et stabilimentis, usibus et naturis dictarum Militiarum, vel alias per dictos magistros praestari consueverunt, praestare teneantur; deinde administrationi magistratuum hujusmodi libere se immiscere possit, et ille ex eis qui nullo unquam tempore (quod absit) a nostra et successorum nostrorum, Romanorum Pontificum canonice intrantium et

ejusdem Romanae Ecclesiae obedientia et devotione se retraxerit, vel contra eam bellum susceperit, aut in ejus dominium per se vel alium quomodolibet machinatus fuerit, praesenti gratia eo ipso privatus existat, ac praesentes litterae nullius sint roboris vel momenti, ipsaeque concessio, commissio, assignatio, constitutio et deputatio exspirent et resolvantur, exspirataeque et resolutae censeantur, et exinde ipsi magistratus vacent eo ipso, et de illis per Sedem eandem libere disponi possit, et insuper ex nunc irritum decernimus et inane, si secus super iis a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis, commissionis, assignationis, constitutionis et deputationis, ac aliorum praemissorum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli, Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDLI, tertio kalendas Januarii, Pontificatus nostri anno secundo.

166

Exponi nobis nuper

Arm. XLI 63 fol. 44r-46r — die 12 ianuarii 1552

SUPPRESSIO IMMUNITATIS CLERICORUM CONTRA LEGES CIVILES DELINQUENTIUM

Emmanuel Lusitaniae rex, praedecessor Ioannis, pro mercatoribus, subditis suis, qui in partibus Indiae et Aethiopiae cum illis populis commercium faciunt, leges et statuta ad Dei laudem et catholicae fidei propagationem edidit et sub certis civilibus et criminalibus poenis inviolabiliter observari iussit. Nonnulli clerici autem, immunitatis privilegio inniti, contra illas leges venire ausi sunt, et nisi aliqua poena mulctantur, quam plura scandala suscitantur. Leo X, Summus Pontifex, regi Emmanueli licentiam concessit, clericos tales, in minoribus dumtaxat ordinibus constitutos, non obstante immunitate et pri-

vilegio clericali, poenis civilibus et criminalibus punire, citra tamen sanguinis effusionem aut membri mutilationem. Ioannes rex leges illas ad Brasiliam extendit, ac Iulius Papa III licentiam illam pro partibus Indiae et Aethiopiae concessam, ad partes quoque Brasiliae extendit.

Iulius III

Charissimo in Christo filio Nostro Ioanni Portugallie et Algarbiorum Regi illustri.

Charissime in Christo fili noster, salutem etc. Exponi nobis nuper fecisti quod alias felicis recordationis Leoni papae X, predecessori nostro, pro parte clare memorie Emanuelis Portugallie et Algarbiorum Regis genitoris tui exposito quod licet commercia et mercimonia, que pro eo in partibus Indie atque Ethiopie cum gentibus et populis illarum partium pertractabantur, maximum importantissimumque pondus sustinerent et quo magis partes ille a finibus Europe distarent, plus fidelitatis et legalitatis, ac integritatis circa personarum inibi agentium contradictionem requireretur, et propterea dominus Emanuel Rex, cupiens fraudibus et dolis, que in premissis commerciis ac negotiationibus et participationibus huiusmodi fieri poterant obviare, cum animo gereret predicta commercia ad Dei laudem et catholice fidei propagationem in tam remotis et longinquis partibus, et barbarorum nationibus continuare et augere quam plura leges, pragmaticas sanctiones, ordinationes et statuta per dictos agentes et subditos suos aliosque contractatores et negociorum ac mercimoniorum commerciorumque huiusmodi gestores inviolabiliter tenenda et observanda, ac nullo pacto pretereundo sub certis civilibus et criminalibus penis, quas violatores et transgressores illorum incurrerent, fecisset, edidisset et promulgavisset. Nichilominus nonnulli pro clericis se gerentes freti immunitate ac privilegio clericali penas legum et ordinationem huiusmodi, quibus ipsi iuxta canonicas sanctiones minime suberant non formidantes contra leges, sanctiones, ordinationes et statuta predicta multotiens venire ausi fuerant, et nisi tales transgressores criminosi et delinquentes aliqua pena mulctarentur, plecterenturque occasione transgressionum et excessuum suorum in partibus illis quam plura scandala, iurgia et differentie inter agentes predictos in dies suscitarentur, in non modicum sue et suorum regnorum detrimentum, Emanuelis Regis in ea parte supplicationibus inclinatus eidem Emanueli Regi, ut tunc et pro tempore existens capellanus maior sue capelle regie, quoscumque clericos in minoribus ordinibus dumtaxat constitutos

beneficia ecclesiastica non obtinentes quos constitutiones et ordinationes, ac sanctiones per eum, ut prefertur, editas et quas ad commerciorum ac contractationum huiusmodi conservationem et ampliationem ederet et promulgaret in futurum dummodo canonibus non contrarie essent contravenire compertum foret, legum, constitutionum et sanctionum huiusmodi penis civilibus necnon criminalibus, citra tamen sanguinis effusionem, aut membri mutilationem plectere, mulctare, punire et castigare in personis et bonis, non obstante immutate et privilegio clericali, quibus tales transgressores et delinquentes uti posse, minime voluit, libere et licite valeret per suas in forma brevis litteras licentiam concessit et facultatem, prout in illis plenius dicitur contineri. Cum autem sicut eadem expositio subiungebat te, aliis cupiens fraudibus et dolis, que etiam in commerciis, negotiationibus et mercemoniis partium Brasilii fiebant obviare similes leges, sanctiones et ordinationes per agentes et subditos tuos in eisdem partibus Brasilii aliosque contractatores ac negotiorum, mercemoniorum et commerciorum, que etiam pro te cum populis et habitatoribus partium Brasilii huiusmodi tractarentur gestores inviolabiliter tenendas et observandas, ac nullo pacto pretereundas forsan sub eisdem penis edideris et promulgaveris. Ac agentium, subditorum, contractatorum et negotiorum gestorum huiusmodi merceriis ita exercuerit, ut nunc multo plures fraudes in mercemoniis, commerciis et negotiis huiusmodi, quam cum singule leges, sanctiones et ordinationes huiusmodi pro tempore editi fuerunt, committantur. Et propterea concessio licentie [...] maiori, ut prefertur, facta sit ad presens plurimum necessaria, ne de validitate litterarum predictarum hesitare contingat nobis humiliter supplicari fecisti, ut litteras ipsas approbare et innovare, ac etiam ad vitam tuam et ad agentes, subditos, contractatores et negotiorum gestores in partibus Brasilii huiusmodi extendere et ampliare, aliisque in premissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati litteras predictas, quarum tenorem presentibus haberi volumus pro expresso ad hoc, ut modernus et pro tempore existens capellanus maior capelle tue, quoscumque clericos in minoribus ordinibus dumtaxat constitutos, beneficia ecclesiastica non obtinentes, quos singulis predictis et quibuscumque aliis constitutionibus, ordinationibus et pragmaticis sanctionibus ad commerciorum et contractationum huiusmodi conservationem et ampliationem hactenus, ut prefertur, editis et promulgatis, ac in posterum edendis et promulgandis dummodo licite et honeste, ac sacris canonibus non contrarie existant contravenire compertum fuerit legum, constitutionum et sanctionum huiusmodi penis civilibus tantum necnon criminalibus citra tamen sanguinis effusionem aut mem-

bri mutilationem alias iuxta litterarum Leonis predecessoris huiusmodi continentiam et tenorem plectere, mulctare, punire et castigare, libere et licite valeat, Apostolica auctoritate tenore presentium approbamus et innovamus, ac ad vitam tuam ad agentes, subditos, contractatores et negotiatorum gestores in partibus Brasilii huiusmodi, auctoritate et tenore predictis, extendi volumus et ampliamus. Non obstantibus Apostolicis ac in provincialibus et sinodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, necnon immunitate et privilegio clericalibus quibus transgressores et delinquentes, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XII Ianuarii 1552, Anno 2°.

167a

Romani Pontificis

Reg. Lat. 1817 fol. 316r-317r — die 27 aprilis 1552

PROVISIO ECCLESIAE SANCTAE MARTHAE

Post obitum Martini de Calatayud episcopi Ecclesiae Sanctae Marthae, Ioannes de los Barrios, hactenus episcopus Ecclesiae Fluminis argentei (*Río de la Plata*), sedi Sanctae Marthae praeficitur, quae ad iuspatronatum imperatoris et Hispaniarum regis Caroli pertinet. Ipse imperator vi sui privilegii eum Summo Pontifici praesentaverat. Episcopi Ecclesiarum Cubensis et Portoricensis mandatur, ut ambo vel alter eorum iuramentum fidelitatis Ioannis recipiant. Notitia huius provisionis simili modo populo civitatis et dioecesis Sanctae Marthae, filiis universis vasallis atque capitulo et clero eiusdem Ecclesiae delata est. Archiepiscopo Ecclesiae Metropolitanae Sancti Dominici quoque, cuius suffraganea Ecclesia Sanctae Marthae est, provisio communicatur, necnon imperatori et reginae Hispaniarum. Ne translatio et praefectio Ioannis impugnari possint, ipse Ioannes a quibuscumque sententiis et poenis ecclesiasticis, in quas forsan incurrit, absolvitur ad cautelam.

Iulius III

Venerabili fratri Iohanni [1] episcopo Sancte Marthe salutem etc. Romani Pontificis quem pastor ille celestis et episcopus animarum potestatis plenitudine sibi tradita ecclesiis pretulit universis sollicitudo requirit ut circa cuiuslibet ecclesie statum sic vigilanter excogitet sicque prospiciat diligenter quod per eius providentiam circumspectam nunc per simplicis provisionis officium quandoque vero per ministerium translationis accomode, prout personarum, locorum et temporum qualitas exigit ac ecclesiarum utilitas persuadet ecclesiis singulis pastor accedat idoneus et rector providus deputetur, qui populum sibi commissum salubriter dirigat et informet, ac bona ecclesie sibi commissa non solum gubernet utiliter, sed etiam multimodis efferat incrementis. Sane ecclesia Sancte Marthe in partibus occidentalis maris Oceani que de iure patronatus charissimi in Christo filii nostri Caroli Romanorum Imperatoris semper Augusti, qui etiam Hispaniarum Rex existit, ex privilegio apostolico cui non est hactenus in aliquo derogatum fore dinoscitur et cui bone memorie Martinus [2] episcopus Sancte Marthe dum viveret presidebat per obitum eiusdem Martini qui extra Romanam curiam debitum nature persolvit pastoris solatio destituta nos vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta ad provisionem eiusdem ecclesie celerem et felicem ne ecclesia ipsa longe vacationis exponatur incommodis paternis et sollicitis studiis intendentes post deliberationem quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligente, demum ad te episcopum nuper del Rio de La Plata consideratis grandium virtutum meritis quibus personam tuam illarum largitor altissimus insignivit et quod tu qui ecclesie del Rio de la Plata hactenus laudabiliter prefuisti et quem prefatus Carolus Imperator et Rex nobis ad hoc prout iuxta privilegium predictum poterat per suas litteras presentavit dictam ecclesiam Sancte Marthe scies, voles et poteris, auctore Domino, salubriter et feliciter gubernare direximus oculos nostre mentis. Intendentes igitur tam dicte ecclesie Sancte Marthe, quam eius gregi dominico salubriter providere te licet absentem a vinculo quo prefate ecclesie del Rio de la Plata, cui tunc preeras, tenebaris de ipsorum fratrum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes tę ad dictam ecclesiam Sancte Marthe de simili consilio apostolica aucto-

[1] De Ioanne de los Barrios cfr. supra doc. 145.
[2] De Martino de Calatayud cfr. supra doc. 111.

ritate transferimus teque illi in episcopum preficimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie Sancte Marthe tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo libera liberamque que tibi ad eandem ecclesiam Sancte Marthe transeundi licentiam tribuendo firma spe fidutiaque conceptis quod dextera Domini tibi assistente propitia prefata ecclesia Sancte Marthe sub tuo felici regimine regetur utiliter et prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Volumus autem quod antequam regimini et administrationi dicte ecclesie Sancte Marthe te in aliquo immisceas in mantibus venerabilium fratrum nostrorum Cuben. et Sancti Iohannis de Puerto Rico episcoporum seu alterius eorum fidelitatis debite solitum prestes iuramentum iuxta formam quam sub bulla nostra mittimus introclusam quibus et eorum cuilibet per alias nostras litteras mandamus ut ipse vel alter eorum a te, nostro et Romane Ecclesie nomine huiusmodi recipiant seu recipiat iuramentum. Quocirca fraternitati tue etc. mandamus quatinus ad prefatam ecclesiam Sancte Marthe cum gratia nostre benedictionis accedens curam et administrationem predictas sic exercere studeas sollicite, fideliter et prudenter quod exinde sperati fructus adveniant et tue bone fame odor in laudabilibus eius actibus latius difundatur ac dicte ecclesie Sancte Marthe gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam tuque preter eterne retributionis premium nostram et apostolice Sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo, quinto kalendas maii anno tertio.

167b

Hodie venerabilem fratrem

Reg. Lat. 1817 fol. 317rv — die 27 aprilis 1552

Dilectis filiis populo civitatis et diocesis Sancte Marthe salutem etc. Hodie venerabilem fratrem nostrum Iohannem episcopum Sancte

Marthe nuper del Rio de la Plata a vinculo quo ecclesie del Rio de la Plata cui tunc preerat tenebatur de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolvimus et ad ecclesiam Sancte Marthe in partibus occidentalis maris Oceani tunc per obitum bone memorie Martini olim episcopi Sancte Marthe extra Romanam curiam defuncti pastoris solatio destitutam de simili consilio apostolica auctoritate transtulimus ipsumque illi in episcopum et pastorem prefecimus curam et administrationem ipsius ecclesie Sancte Marthe sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Quocirca etc. mandantes quatinus eundem Iohannem episcopum tamquam patrem et pastorem animarum vestrarum devote suscipientes et debita honorificentia pertractantes eius monitis et mandatis salubribus humiliter intendatis ita quod ipse Iohannes episcopus in vobis devotionis filios et vos in eo per consequens patrem benivolum invenisse gaudeatis. Datum ut supra.

167c

Hodie venerabilem fratrem

Reg. Lat. 1817 fol. 317v — die 27 aprilis 1552

Dilectis filiis universis vassallis ecclesie Sancte Marthe salutem etc. Hodie venerabilem fratrem nostrum Iohannem episcopum Sancte Marthe etc. ut supra usque continetur. Quocirca etc. mandamus quatinus eundem Iohannem episcopum tamquam patrem et pastorem animarum vestrarum devote suscipientes et debita honorificentia prosequentes ei fidelitatem solitam necnon consueta servitia et iura sibi a vobis debita exhibere integre studeatis alioquin sententiam sive penam quam idem Iohannes episcopus rite tulerit sive statuerit in rebelles ratam habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum ut supra.

167d

Hodie venerabilem fratrem

Reg. Lat. 1817 fol. 317v-318r die 27 aprilis 1552

Dilectis filiis capitulo ecclesie Sancte Marthe salutem etc. Hodie venerabilem fratrem nostrum etc. ut supra usque continetur. Quocirca etc. mandamus quatinus eidem Iohanni episcopo tamquam patri et pastori animarum vestrarum humiliter intendentes ac exhibentes sibi obedientiam et reverentiam debitas et devotas eius salubria monita et mandata suscipiatis humiliter et efficaciter adimplere curetis alioquin sententiam quam idem Iohannes episcopus rite tulerit in rebelles ratam habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum ut supra.

167e

Hodie venerabilem fratrem

Reg. Lat. 1817 fol. 318r die 27 aprilis 1552

Dilectis filiis clero civitatis et diocesis Sancte Marthe salutem etc. Hodie venerabilem fratrem nostrum Iohannem episcopum etc. ut supra usque continetur. Quocirca etc. mandamus quatinus eidem Iohanni episcopo tamquam patri et pastori animarum vestrarum humiliter

intendentes ac exhibentes sibi obedientiam et reverentiam debitas et devotas eius salubria monita et mandata suscipiatis humiliter et efficaciter adimplere curetis alioquin sententiam quam idem Iohannes episcopus rite tulerit in rebelles ratam habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum ut supra.

167f

Ad cumulum tuae cedit salutis

Reg. Lat. 1817 fol. 318rv — die 27 aprilis 1552

Venerabili fratri archiepiscopo Sancti Dominici salutem etc. Ad cumulum tue cedit salutis et fame si personas ecclesiasticas presertim pontificali dignitate preditas divine propitiationis intuitu opportuni presidii et favoris gratia prosequaris. Hodie siquidem venerabilem fratrem nostrum etc. ut supra usque continetur. Cum igitur ut idem Iohannes episcopus in commissa sibi predicte ecclesie Sancte Marthe cura facilius proficere valeat tuus favor sibi fore noscatur plurimum opportunus fraternitatem tuam rogamus et ortamur attente tibi per apostolica scripta mandantes quatinus eundem Iohannem episcopum et predictam ecclesiam Sancte Marthe suffraganeam tuam habens pro nostra et apostolice Sedis reverentia propensius commendatos in ampliandis et conservandis iuribus suis sic eos tui favoris auxilio prosequaris quod ipse Iohannes episcopus per tue auxilium gratie se possit in commisso sibi eiusdem ecclesie Sancte Marthe regimine utilius exercere tuque divinam misericordiam et nostram ac apostolice Sedis benedictionem et gratiam valeas exinde uberius promereri. Datum ut supra.

167g

Gratiae divinae praemium

Reg. Lat. 1817 fol. 318v die 27 aprilis 1552

Charissimo in Christo filio Carolo Romanorum Imperatori semper Augusto et charissime in Christo filie Iohanne Hispaniarum Regine illustri salutem etc. Gratie divine premium et humane laudis preconium acquiritur si per seculares principes ecclesiarum prelatis presertim pontificali dignitate preditis opportuni favoris presidium et honor debitus impendatur. Hodie siquidem venerabilem fratrem nostrum Iohannem episcopum etc. continetur. Cum itaque filii charissimi sit virtutis opus Dei ministros benigno favore prosequi ac eos verbis et operibus pro regis eterni gloria venerari magestatem vestram regiam cum tu fili Carole etiam Hispaniarum Rex existas rogamus et ortamur attente quatinus eundem Iohannem episcopum et ecclesiam Sancte Marthe predictam sue cure commissam habentes pro nostra et apostolice Sedis reverentia propensius commendatos in ampliandis et conservandis iuribus suis sic eos vestri favoris presidio prosequamini quod idem Iohannes episcopus vestri favoris fultus presidio in commisso sibi dicte ecclesie Sancte Marthe regimine possit, Deo propitio, prosperari ac vobis exinde a Deo perennis vite premium et a nobis condigna proveniat actio gratiarum. Datum ut supra.

167h

Apostolicae Sedis consueta clementia

Reg. Lat. 1817 fol. 318v-319r die 27 aprilis 1552

Venerabili fratri Iohanni episcopo del Rio de La Plata salutem etc. Apostolice Sedis consueta clementia ne dispositiones per eam de cathedralibus ecclesiis pro tempore facte valeant quomodolibet impugnari sed persone ad eas promovende illis puro corde et sincera conscientia presidere possint remedia, prout convenit adibet opportuna. Cum itaque nos hodie te a vinculo quo ecclesie del Rio de La Plata cui preesse dinosceris teneris de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolvere et ad ecclesiam Sancte Marthe in partibus occidentalibus maris Oceani ad presens certo modo pastoris solatio destitutam de simili consilio apostolica auctoritate transferre teque illi in episcopum et pastorem preficere intendamus nos ne si forsan aliquibus sententiis, censuris et penis ecclesiasticis ligatus sis translatio et prefectio predicte possint propterea quomodolibet impugnari providere volentes teque a quibusvis excommunicationis etc. existis ad hoc dumtaxat ut translatio et prefectio predicte ac singule littere apostolice desuper conficiende suum sortiantur effectum auctoritate prefata tenore presentium absolvimus et absolutum fore nunciamus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac dicte ecclesie Sancte Marthe iuramento confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo etc. nostre absolutionis et nuntiationis etc. Siquis etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo, quinto kalendas maii anno tertio.

167i

Cum nos hodie

Reg. Lat. 1817 fol. 319v — die 27 aprilis 1552

Venerabilibus fratribus Cuben. et Sancti Iohannis de Puerto Rico episcopis salutem etc. Cum nos hodie venerabilem fratrem nostrum Iohannem episcopum Sancte Marthe nuper del Rio de La Plata a vinculo quo ecclesie del Rio de La Plata cui tunc preerat tenebatur de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absol-

vimus et ad ecclesiam Sancte Marthe in partibus occidentalibus maris Occeani tunc certo modo pastoris solatio destitutam de simili consilio apostolica auctoritate transtulerimus preficiendo ipsum illi in episcopum et pastorem, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Nos ipsius Iohannis episcopi in partibus illis degentis ne propter hoc ad Sedem apostolicam accedendo personaliter laborare cogatur volentes parcere laboribus et expensis fraternitati vestre etc. mandamus quatinus vos vel alter vestrum ab eodem Iohanne episcopo nostro et Romane ecclesie nomine fidelitatis debite solitum recipiatis seu recipiat iuramentum iuxta formam quam sub bulla nostra mittimus introclusam ac formam huiusmodi iuramenti quod idem Iohannes episcopus prestabit nobis de verbo ad verbum per eius patentes litteras suo sigillo munitas per proprium nuntium quantotius destinare curetis. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo, quinto kalendas maii anno tertio.

168

Super specula

Reg. Lat. 1817 fol. 320r-322v — die 27 iunii 1552

ERECTIO ECCLESIAE DE *LA PLATA* (CARCASSENSIS) IN BOLIVIA

Inter provincias noviter repertas regio *Charcas* et *Collax* (Bolivia) invenitur *cuius incolae divinae legis expertes existunt* et ubi plures iam christiani habitant. Supplicationibus imperatoris Caroli, cuius temporali ditioni illa regio subiecta est, Summus Pontifex oppidum *La Plata* in civitatem et in ea ecclesiam cathedralem sub invocatione beatae Mariae erigit pro uno episcopo, cui praedicationem verbi Dei et curam animarum confidit. Nova dioecesis archiepiscopo Civitatis Regum (*Lima*) iure metropolitico subicitur. Episcopo licentia conceditur percipiendi decimas et primitias pro sustentatione mensae episcopalis. Episcopus insigniis et privilegiis gaudet sicuti episcopi in Hispania. Imperator limites novae dioecesis statuet et mensae episcopali redditus annuos ducentorum ducatorum auri assignet donec fructus ipsius mensae ad eundem valorem ascendant. Ius patronatus praesentandi imperatori conceditur.

Iulius III

Ad perpetuam rei memoriam. Super specula militantis ecclesie meritis licet imparibus divina dispositione locati ad universas urbis provincias et loca presertim omnipotentis Dei misericordia per catholicos reges et principes ab infidelibus et barbaris nationibus nostris temporibus recuperata et acquisita aciem nostre meditationis passim reflectimus ut in locis ipsis dignioribus titulis decoratis plantetur christiana religio et eorum incole ac habitatores venerabilium presulum doctrina et auctoritate suffulti proficiant semper in fide, et quod in temporalibus sunt adepti non careant in spiritualibus incremento, opem et operam libenter impendimus efficaces. Sane cum inter ceteras provincias in insulis Indiarum maris Oceani auspiciis charissimi in Christo filii nostri Caroli Romanorum Imperatoris semper Augusti, qui etiam Castelle et Legionis Rex existit, noviter repertis sit una telus Charcas et Collax nuncupati, cuius incole divine legis expertes existunt et in qua licet plures christiani inibi habitent nulla tamen cathedralis ecclesia adhuc erecta existi; et idem Carolus Imperator et Rex pio affectu desideret in dicta provincia eius temporali dictioni subiecta illius gloriosissimi nominis cultum, cuius est orbis terrarum et plenitudo eius ac universi qui in eo habitant ampliari ac incolas predictos ad lucem veritatis produci, animarumque salutem propagari ac propterea oppidum de La Plata nuncupatum in dicta provincia situm, in civitatem et in ea cathedralem erigi, nos habita super hiis cum fratribus nostris deliberatione matura de illorum consilio prefato Carolo Imperatore et Rege super hoc nobis humiliter supplicante, ad omnipotentis Dei laudem et gloriam ac gloriosissime eius genitricis virginis Marie totiusque curie celestis honorem et ipsius fidei exaltationem, oppidum predictum in civitatem que de La Plata nuncupatur ac in ea cathedralem ecclesiam sub invocatione eiusdem beate Marie pro uno episcopo de La Plata nuncupando qui dictam ecclesiam construi faciat in ea illiusque civitate et diocesi verbum Dei predicari procuret et predicet, ac eorum incolas infideles ad orthodoxe fidei cultum convertat ac conversos in eadem fide instruat et confirmet, eisque baptismi gratiam impendat ac tam illis sic conversis, quam aliis omnibus fidelibus in civitate et diocesi huiusmodi pro tempore degentibus ac ad eas declinantibus sacramenta ecclesiastica et alia spiritualia ministret ac ministrari etiam faciat et procuret, necnon in ecclesia et civitate et diocesi predictis alias episcopalem iurisdictionem auctoritatem et potestatem libere exercere valeat ac dignitates, canonicatus et prebendas, aliaque beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura erigat et instituat

ac alia spiritualia conferat et seminet prout divini cultus augmento et ipsorum incolarum animarum saluti expedire cognoverit et qui archiepiscopo Civitatis Regum pro tempore existenti iure metropolitico subsit ac ex omnibus inibi provenientibus preterquam ex auro et argento ac aliis metallis, gemmis et lapidibus preciosis que pro tempore existentibus Castelle et Legionis Regibus quoad hoc libera esse decernimus decimas et primitias de iure debitas ceteraque episcopalia iura prout alii in Hispania episcopi de iure vel consuetudine exigunt et percipiunt exigere et percipere libere et licite valeat cum sede et mensa ac aliis insigniis ac iurisdictionibus episcopalibus necnon privilegiis immunitatibus et gratiis quibus alie cathedrales ecclesie ac illorum presules in eadem Hispania de iure vel consuetudine utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, auctoritate apostolica tenore presentium perpetuo erigimus et instituimus ac eidem ecclesie oppidum predictum sic per nos in civitatem erectum pro civitate et partem dicte provincie quam ipse Carolus Imperator et Rex positis limitibus quos dictus Carolus Imperator et pro tempore existens Castelle et Legionis Rex dum et quando ac quotiens sibi expedire videbitur in totum vel in partem augere, extendere et mutare libere et licite valeat, statuerit et statim mandaverit pro diocesi ipsarumque civitatis et diocesis incolas et habitatores pro clero et populo concedimus et concedimus, necnon illius mense episcopali predicte pro eius dote redditus annuos ducentorum ducatorum auri de camera per ipsum Carolum Imperatorem et Regem ex redditis annuis ad eum in dicta provincia spectantibus assignandos donec fructus ipsius mense ad valorem ducentorum ducatorum similium ascendant annuatim exnunc prout ex tunc et contra postquam assignati fuerint applicamus et appropriamus, et insuper ius patronatus et presentandi infra annum propter loci distantiam personas idoneas ad erectam ecclesiam predictam quotiens illius vacatio hac prima vice excepta pro tempore occurrerit romano pontifici pro tempore existenti per eum in eiusdem ecclesie episcopum et pastorem ad presentationem huiusmodi preficiendum, necnon ad dignitates, canonicatus et prebendas, ac beneficia erigenda tam ab eorum primeva erectione huiusmodi, postquam erecta fuerint quam extunc deinceps pro tempore vacantia episcopo de La Plata pro tempore existenti similiter per eum ad presentationem huiusmodi in ipsis dignitatibus, canonicatibus et prebendis ac beneficiis instituendis predicto Carolo Imperatori et pro tempore existenti Castelle et Legionis Regi de simili consilio, auctoritate et tenore supradictis in perpetuum reservamus, concedimus et assignamus. Nulli etc. Siquis etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo, quinto kalendas iulii anno tertio.

169a

Apostolatus officium

Reg. Lat. 1817 fol. 323r-324v — die 27 iunii 1552
Bull. Praed. V 38
BM II 1182

PROVISIO ECCLESIAE DE *LA PLATA* (CARCASSENSIS) IN BOLIVIA

Summus Pontifex Thomam de Sancto Martino, Ordinis Fratrum Praedicatorum professorem et provinciae *Charcas* Ordinis sui priorem et provincialem, episcopum Ecclesiae de *La Plata* noviter erectae praeficit. Provisio haec clero et populo civitatis et dioecesis de *La Plata* atque imperatori et reginae nuntiatur, necnon archiepiscopo Civitatis Regum (*Lima*). Electus episcopus vero a sententiis et poenis ecclesiasticis quibus forsan ligatus existit absolvitur, ne provisio impugnari possit, eique facultas conceditur, ut a quocumque maluerit catholico Antistite munus consecrationis suscipere possit, assistentibus sibi duobus vel tribus episcopis, iuramento fidelitatis consueto ritu praestito.

Iulius III

Dilecto filio Thome [1] electo de La Plata salutem etc. Apostolatus officium meritis licet imparibus nobis ex alto commissum quo ecclesiarum omnium regimini divina dispositione presidemus utiliter exequi coadiuvante Domino cupientes solliciti corde reddimur et solertes, ut

[1] Thomas de Sancto Martino (Sanmartín) natus est die 7 martii 1482 in *Córdoba*, Ordini Fratrum Praedicatorum nomen dedit 1498, cum primis Dominicanis in Novum Mundum venit; episcopus ordinatus est in *Madrid*; mortuus est mense martii 1554 in *Lima*. *Egaña* 91-92.

cum de ecclesiarum ipsarum regiminibus agitur committendis tales eis in pastores preficere studeamus, qui populum sue cure creditum sciant non solum doctrina verbi, sed etiam exemplo boni operis informare commissasque sibi ecclesias in statu pacifico et tranquillo velint et valeant, auctore Domino, salubriter regere et feliciter gubernare. Dudum siquidem provisiones omnium ecclesiarum apud Sedem apostolicam tunc vacantem et in antea vacaturarum ordinationi et dispositioni nostre reservavimus decernentes extunc irritum et inane si secus super hiis a quoquam etc. attemptari. Postmodum vero ecclesia de La Plata quam nos hodie in provincia de las Charcas et Collao nuncupata in insulis Indiarum maris Oceani noviter repertis consistentem in cathedralem ex certis causis de fratrum nostrorum consilio apostolica auctoritate ereximus et instituimus et ad quam iuspatronatus et presentandi romano pontifici pro tempore existenti infra annum propter loci distantiam personam idoneam quotiens illius vacatio ea prima vice excepta pro tempore occurrerit charissimo in Christo filio nostro Carolo Romanorum Imperatori semper Augusto qui etiam Castelle et Legionis Rex existit ac pro tempore existenti Castelle et Legionis Regi de simili consilio dicta auctoritate reservavimus prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur ab eius primeva erectione huiusmodi apud sedem predictam vacante nos ad provisionem eiusdem ecclesie celerem et felicem de qua nullus praeter nos ea vice se intromittere potuit sive potest reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne ecclesia ipsa longe vacationis exponatur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes post deliberationem quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus ipsis habuimus diligentem demum ad te ordinis fratrum predicatorum professorem in presbiteratus ordine constitutum et dicte provincie iuxta morem ipsius ordinis priorem provincialem cui apud nos de litterarum scientia, vite mundicia, honestate morum, spiritualium providentia et temporalium circumspectione, aliisque multiplicum virtutum donis fidedigna testimonia perhibentur, direximus oculos nostre mentis quibus omnibus debita meditatione pensatis de persona tua nobis et eisdem fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta prefate ecclesie de simili eorundem fratrum consilio dicta auctoritate providemus, teque illi in episcopum preficimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratias et largitur premia confidentes quod dirigente Domino actus tuos predicta ecclesia sub tuo felici regimini regetur utiliter et prospere dirigetur ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Iugum igitur Domini tuis impositum humeris prompta

devotione suscipiens curam et administrationem predictas sic exercere studeas sollicite, fideliter et prudenter quod ecclesia ipsa gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat si commissam, tuque preter eterne retributionis premium nostram et dicte Sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo, quinto kalendas iulii anno tertio.

169b

Hodie Ecclesiae de La Plata

Reg. Lat. 1817 fol. 325rv die 27 iunii 1552

Dilectis filiis clero civitatis et diocesis de La Plata salutem etc. Hodie ecclesie de La Plata quam nos etiam hodie in provincia de Las Carcas et Collao in insulis Indiarum maris Oceani noviter repertis consistentem in cathedralem ex certis causis de fratrum nostrorum consilio apostolica auctoritate ereximus et instituimus ac cui oppidum de La Plata nuncupatum in dicta provincia situm etiam per nos in civitatem erectum pro civitate necnon certam partem ipsius provincie per eius diocesis ipsarumque civitatis et diocesis incolas et habitatores pro clero et populo concessimus et assignavimus tunc a primeva eius erectione huiusmodi vacanti de persona dilecti filii Thome electi de La Plata nobis et eisdem fratribus ob suorum exigentiam meritorum accepta de simili consilio dicta auctoritate providimus ipsumque illi in episcopum prefecimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Quocirca etc. mandamus quatinus eidem Thome electo tamquam patri et pastori animarum vestrarum humiliter intendentes ac exhibentes sibi obedientiam et reverentiam debitas et devotas eius salubria monita et mandata suscipiatis humiliter et efficaciter adimplere curetis alioquin sententiam quam idem Thomas electus rite tulerit in rebelles ratam habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum ut supra.

169c

Hodie Ecclesiae de La Plata

Reg. Lat. 1817 fol. 325v-326r die 27 iunii 1552

Dilectis filiis populo civitatis et diocesis de La Plata salutem etc. Hodie ecclesie de La Plata quam nos etiam hodie etc. continetur. Quocirca universitatem vestram monemus et hortamur attente vobis per apostolica scripta mandantes quatinus eundem Thomam electum tamquam patrem et pastorem animarum vestrarum devote suscipientes et debita honorificentia pertractantes eius monitis et mandatis salubribus humiliter intendatis ita quod ipse Thomas electus in vobis devotionis filios et vos in eo per consequens patrem benivolum invenisse gaudeatis. Datum ut supra.

169d

Gratiae divinae praemium

Reg. Lat. 1817 fol. 326rv die 27 iunii 1552

Charissimo in Christo filio Carolo Romanorum Imperatori semper Augusto et charissime in Christo filie Ioanne Castelle et Legionis Regine illustri salutem etc. Gratie divine premium et humane laudis preconium etc. impendatur. Hodie siquidem ecclesie de La Plata

quam nos etiam hodie etc. continetur. Cum itaque fili carissimi sit virtutis opus Dei ministros benigno favore prosequi ac eos verbis et operibus pro regis eterni gloria venerari serenitatem vestram cum tu fili Carole etiam Castelle et Legionis Rex existas rogamus et hortamur attente quatinus eundem Thomam electum et ecclesiam predictam sue cure commissam habentes pro nostra et apostolice Sedis reverentia propensius commendatos in ampliandis et conservandis iuribus suis sic eos benigni favoris auxilio prosequamini quod idem Thomas electus vestri favoris fultus presidio in commisso sibi dicte ecclesie regimine possit, Deo propitio, prosperari ac vobis exinde a Deo perennis vite premium et a nobis condigna proveniat actio gratiarum. Datum ut supra.

169e

Ad cumulum tuae cedit salutis

Reg. Lat. 1817 fol. 326v-327r — die 27 iunii 1552

Venerabili fratri archiepiscopo Civitatis Regum salutem etc. Ad cumulum tue cedit salutis et fame si personas ecclesiasticas presertim pontificali dignitate preditas etc. prosequaris. Hodie siquidem ecclesie de La Plata quam nos etiam hodie etc. continetur. Cum igitur ut idem Thomas electus in commissa sibi predicte ecclesie cura facilius proficere valeat tuus favor ei fore noscatur plurimum opportunus fraternitatem tuam rogamus et hortamur attente, tibi etc. mandantes quatinus eundem Thomam electum et predictam ecclesiam sibi commissam suffraganeam tuam habeas pro nostra et apostolice Sedis reverentia propensius commendatos in ampliandis et conservandis iuribus suis sic eos tui favoris presidio prosequaris quod ipse Thomas electus per tue auxilium gratie se possit in commisso sibi eiusdem ecclesie regimine utilius exercere, tuque divinam misericordiam et nostram ac eiusdem Sedis benedictionem et gratiam exinde uberius promereri. Datum ut supra.

169f

Apostolicae Sedis consueta clementia

Reg. Lat. 1817 fol. 327rv die 27 iunii 1552

Dilecto filio Thome de Sancto Martino ordinis fratrum Predicatorum professori salutem etc. Apostolice Sedis consueta clementia ne dispositiones per eam de cathedralibus ecclesiis etc. opportuna. Cum itaque nos hodie ecclesie de La Plata quam nos etiam hodie in provincia de Las Charcas et Collao nuncupata in insulis Indiarum maris Oceani noviter repertis consistentem in cathedralem ex certis causis de fratrum nostrorum consilio apostolica auctoritate ereximus et instituimus a primeva eius erectione huiusmodi ad presens vacanti de persona tua nobis et fratribus ipsis ob tuorum exigentiam meritorum accepta de simili consilio dicta auctoritate providere teque illi in episcopum et pastorem preficere intendamus, nos ne si forsan aliquibus sententiis, censuris et penis ecclesiasticis ligatus sis provisio et prefectio predicte possint propterea quomodolibet impugnari providere volentes te a quibusvis excommunicationis etc. existis ad hoc dumtaxat ut provisio et prefectio predicte ac singule littere apostolice desuper conficiende suum sortiantur effectum auctoritate predicta tenore presentium absolvimus et absolutum fore nunciamus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo, quinto kalendas iulii anno tertio.

169g

Cum nos pridem

Reg. Lat. 1817 fol. 327v-328v die 28 iunii 1552

Dilecto filio Thome electo de La plata salutem etc. Cum nos pridem ecclesie de La Plata tunc a primeva eius erectione per nos facta de persona tua nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorundem consilio Apostolica auctoritate duxerimus providendum preficiendo te illi in episcopum et pastorem, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur, nos ad ea que ad tue dignitatis augmentum cedere valeant favorabiliter intendentes tuis in hac parte supplicationibus inclinati tibi presbitero ut a quocumque malueris catholico antistite gratiam et communionem apostolice Sedis habente accitis et in hoc sibi assistentibus duobus aut tribus catholicis episcopis similes gratiam et communionem habentibus munus consecrationis recipere valeas, ac eidem antistiti ut recepto prius a te per eum nostro et Romane ecclesie nomine fidelitatis debite solito iuramento iuxta formam presentibus annotatam munus predictum auctoritate nostra impendere libere tibi possit plenam et liberam earundem tenore presentium concedimus facultatem. Volumus autem et auctoritate predicta statuimus et decernimus quod si non recepto prius a te per ipsum antistitem predicto iuramento idem antistes munus ipsum tibi impendere et tu illud suscipere presumpseritis dictus antistes a pontificalis offitii exercitio ac tam ipse quam tu ab administratione tam spiritualium quam temporalium ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso. Preterea etiam volumus quod formam huiusmodi a te tunc prestiti iuramenti nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo munitas per proprium nuncium quantocitius destinare procures quodque per hoc venerabili fratri nostro archiepiscopo Civitatis Regum cui ecclesiam ipsam metropolitico iure voluimus subesse nullum imposterum preiudicium generetur. Forma autem

iuramenti quod prestabis hec est: Ego Thomas electus de La Plata etc. evangelia. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo, quarto kalendas iulii anno tertio.

170

Cum nos nuper

Arm. XLI 64 fol. 414r die 28 iunii 1552

EPISCOPUS UT NOMINATIONEM ACCIPIAT IUBETUR

Summus Pontifex Ioanni de Sancto Francisco Ordinis Minorum episcopo electo dioecesis de *Yucatán* quae ad iuspatronatus regis Hispaniae pertinet, in virtute sanctae oboedientiae districte praecipit, ut omni excusatione et subterfugio cessante, nomminationem accipiat.

Iulius III

Dilecto filio Ioanni de Sancto Francisco [1], electo Yuchatanen. et Coçumen. Indiarum maris Occeani.

Dilecte fili salutem etc. Cum nos nuper ecclesie Yuchatanen. et Coçumen. Indiarum maris Occeani, que de iure patronatus charissimi in Christo filii nostri Caroli, Romanorum Imperatoris semper Augusti, qui etiam Castelle et Legionis Rex Catholicus existit, ex privilegio Apostolico, cui non est hactenus in aliquo derogatum, esse dignosci-

[1] Ioannes de Sancto Francisco natus est in oppido *Veas*, Hispania, Ordini Fratrum Minorum nomen dedit; anno 1541 episcopus de *Yucatán* nominatus est, sed munus recusavit; mortuus est die 30 iulii anno 1556 in *México*. BM II 640.

tur, tunc certo modo vacanti de tua etiam tunc ordinis fratrum minorum professoris persona, quam prefatus Carolus Imperator et Rex nobis ad hoc presentaverat, de fratrum nostrorum consilio providerimus preficiendo te illi in episcopum et pastorem, prout in nostris inde sub plumbo confectis litteris plenius continetur, nos te eidem ecclesie in spiritualibus et temporalibus plurimum fructuosum fore sperantes tibi in virtute sancte obedientie districte precipiendo mandamus, quatinus omni excusatione seu subterfugio cessante provisionem et prefectionem predictas acceptes, et illas ratas et gratas habeas, ac onus pastoralis officii tibi impositus devote suscipias, et illud sic salubriter exercere studeas, quod exinde spectati fructus adveniant, et tu eterne retributionis premium assequi merearis, decernentes te propterea regularibus dicti ordinis institutis minime contravenire, nec aliquas censuras sive penas in eis forsan contentas incurrere. Non obstantibus quibusvis privilegiis et indultis Apostolicis eidem ordini sub quibuscumque tenoribus et formis concessis et approbatis, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die 28 Iunii 1552, anno 3°.

171

Cum nos nuper

Arm. XLI 64 fol. 416r die 28 iunii 1552

EPISCOPUS UT NOMINATIONEM ACCIPIAT IUBETUR

Summus Pontifex Alphonso de la Cruz Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini, episcopo electo dioecesis de *Nicaragua,* quae ad iuspatronatus regis Hispaniae pertinet, in virtute sanctae oboedientiae districte praecipit, ut omni excusatione seu subterfugio cessante nominationem accipiat.

Iulius III

Dilecto filio Alphonso de la Cruz [1], electo Nicaraguan. Indiarum maris Occeani.

Dilecte fili, salutem etc. Cum nos nuper ecclesiae Nicaraguan. Indiarum maris Oceani, que de iure patronatus charissimi in Christo filii nostri Caroli, Romanorum Imperatoris semper Augusti, qui etiam Castelle et Legionis Rex Catholicus existit, ex privilegio Apostolico, cui non est hactenus in aliquo derogatum, esse dignoscitur, tunc certo modo vacanti de tua etiam tunc ordinis fratrum heremitarum Sancti Augustini professoris persona, quam predictus Carolus Imperator et Rex nobis ad hoc presentaverat providerimus preficiendo te illi in episcopum et pastorem, prout in nostris inde sub plumbo confectis litteris plenius continetur, nos te eidem ecclesie in spiritualibus et temporalibus plurimum fructuosum fore sperantes, tibi in virtute sancte obedientie districte precipiendo mandamus, quatinus omni excusatione seu subterfugio cessante, provisionem et prefectionem predictas acceptes, et illas ratas et gratas habeas, ac onus pastoralis officii tibi impositus devote suscipias et illud sic salubriter exercere studeas, quod exinde spectati fructus adveniant, et tu eterne retributionis premium assequi merearis, decernentes te propterea regularibus dicti ordinis institutis minime contravenire, nec aliquas censuras sive penas in eis forsan contentas incurrere. Non obstantibus quibusvis privilegiis et indultis Apostolicis eidem ordini sub quibuscumque tenoribus et formis concessis, approbatis, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die 28 Iunii 1552, anno 3°.

---

[1] Alphonsus de la Cruz, Ordinis Eremitarum Sancti Augustini.

172

Cum nos nuper

Arm. XLI 64 fol. 415r — die 28 iunii 1552

EPISCOPUS UT NOMINATIONEM ACCIPIAT IUBETUR

Summus Pontifex Gregorio de Beteta Ordinis Praedicatorum, episcopo electo dioecesis de *Cartagena,* quae ad iuspatronatus regis Hispaniae pertinet, in virtute sanctae oboedientiae districte praecipit, ut omni excusatione seu subterfugio cessante, nominationem accipiat.

Iulius III

Dilecto filio Gregorio de Betetta [1] electo Carthaginen. Indiarum maris Occeani.

Dilecte fili, salutem etc. Cum nos nuper ecclesie Carthaginen. Indiarum maris Oceani, que de iure patronatus charissimi in Christo filii nostri Caroli, Romanorum Imperatoris semper Augusti, qui etiam Castelle et Legionis Rex Catholicus existit, ex privilegio Apostolico, cui non est hactenus in aliquo derogatum, esse dignoscitur, tunc certo modo vacanti de tua etiam tunc ordinis fratrum predicatorum professoris persona, quam predictus Carolus Imperator et Rex nobis ad hoc presentaverat, de fratrum nostrorum consilio providerimus preficiendo te illi in episcopum et pastorem, prout in nostris inde sub plumbo confectis litteris plenius continetur, nos te eidem ecclesie in spiritualibus et temporalibus plurimum fructuosum fore sperantes tibi in virtute sancte obedientie districte precipiendo mandamus, quatinus omni excusatione seu subterfugio cessante, provisionem et prefectionem predictas acceptes, et illas ratas et gratas habeas, ac onus pastoralis officii tibi impositi devote suscipias, et illud sic salubriter exercere studeas, quod exinde spectati fructus adveniant, et tu eterne retributionis premium assequi merearis, decernentes te propterea regularibus dicti ordinis institutis minime contravenire, nec aliquas censuras sive penas in eisdem institutis forsan contentas incurrere. Non obstantibus quibusvis privilegiis et indultis Apostolicis eidem ordini sub quibus-

---

[1] Gregorius de Beteta, oriundus de *Léon*, Hispania, Ordini fratrum Praedicatorum nomen dedit, anno 1533 in Novam Hispaniam se contulit, evangelizavit in insula *Sancti Dominici, México, Florida, Cartagena, Urabá, Santa Marta, Trinidad*; nominationem suam accipere noluit, sed Iulius III iussit ei ut nominationem acciperet; Romam venit, munere se abdicavit; mortuus est anno 1562 in *Toledo. J.M. Beristain de Souza* I 196; *Egaña* 29-30; BM II 440.

cumque tenoribus et formis concessis et approbatis, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum, die 28 Iunii 1552, Anno 3°.

173

Tuis exigentibus meritis

Arm. XLI 65 fol. 230rv | die 27 augusti 1552

DE ORDINATIONE EPISCOPI ELECTI DIOECESIS DE *LA PLATA*

Quia copia Antistitum ad consecrandum novum episcopum electum facile haberi nequit in illis regionibus, facultas conceditur ut ab uno episcopo, assistentibus sibi duobus seu tribus abbatibus aut aliis personis ecclesiasticis, ordinari possit.

Iulius III

Dilecto filio Thome de Sancto Martino [1], electo de la Plata.

Dilecte fili, salutem etc. Tuis exigentibus meritis inducimur, ut commoditatibus tuis quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Nuper siquidem ecclesia de la Plata in Indiis maris Occeani tunc a primeva eius erectione per nos facta vacans, nos de persona tua ecclesie predicte sic vacanti de fratrum nostrorum consilio et Apostolice potestatis plenitudine providimus, teque illi in episcopum prefecimus et pastorem curam et administrationem eiusdem ecclesie

[1] De Thoma de Sancto Martino cfr. supra doc. 169.

tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, ac tibi ut a quocumque malles Catholico Antistite gratiam et communionem Apostolice Sedis habente, accitis et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus Catholicis Antistitibus similes gratiam et communionem habentibus, munus consecrationis recipere valeres inter alia indulsimus, prout in aliis nostris sub plumbo confectis litteris plenius continetur. Cum autem sicut exhibita nobis nuper pro parte tua petitio continebat Cathedrales illarum partium ecclesie, que propter terrarum earundem vastam latitudinem, novamque expugnationem, pauce adhuc fore dignoscuntur, ita ad invicem distent, ut Antistitum copia de facili inibi, vel in locis vicinis, haberi nequeat, nos ad ea, que ad tue commoditatis augmentum peramplius cedere valeant favorabiliter intendere volentes tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi, ut si copia Antistitum ad hoc requisita huiusmodi commoda, ut prefertur, reperiri non poterit, ut a quocumque malueris Catholico Antistite gratiam et communionem Sedis Apostolice habente accitis, et in hoc sibi assistentibus duobus seu tribus abbatibus usum mitre et baculi ex privilegio Apostolico habentibus, seu si abbates huiusmodi haberi nequeant duobus aliis abbatibus vel personis in dignitate ecclesiastica constitutis, per te eligendis, munus consecrationis huiusmodi recipere valeas, ac Antistiti huiusmodi, ut munus predictum, ut prefertur, alias iuxta earundem litterarum tenorem auctoritate nostra tibi impendere posset liberam facultatem et auctoritatem tenore presentium concedimus et elargimur, premissis ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ceterisque in contrarium facientes, non obstantibus quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Marcum 27 Augusti 1552, Anno 3.

174

Cum sicut accepimus

Arm. XLI 65 fol. 272r-274r — die 8 septembris 1552

FACULTATES AMPLISSIMAE PRO EPISCOPO SANCTI SALVATORIS (BRASILIA)

Cum conversione ad fidem catholicam multorum incolarum in partibus Brasiliae necnon adventu plurium christifidelium e regnis Portugalliae et Algarbiorum numerus christifidelium inibi non modicum suscepisset incrementum, dum fideles regionis, qui absolutionibus vel dispensationibus indigeant, propter labores itineris maritimi et maximam distantiam ad Sedem Apostolicam hanc commode adire nequeant et exinde timendum sit, ne ex hac vita in peccato decedant, Summus Pontifex pro animarum salute benigne suscepit supplicationem Ioannis regis et necessarias vel opportunas concessit facultates: absolvendi omnes fideles a quibusvis censuris et poenis necnon a criminibus vel peccatis etiam gravioribus reservatis (exceptis contentis in bulla in Coena Domini legi consueta nisi sit in articulo mortis), et etiam apostatas a fide catholica, si ad gremium matris Ecclesiae humiliter redierint, servatis quidem condicionibus in absolutione consuetis; pariter ab irregularitatibus propter crimina nominata contractis (excepto homicidio voluntario ac bigamia), sive ad utendum ordinibus susceptis sive ad promovendum ad reliquos ordines etiam sacros necnon ad beneficia ecclesiastica obtinenda vel retinenda, exceptis dignitatibus maioribus et principalibus; itidem dispensandi ab impedimentis matrimonialibus attentis exceptionibus notatis et legitimam declarandi prolem susceptam, et absolutos in statum pristinum restituendi; necnon vota quaecumque — exceptis quidem peregrinationis et visitationis inibi nominatis — in alia pietatis opera commutandi. Tandem conceditur ad decennium indulgentia plenaria pro fidelibus qui condicionibus appositis rite expletis ecclesiam Sancti Salvatoris pie visitaverint.

Iulius III

Venerabili fratri moderno episcopo Sancti Salvatoris [1] partium Brasilii.

Venerabilis frater salutem etc. Cum sicut accepimus in partibus Brasilii, sub temporali dominio charissimi in Christo filii nostri Ioannis Portugallie et Algarbiorum Regis Illustris, plerique abiecta eorum infidelitate ad fidem catholicam conversi sint, et alii in dies convertantur, ac plures christifideles ex Portugallie et Algarbiorum Regnis ad partes Brasilii huiusmodi se conferant, sicque inibi christifidelium numerus cum divini cultus augmento, et christiane religionis propa-

[1] Episcopus Ecclesiae Sancti Salvatoris erat Petrus Fernandez. Cfr. supra doc. 161.

gatione non modicum suscipiat incrementum et mare Occeanum inter partes Brasilii et Regna huiusmodi intercedens non nisi multorum dierum spacio, et cum magno periculo transfretari possit, sitque maxima ab eisdem partibus Brasilii ad Sedem Apostolicam distantia, et propterea incole et habitatores partium huiusmodi pro absolutionibus et dispensationibus, quibus illos pro tempore indigere contingit impetrandis ad sedem predictam venire aut mittere commode nequeant, et exinde eis periculum inmineat, ne ex hac vita in peccato decedant, prout iam aliqui decesserunt in grave eorum animarum periculum, nos animarum salutem sinceris zelantes affectibus consideratione predicti Ioannis Regis nobis super hoc, per dilectum filium Alfonsum Dalencastro, preceptorem maiorem militiae Iesu Christi Cistercien. ordinis, ipsius Ioannis Regis consobrinum, et apud nos et dictam sedem oratorem humiliter supplicantis tibi quod omnes et singulos utriusque sexus in partibus Brasilii huiusmodi pro tempore degentes et habitantes, confessionibus eorum per te, vel ad id a te pro tempore deputatos diligenter auditis ab omnibus et singulis excommunicationis, etiam maioris suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa pro tempore latis, inflictis et promulgatis, et quibus ipsi pro tempore irretiti seu illaqueati fuerint, etiam si illarum absolutio eidem sedi specialiter vel generaliter reservata fuerit, ac votorum et iuramentorum, necnon ecclesie mandatorum et preceptorum transgressionibus ac adulterii, incestus, sacrilegii, fornicationis, symoniae ac homicidii mentalis vel causalis realis, necnon membrorum mutilationis reatibus, manuum violentarum in quasvis personas ecclesiasticas, non tamen episcopos aut eorum superiores iniectionibus seu ad id consilii et favoris prestationibus, ieiuniorum et horarum canonicarum ac penitentiarum iniunctarum in toto vel in parte omissionibus, ac quibusvis aliis peccatis, criminibus, excessibus et delictis, quantumcumque gravibus et enormibus etiam talibus, quod de eis sit sedes predicta merito consulenda, in casibus videlicet eidem sedi quomodolibet reservatis, exceptis contentis in bulla in die Cene Domini legi consueta semel in vita cuiuslibet persone et in mortis articulo etiam quoad casus exceptos et in dicta bulla contentos, in aliis vero eidem sedi non reservatis casibus quotiens tibi videbitur, necnon eos, qui a fide catholica recedentes cum infidelibus eorum ritus observando versati fuerint, si ad gremium sancte matris Ecclesie humiliter redierint, et suam a fide Christi appostasiam et idolatriae gentilitatis et infidelitatis errores abiuraverint, nec relapsi sint ab eisdem appostasia ac idolatriae gentilitatis et infidelitatis erroribus, in utroque foro absolvendi et eis pro commissis penitentiam salutarem iniungendi; ac cum quibus personis,

que irregularitatem premissorum, aut homicidii vel mutilationis membrorum in bellis contra infideles gestis commissorum, vel quavis alia non tamen homicidii voluntarii, aut bigamiae occasione incurrerint, etiam si excommunicationis sententia innodati missas et alia divina officia, non tamen in contemptum charnum celebraverint, seu alias se illis inmiscuerint, super irregularitate huiusmodi, quodque omnibus et singulis per eos susceptis ordinibus uti, et ad reliquos omnes etiam sacros et presbiteratus ordines promoveri, et in illis postmodum etiam in altaris ministerio ministrare ac quecumque sine cura se invicem compacientia beneficia ecclesiastica, etiam si canonicatus et prebende dignitates non tamen maiores et principales, personatus administrationes vel officia etiam electiva in Cathedralibus etiam metropolitanis vel collegiatis ecclesiis fuerint, si sibi alias canonice conferantur, aut ipsi eligantur, presententur, vel alias assumantur ad illa, recipere et illa ac per eos obtenta retinere, necnon cum pacientibus defectum natalium, ut ad omnes etiam sacros et presbiteratus ordines promoveri, et in illis postquam promoti fuerint ministrare, ac quecumque, quotcumque et qualiacumque cum cura et sine cura se, ut prefertur, invicem compacientia beneficia ecclesiastica etiam ut prefertur qualificata, dummodo dignitates in metropolitanis vel aliis cathedralibus post pontificales maiores, aut collegiatis ecclesiis huiusmodi principales non sint, ut premittitur, recipere et retinere, necnon cum quibusvis personis quarto aut quarto et tertio mixtum, etiam multiplici consanguinitatis et affinitatis gradibus invicem coniunctis, aut publica honestate iusticiae quomodolibet impeditis, seu que antea per adulterium se polluerint, dummodo in mortem defuncti coniugis quomodocumque machinati non fuerint, et mulier rapta non fuerint, ut in contractis per eos scienter vel ignoranter matrimoniis cum absolutione a censuris, quas scienter contrahendo incurrissent, remanere possint, prolem exinde susceptam legitimam decernendo, dispensandi, omnemque inhabilitatis et infamiae maculam sive notam circa dispensatos super irregularitate premissorum, occasione quomodolibet insurgentem, ab eis penitus abolendi, eosque in pristinum et eum in quo ante premissa quomodolibet erant statum restituendi, reponendi et plenarie reintegrandi, necnon vota quecumque hierosolimitana et visitationis liminum beatorum Petri et Pauli de Urbe, ac Iacobi de Compostella, necnon religionis et castitatis votis dumtaxat exceptis in alia pietatis opera commutandi, plenam et liberam Apostolica auctoritate tenore presentium concedimus facultatem, insuper ut ecclesia Sancti Salvatoris in debita veneratione habeatur, ac christifideles eo libentius devotionis causa ad eam confluant quo ex hoc maiora spiritualia dona se consequi posse cognoverint, de Omnipotentis Dei misericordia et

ipsorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, vere penitentibus et confessis, seu statutis a iure temporibus confitendi, propositum habentibus qui ecclesiam Sancti Salvatoris predictam, in festo nativitatis domini Nostri Iesu Christi, a primis vesperis usque ad occasum solis ipsius festi inclusive, devote visitaverint et pro exaltatione fidei catholicae et augmento reipublicae christianae ad Deum pie oraverint, ac de bonis sibi a Deo collatis eidem ecclesiae Sancti Salvatoris, pro eius fabrica aliquam elemosinam erogaverint, aut legitimo impedimento detenti, eandem ecclesiam per alios devote visitari, et ad Deum orari, ac de bonis suis elemosinam erogari, ut prefertur, fecerint quolibet festo huiusmodi, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, auctoritate et tenore premissis, elargimur presentibus litteris, quas sub quibusvis revocationibus vel suspensionibus, quaruncumque similium vel dissimilium indulgentiarum, in favorem fabricae principis Apostolorum de Urbe, seu cruciate sancte, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam motu proprio et ex certa scientia quomodolibet factis et faciendis nullatenus comprehendi, sed semper ab illis exceptas existere et censeri debere decernimus quoad indulgentiam in visitantibus ecclesiam Sancti Salvatoris huiusmodi concessam post decem annos minime valituris. Non obstantibus premissis et defectu natalium huiusmodi, ac Pictaven. Concilii et quibusvis aliis Apostolicis, necnon in provincialibus et synodalibus Conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ac ecclesiarum in quibus beneficia huiusmodi forsan fuerint etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et litteris Apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque fortioribus, efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis quomodolibet concessis, approbatis et innovatis, quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quevis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et forma in illis tradita observata, inserti forent presentibus pro sufficienter expressis habentes illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Et quia difficile foret presentes litteras ad singula queque loca in quibus de eis fides facienda erit deferri volumus et dicta auctoritate apostolica decernimus quod transumptis

subscriptis et sigillo alicuius persone in dignitate ecclesiastica constitute munitis, eo prorsus fides adhibeatur quod presentibus adhibetur, si forent exhibite vel ostense. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die VIII Septembris 1552, Anno 3°.

175

Exponi nobis nuper

Arm. XLI 65 fol. 355r-357r die 27 septembris 1552

LICENTIA DUCENDI RELIGIOSOS AD PARTES INDIARUM

Recens electus episcopus dioecesis *La Plata* a Summo Pontifice petivit ut sibi liceret quattuor religiosos etiam mendicantium Ordinum secum ad partes Indiarum ducere tamquam praedicatores evangelicae doctrinae et ministros sacramentorum, qui etiam extra monasteria aut domos suorum Ordinum sub suo regulari habitu permanerent. Summus Pontifex votis oratoris annuens concedit, ut *quattuor quorumvis etiam mendicantium ordinum religiosos* quos ipse eligendos duxerit et qui cum ipso se conferre voluerint, ad dictas partes secum ducat eisque permittit, quorumvis eorum superiorum licentia petita licet non obtenta — salva quidem legitima exceptione personam concernenti — extra regularia loca suorum Ordinum permanere et cum oratore sub suo regulari habitu absque apostasiae nota aut censurarum ecclesiasticarum incursu se conferre. In dictis vero partibus et alibi, ubi expediens fuerit, ipsis liceat verbum Dei exponere, audientes ipsos in evangelica doctrina instruere et in vera fide continere; pariter quascumque utriusque sexus personas ab omnibus et singulis earum peccatis vel criminibus etiam enormibus generaliter vel particulariter absolvere et eis pro commissis poenitentiam salutarem iniungere ac sacramentum Eucharistiae ministrare. Dispensare praeterea poterunt in foro conscientiae necnon vota, paucis exceptis, in alia pietatis opera commutare atque elemosynas a christifidelibus recipere et de iisdem libere et licite disponere, ita quidem ut iidem religiosi super praemissis a nullo molestari possint. Contrariis quibuscumque non obstantibus iidem religiosi ab omni suorum superiorum et Ordinariorum auctoritate omnino eximuntur et liberantur.

Iulius III

Dilecto filio Thome de Sancto Martino [1], electo de la Plata.

Dilecte fili salutem etc. Exponi nobis nuper fecisti quod tu ad Ecclesiam tuam de la Plata in partibus Indie existentem, cui alias tunc certo modo pastoris solatio destitute de persona tua nobis ob tuorum exigentiam meritorum grata de venerabilium fratrum nostrorum sancte Romane Ecclesie cardinalium consilio Apostolica auctoritate providimus, teque illi in episcopum prefecimus et pastorem, curam, regimen et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, et sicuti bonum decet pastorem ad ipsam ecclesiam regendam et administrandam cumprimum poteris proficisci intendis, et quia homines in illis partibus commorantes tum ob paucam domini nostri Iesu Christi cognitionem, tum etiam ob paucitatem predicatorum indigent iugi evangelice doctrine instructione, ac propterea tu, quatuor quorumvis etiam mendicantium ordinum religiosos, peritos, idoneos et verbum Dei predicare, ac christifidelium confessiones audire scientes et valentes, qui in tua civitate et diocesi de la Plata, et alibi ubi expediens fuerit ad utilitatem audientium verbum Dei exponant, et confessiones utriusque sexus personarum ad eos undecunque confluentium audiant, et alia sacramenta necessaria eis ministrent, ad dictas partes tecum ducere summopere cupis. Quare nobis humiliter supplicari fecisti, ut tibi dictos quattuor religiosos tecum ad dictas partes ducendi, etiam eis extra monasteria et domos, seu alia regularia loca suorum ordinum sub suo regulari habitu permanendi, et tecum proficiscendi licentiam et facultatem concedere, aliasque in premissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur votis tuis in premissis, quantum cum Deo possumus, annuere cupientes, ac nomina et cognomina dictorum quat-

---

[1] De Thoma de Sancto Martino cfr. supra doc. 169.

Facultas ducendi secum missionarios:

Pro electo de La Plata in Indiis qui ad suam Ecclesiam proficisci intendit. S.V. concedit ei facultatem ducendi secum ad dictas partes Indiarum quattuor religiosos peritos et idoneos pro instruendis hominibus illis in Evangelica doctrina; quorumvis etiam mendicantium ordinum eorum superiorum licentia petita videlicet non obtenta, qui extra regularia eorum loca sub suo regulari habitu permanere, Verbum Dei predicare et in casibus ordinariis reservatis absolvere et dispensare in foro conscientie tantum, ac vota exceptis quatuor principalibus commutare et elemosinas recipere ac in suos honestos usus in vita, causa autem mortis in monasterios suorum utilitatem convertere possint, cum decreto quod propterea a suis superioribus molestari non valeant (Arm. XLI 65 fol. 357v).

tuor religiosorum, necnon ordines quorum ipsi extiterint presentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi quattuor quorumvis etiam mendicantium ordinum religiosos, peritos et idoneos, ut prefertur, quos tu duxeris eligendos, et qui tecum se conferre voluerint, ad dictas partes tecum ducere, et eis quod quorumvis eorum superiorum licentia petita licet non obtenta, nisi superior ex causa legittima ac personam eorundem concernentem huiusmodi licentiam concedere recusaverit, quo casu eam solum extra iudicialiter coram ordinario loci probare teneatur, extra monasteria et domos, seu alia regularia loca dictorum ordinum permanere, et tecum sub suo regulari habitu, absque aposthasiae nota, aut excommunicationis vel aliarum censurarum ecclesiasticarum incursu se conferre. Ac in dictis partibus in civitate et diocesi tuis predictis et alibi, ubi expediens fuerit ad utilitatem audientium verbum Dei exponere, audientes ipsos in evangelica doctrina instruere, et in vera fide continere, necnon quascumque utriusque sexus personas, ad eos undecumque confluentes, et peccata sua eis humiliter confitentes, ab omnibus et singulis earum peccatis, criminibus et delictis quantumcunque gravibus et enormibus, a quibus ordinarii locorum de iure vel consuetudine, aut alias quomodolibet absolvere possunt, eorum confessionibus diligenter auditis quotiens opportunum fuerit, generaliter vel particulariter absolvere, et eis pro commissis penitentiam salutarem iniungere, ac sacramentum Eucharistiae, quocunque anni tempore preterquam in die Pascatis resurrectionis Dominice ministrare. Ac cum eisdem personis in singulis casibus, in quibus predicti ordinarii dispensare possunt in foro conscientiae tantum dispensare, necnon vota quecunque ultra marino visitationis liminum beatorum Apostolorum Petri et Pauli de Urbe, ac Sancti Iacobi in Compostella, necnon castitatis et religionis votis dumtaxat exceptis in alia pietatis opera commutare diocesani loci licentia desuper minime requisita, ac quascunque elemosinas sibi a quibuscunque christifidelibus elargiendas recipere, et in suos honestos usus et utilitatem convertere, ac alias prout sibi visum fuerit in vita, in articulo vero mortis ad utilitatem suorum monasteriorum in quibus professionem emiserunt, de illis disponere libere et licite valeant respective, Apostolica auctoritate predicta et tenore presentium de speciali gratia concedimus et indulgemus. Decernentes eosdem religiosos super premissis a quoque molestari non posse. Non obstantibus Apostolicis ac provincialibus et sinodalibus constitutionibus et ordinationibus, necnon dictorum ordinum etiam iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et litteris Apostolicis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clau-

sulis et decretis eisdem ordinibus eorumque personis et superioribus quomodolibet, etiam iteratis vicibus concessis, approbatis et innovatis, ceterisque contrariis quibuscumque. Nos enim dictos religiosos dum in partibus predictis verbum Dei predicando, et alia premissa faciendo commoraverint a iurisdictione suorum superiorum et quorumcunque ordinariorum Auctoritate et tenore predictis penitus et omnino eximimus et liberamus, et tue tamen iurisdictioni subiicimus, decernentes irritum et inane, si secus super premissis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die 27 septembris 1552, Anno 3°.

176

Cum sicut charissimus

Arm. XLI 71 fol. 326r-327r die 20 iulii 1554

PENURIA RELIGIOSORUM IN TERRIS INDIARUM

Pontifex episcopis in Litteris nominatis tradit quae ipsi Philippo rege Angliae et Hispaniarum principe auctore exposita sunt, etenim quod in insulis et terris Indiarum Maris Oceani hactenus repertis magna sit penuria religiosarum et aliarum ecclesiasticarum personarum, quae populos illarum partium ad veram fidem convertere atque in ea fide instruere et confirmare sciant et velint, quamvis ipse Carolus imperator et Philippus rex iam quas plures et idoneas habere potuerint illuc transmittendas curaverint. Sed cum isti non sufficiant, Pontifex supplicationibus eiusdem regis annuens episcopis committit et mandat, ut tot quot ipsis necessarii videbuntur Ordinum Fratrum Praedicatorum et Minorum ac Eremitarum Sancti Augustini professoribus ad opus evangelizationis habilibus, qui sese ad insulas et terras praedictas pro ea re conferre voluerint, libere accedendi facultatem concedant et provideant, ne super accessu huiusmodi per superiores suos aut quosvis alios quovis modo impediantur vel perturbentur, contradictoribus iuris remediis opportune coercitis.

Iulius III

Venerabilibus fratribus archiepiscopo Hispalen. et Abulen., ac Antonio de Fonseca, olim Pampilonen. episcopis, ac eorum cuilibet.

Venerabiles fratres salutem etc. Cum sicut charissimus in Christo filius noster Philippus Anglie Rex illustris, qui etiam Hispaniarum Princeps existit, et charissimo in Christo filio nostro Carolo Romanorum Imperatore semper Augusto, genitore suo, qui etiam Hispaniarum Rex Catholicus existit, a Regnis Hispaniarum absente, Regna huiusmodi ad presens administrat, nobis nuper exponi fecit in insulis et terris Indiarum Maris Occeani auspiciis eiusdem Caroli Imperatoris hactenus repertis, seu certa earum parte magna sit penuria religiosarum et aliarum ecclesiasticarum personarum, que populos illarum partium ad orthodoxam fidem et verum Dei cultum convertere et conversos baptismatis lavacro regenerare, ac in eadem fide instruere et confirmare, eisque verbum Dei predicare, et Redemptoris nostri domini Iesu Christi Evangelium annunciare sciant et velint, et licet ipsi Carolus Imperator et Philippus Rex iamdudum procuraverint, quas plures potuerunt religiosas et alias ecclesiasticas personas ad premissa idoneas et habiles ad eas insulas et terras, seu partem huiusmodi transmittere. Nihilominus ob numerositatem populorum eorundem, que hactenus illuc accesserunt religiosi et alie ecclesiastice persone ad premissa non sufficiant, sed ad ea multo plures requirantur, et generales ac provinciales magistri et ministri, necnon priores et guardiani fratrum predicatorum et minorum ac heremitarum Sancti Augustini ordinum, tot quot opus est ordinum suorum professores, ad insulas et terras, seu partem huiusmodi transmittendos consignare graventur in animarum singularum personarum populorum huiusmodi, que sepe sine baptismatis gratia, aut penitentie seu Eucharistie sacramento, decedunt perniciem; idem Philippus Rex nobis humiliter supplicari fecit, ut omnibus et singulis ordinum predictorum professoribus ad premissa idoneis et habilibus, qui ad insulas et terras, seu partem huiusmodi pro premissis exequendis se conferre voluerint illuc, etiam absque superiorum suorum licentia libere accedendi facultatem concedere, aliasque in premissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur de premissis certam notitiam non habentes, et populorum eorundem conversionem, regenerationem ac instructionem et confirmationem huiusmodi sinceris desiderantes affectibus huiusmodi, supplicationibus inclinati fraternitati vestre per presentes committimus et mandamus quatinus vos, vel duo aut unus vestrum consideratis omnibus premissis, ac eorum circumstantiis universis tot quot

vobis necessarii videbuntur dictorum ordinum professoribus ad premissa idoneis et habilibus, qui ad insulas et terras, seu partem huiusmodi pro premissis exequendis se conferre voluerint illuc licentia superiorum suorum petita etsi, absque rationabili causa eam denegari nobis visum fuerit, super quo conscientiam vestram oneramus tunc, etiam absque dictorum superiorum licentia libere accedendi facultatem et potestatem concedere, simul vel successivis concedere, ac eis ne super accessu huiusmodi per superiores suos, aut quosvis alios quavis, etiam Apostolica auctoritate fungentes quovis modo impediantur, aut alias premissorum occasione molestentur seu vexentur, vel perturbentur assistere, necnon contradictores quoslibet et rebelles ac vobis in premissis non parentes per sententias, censuras et penas ecclesiasticas, ac etiam pecuniarias, arbitrio vestro moderandas et applicandas, ac alia opportuna iuris et facti remedia appellatione postposita compescere, aliaque in premissis necessaria, seu alias quomodolibet opportuna facere te exequi, auctoritate nostra curetis. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ac dictorum ordinum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et litteris Apostolicis, eisdem ordinibus, ac eorum prelatis et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, etiam motu proprio, et ex certa scientia, ac de Apostolice potestatis plenitudine, aut alias quomodolibet concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis et innovatis, quibus omnibus etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quevis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma servanda esset, tenorem huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et forma in illis tradita observare inserti forent presentibus pro sufficienter expressis habentes hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter vel divisim ab Apostolica etc. mentionem. Datum Romae apud Sanctum Marcum etc. die XX^{a} Iulii 1554, Anno 5°.

177

Exponi nobis nuper

Arm. XLI 71 fol. 324r-325r die 20 iulii 1554

PROVISIO MISSIONARIORUM EX ORDINE MINORUM PRO NOVA HISPANIA

Pontifex cum pluribus Ordinis Minorum sodalibus nominatim signatis in Hispania communicat, quod ipsi Philippo Angliae et Hispaniarum principe auctore expositum est de magna professorum eius Ordinis penuria, qui populos in insulis et terris Indiarum, Nova Hispania nuncupatis, ad orthodoxam fidem et verum Dei cultum convertant atque in eadem fide instruant et confirment, quibus praedicti succurrere parati essent, si ipsis Apostolicae Sedis auctoritas suffragetur. Eodem igitur rege et principe supplicante Pontifex plenam et liberam concedit facultatem, vi cuius illius Ordinis professi, etiam superiorum aut praelatorum suorum licentia minime petita, nec obtenta, ad praedicta loca libere accedere valeant nec proinde ab iisdem superioribus aut ab aliis (etiam Apostolica auctoritate fungentibus) quovis modo impediri aut molestari vel perturbari possint.

Iulius III

Dilectis filiis Alfonso de Contreras et Ferdinando de Barrientos ac Alfonso Hortiz et Ioanni Baptiste necnon Ferdinando de Larrua et Didaco Cabarcos ac Francisco Gutierrez, et Petro de Reynoso necnon Petro de Baraona et Christophoro de Miranda ac Michaeli Payan Conceptionis et Alvisio Çapate necnon Francisco de Soto Maior et Ignatio de la Purification ac Petro de Alva et Ioanni de Valentia necnon Ioanni de Velasco et Ioanni de Çafin ac Nicolao de las Garrovillas sive Michaeli et Ioanni de Torrenueva, necnon Gaspari de Guete et Andree de Villa Nueva ac Francisco Munoz et Didaco de Sande-

mente necnon Bonaventure del Horcaio et Petro de Origuela ac Michaeli etiam de Torrenueva et Francisco de Almonacion Murcie necnon Bernardino de Chillaron et Antonio de los Reyes Castille ac Andree Minez et Ioanni de Reynoso necnon Petro de Mendoça et Didaco de Alista ac Aloisio etiam de Alista et Andree de Palacios necnon Min de la Peria et Francisco Hernandez ac Philippo Diez Compostullano ordinis fratrum minorum iuxta morem ipsius ordinis provinciarum et Ioanni Minez necnon Honofrio Capille et Francisco Sanchez custodie Valentie dicti ordinis, iuxta morem huiusmodi eiusdem ordinis professoribus, salutem etc. Exponi nobis nuper fecit charissimus in Christo filius noster Philippus Rex Anglie illustris, qui etiam Hispaniarum Princeps existit, et charissimo in Christo filio nostro Carolo, Romanorum Imperatore semper Augusto, genitore suo, qui etiam Hispaniarum Rex Catholicus existit, a regnis Hispaniarum absente, regna huiusmodi ad presens administrat quicum in custodia Apostolorum ordinis fratrum minorum, iuxta morem ipsius ordinis, in insulis et terris Indiarum maris Occeani auspiciis eiusdem Caroli Imperatoris repertis, Nova Hispania nuncupatis, magna sit penuria vestri ordinis professorum, qui populos illarum partium ad orthodoxam fidem et verum Dei cultum convertere, et conversos fonte baptismatis regenerare, ac in eadem fide instruere et confirmare, eisque verbum Dei predicare, et Redemptoris nostri domini Iesu Christi Evangelium annunciare possint, vos penuria huiusmodi intellecta, fidei et charitatis zelo inducti illuc, si vobis Apostolice Sedis auctoritas suffragetur, accedere paratos obtulistis. Quare idem Philippus Rex, asserens se de vestra in Deum pietate et morum gravitate, ac exemplari vita in Domino confidere nobis humiliter supplicari fecit ut vobis, etiam absque superiorum vestrorum licentia illuc libere accedendi facultatem concedere in premissis opportune providere, de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui populorum eorundem conversionem, regenerationem, instructionem et confirmationem huiusmodi paterno desideramus affectu huiusmodi supplicationibus inclinati, vobisque vigore presentium etiam superiorum aut prelatorum vestrorum licentia minime petita, nec obtenta, ad insulas, domos et loca custodie Apostolorum huiusmodi pro premissis exequendis libere accedere, nec super inde ab eisdem superioribus aut prelatis vestris, seu quibusvis aliis quavis, etiam Apostolica auctoritate fungentibus quovismodo impediri, aut alias ea occasione molestari, seu vexari vel perturbari possitis plenam et liberam dicta auctoritate, per presentes concedimus facultatem et potestatem. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ac provinciarum et custodiarum, necnon ordinis predictorum etiam iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis

firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et litteris Apostolicis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus, et aliis decretis, etiam motu proprio et ex certa scientia, ac de Apostolice potestatis plenitudine concessis etiam iteratis vicibus approbatis et innovatis quibus omnibus etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum , non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quevis alia expressio habenda aut aliqua exquisita forma servanda esset tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et forma in illis tradita, observata inserti forent presentibus pro expressis habentes hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Marcum etc. die XX[a] Iulii 1554, Anno 5°.

178

Cum te dudum

Arm. XLII 6 fol. 162r die 16 iulii 1555

DE IURAMENTO EPISCOPI ECCLESIAE SANCTAE MARTHAE

Iulius III Ioannem de los Barrios, episcopum dioecesis Fluminis argentei (*Río de la Plata, Argentina*), ad Ecclesiam Sanctae Marthae transtulerat ac statuerat, ut in manibus episcoporum Cubensis et Ecclesiae Sancti Ioannis de *Puerto Rico* vel alterius solitum iuramentum fidelitatis praestaret. Paulus IV autem, certior factus praedictos episcopos longe a sede Sanctae Marthae distare, concedit, ut iuramentum in manibus episcopi de *Popayán* vel alterius convicini praestaret, ac propter magnam distantiam Ecclesiae Sanctae Marthae a Romana Curia de visitatione ad limina Apostolorum per se aut per alium facienda eum liberat.

Paulus IV

Venerabili fratri Ioanni [1] episcopo Sancte Marthe olim del Rio de la Plata in insulis Indiarum Maris Occeani.

Venerabilis frater, salutem etc. Cum te dudum felicis recordationis Iulius papa III predecessor noster a vinculo quo Ecclesie del Rio de la Plata in insulis Indiarum Maris Occeani preeras tenebaris de fratrum nostrorum tunc suorum de quorum numero tunc eramus consilio et apostolice potestatis plenitudine absolvens ad ecclesiam Sancte Marthe in eisdem insulis tunc certo modo pastoris solatio destitutam de simili consilio apostolica auctoritate transtulerit, teque illi in episcopum prefecerit et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie Sancte Marthe tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, ac voluerit quod antequam regimini et administrationi dicte ecclesie Sancte Marthe te in aliquo inmisceres in manibus venerabilium fratrum de Cuba et Sancti Ioannis de Puerto Rico episcoporum vel alterius eorum fidelitatis debite solitum prestares iuramentum prout in eiusdem predecessoris diversis sub plumbo confectis litteris plenius continetur. Cumque sicut nos postmodum qui eodem predecessore, sicut Domino placuit, ab hac luce subtracto divina favente clementia ad summi apostolatus apicem assumpti fuimus, acceperimusque quod predicti episcopi ab eadem ecclesia Sancte Marthe plurimum distent, nec tu ad alterum eorum pro iuramento hic est prestando accedere, nec postquam prestitum fuerit, etiam ob magnam eiusdem Sancte Marthe a Romana curia distantiam limina Apostolorum Petri et Pauli de Urbe singulis bienniis aut certo alio tempore personaliter visitare aut per alium visitari facere admodum difficile reddant, iuramentum ipsum adimplere nos ne propterea in regimine et administratione ecclesie Sancte Marthe hic est diucius impediaris providere, ac laboribus et expensis parcere ac conscientie tue serenitati satisfacere volentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati tibi quod iuramentum predictum in manibus venerabilis fratris de Popayan vel alterius dicte ecclesie Sancte Marthe convicini episcopi prestare libere et licite valeas, quodque iuramentum per te in manibus ipsius de Popayan vel alterius convicini episcopi prestitum tibi suffragare in omnibus et per omnia perinde, ac si illud in manibus alterius dictorum de Cuba et Sancti Ioannis episcoporum prestitisses quodque limina Apostolorum hic est ad sex annos a data presentium compu-

[1] De Ioanne de los Barrios cfr. supra doc. 145.

tanda visitare personaliter, aut per alium visitari facere minime tenearis nec propterea aliquam penam incurras dicta auctoritate per presentes concedimus et indulgemus iuramentum per te liminibus hic est visitandis prestandum ad dictos sex annos tamen relaxantes mandantes eidem de Popayan vel alteri convicino episcopo ut a te nostro et Romane ecclesie nomine iuramentum hic est alia iuxta voluntatem predecessoris predicti recipiat et formam iuramenti huiusmodi quod prestabis nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo munitas per proprium nuntium quantocitius destines non obstantibus voluntate predecessoris predicta et constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscunque. Datum Romae apud Sanctum Marcum etc., die 16 iulii 1555, anno primo.

179

In supereminenti

A. A. Arm. I-XVIII 1823 — die 28 ianuarii 1561
Bull. Patr. I 200-201
Hernáez II 664-666
BM II 1275

FACULTATES PRO EPISCOPIS BRASILIAE ET INDIARUM ORIENTALIUM

Partim ob ignorantiam iuris partim ex suis delictis multae personae tam ecclesiasticae quam saeculares in poenas ecclesiasticas incidunt. Propter longam distantiam Brasiliae et Indiarum Orientalium et periculosam navigationem ad Curiam Romanam facile accedere nequeunt ad absolutionem et dispensationem obtinendam. Summus Pontifex ideoque locorum Ordinariis facultates speciales concedit absolvendi a censuris et poenis ecclesiasticis aliquibus tamen exceptis.

Pius IV

Ad perpetuam rei memoriam. In supereminenti Apostolicae Sedis specula meritis licet imparibus disponente Domino constituti, gregem Dominicum, nostre cure commissum, ad viam lucis eterne sublatis quibuslibet obstaculis, quantum cum Deo possumus, perducere diu noctuque meditantes, ut id facilius assequamur, venerabilibus fratribus nostris archiepiscopis et episcopis, aliisque ordinariis locorum, presertim a Curia Romana longa terrarum mariumque intercapedine distantium credite nobis potestatis auctoritatem, in his que christifidelium animarum salutem concernunt nonnunquam et precipue dum Catholicorum Regum vota id exposcunt, favorabiliter impartimur et scandalis animarumque periculis obviantes, in his remotissimis orbis partibus, teneros nove plantationis palmites suavi mansuetudinis imbre irrigamus ac alias illorum infirmitati providemus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire. Sane pro parte charissimi in Christo filii nostri Sebastiani Portugalie et Algarbiorum Regis illustris, nuper exhibita nobis petitio continebat quod in insulis et partibus Brasilii et Indie Orientalis suo temporali dominio subiectis prout sibi ex illarum prelatorum relatione innotuit multe persone tam ecclesiastice, quam seculares, partim ob ignorantiam iuris, partim ex suis delictis in diversas excommunicationis et suspensionis, aliasque sententias, censuras et penas ecclesiasticas frequenter incidunt et irregularitatem contrahunt, que ob longam partium illarum a dicta Curia distantiam periculosamque navigationem ad Sedem ipsam pro absolutione et dispensatione necessariis obtinendis facile accedere, vel alias transmittere nequeant, ac propterea plurimos sententiis huiusmodi ligatos ab humanis decedere contingit in animarum suarum periculum et scandalum plurimorum. Quare dictus Sebastianus Rex nobis humiliter supplicari fecit, quatinus locorum personarumque qualitates in hac parte considerantes, animarum fidelium saluti consulere ac alias in premissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui inconvenientibus et scandalis animarumque periculis, prout nobis ex alto conceditur, paterna charitate libenter obviamus, huiusmodi supplicationibus inclinati, universis et singulis venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, aliisque locorum eorumdem ordinariis, presentibus et futuris, quod ipsi per se vel alium seu alios ad id per eos pro tempore deputandos, quascunque tam ecclesiasticas etiam cuiusvis ordinis regulares, quam etiam seculares personas partium prefatarum que in quascunque excommunicationis et suspensionis, aliasque sententias, censuras et penas ecclesiasticas super quibus

eadem Sedes veniret consulenda, quavis de causa pro tempore inciderint ab huiusmodi sententiis, censuris et penis, ac quibusvis earum peccatis, criminibus, excessibus et delictis, quantumlibet gravibus et enormibus, dicte Sedi reservatis, etiam in bulla Cene Domini contentis, preterquam conspirationis in personam vel statum nostri et pro tempore existentis Romani Pontificis, aut alicuius ex S.R.E. cardinalibus, iniectionis manuum violentarum in episcopos vel alios prelatos, presbytericidii, delationis armorum et aliorum prohibitorum ad infideles, ac falsificationis litterarum Apostolicarum, de quibus corde contriti et ore confessi fuerint, iniuncta tamen eisdem pro modo culpe poenitentia salutari, ac in foro conscientie duntaxat in contentis videlicet in dicta bulla semel in vita cuiuslibet persone et in mortis articulo; in aliis vero reservatis casibus, quoties eis videbitur, Apostolica auctoritate absolvere ac cum eisdem personis super irregularitate per eas quavis de causa, non tamen homicidii voluntarii aliasque in bellis contra infideles perpetrati, aut bigamie occasione pro tempore contracta. Quodque premissis non obstantibus ad omnes, etiam sacros et presbyteratus ordines promoveri, seu eisdem ordinibus iam susceptis uti et in illis, etiam in altaris ministerio ministrare; necnon quecumque, quotcumque et qualiacumque, cum cura et sine cura, alias tamen se invicem compatientia beneficia ecclesiastica etiam si canonicatus et prebende, dignitates, personatus, administrationes vel officia ac dignitates ipse in cathedralibus etiam metropolitanis post pontificales maiores seu collegiatis ecclesiis huiusmodi principales fuerint et ad dignitates, personatus, administrationes vel officia huiusmodi consueverint qui per electionem assumi, illisque cura immineat animarum, si sibi alias canonice conferantur aut eligantur, presententur vel alias assumantur ad ea et instituantur in eis recipere et retinere; necnon cum quibusvis earumdem partium personis, quarto simplici aut tertio et quarto mixtim seu etiam multiplici consanguinitatis et affinitatis gradibus invicem coniunctis aut publice honestatis iustitie quomodolibet impeditis, seu qui antea per adulterium se poluerint dummodo in mortem defuncti coniugis quicquam machinati non fuerint ut in contractis per eos scienter vel ignoranter matrimoniis, si carnali copula exinde subsequuta consumata fuerint, remanere, seu illa de novo contrahere et in facie Ecclesie solemnizare possint, eadem auctoritate, gratis tamen et sine aliquo questu, disponere, prolem exinde susceptam et suscipiendam legitimam declarando; ac omnem inhabilitatis et infamie maculam sive notam a personis ecclesiasticis per eas premissorum occasione contractam penitus abolere, ipsasque in pristinum statum restituere, reponere et plenarie reintegrare libere et licite valeant, plenam et liberam, eadem auctoritate, tenore presentium, per-

petuo concedimus facultatem, et etiam indulgemus. Non obstantibus quibusvis Apostolicis ac in provincialibus et sinodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 28 ianuarii 1561 Pontificatus nostri Anno 2° [1].

[1] Cfr. infra doc. 231 *Exigit incumbentis* diei 4 augusti 1569.

180

Apostolatus officium

Bull. Praed. V 104 — die 27 iunii 1561
Hernáez II 122-123
BM II 742

PROVISIO ECCLESIAE VENEZUELANSIS (CORENSIS)

Post obitum Bartholomaei Venezuelansis episcopi, Petrus de Agreda, Ordinis Fratrum Praedicatorum, ab Hispaniarum rege, cui hoc ex privilegio apostolico competebat, praesentatus ac dignus inventus, a Summo Pontifice pastor Ecclesiae in *Caracas* instituitur, cum omnibus iuribus et officiis tam in spiritualibus quam in temporalibus.

Pius IV

Dilecto filio Petro de Agreza [1] electo Venezuelan. salutem et apostolicam benedictionem. Apostolatus officium [...]. Sane Ecclesia

[1] Petrus de Agreda, ordinarius professor in conventu Sancti Gregorii civitatis *Valladolid*; mortuus est die 13 maii 1579. *Egaña* 556.

Venezuelan. quae de iure Patronatus carissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici ratione Castellae et Legionis Regnorum ex privilegio apostolico, cui non est hactenus in aliquo derogatum, fore dignoscitur, et cui bonae memoriae Bartholomaeus [2] Venezuelan. dum viveret, praesidebat, per obitum eiusdem Bartholomaei, qui extra Romanam Curiam debitum naturae persolvit, Pastoris solatio destituta, nos vacatione huiusmodi fide dignis relatibus intellecta, ad provisionem eiusdem Ecclesiae celerem et felicem, ne Ecclesia ipsa longae vacationis exponatur incommodis, paternae solicitis studiis intendentes, post deliberationem quam de praeficiendo eidem Ecclesiae personam utilem et etiam fructuosam, cum fratribus nostris habuimus diligentem demum ad te Ordinis Fratrum Praedicatorum et theologiae professorem, in presbyteratus ordine constitutum, quem praefatus Philippus Rex nobis ad hoc per suas literas praesentavit et cui apud nos de vitae munditia, honestate morum, spiritualium providentia etc. fide digna testimonia perhibentur, direximus oculos nostrae mentis, quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua nobis et eisdem Fratribus ob tuorum exigentiam meritorum accepta, praefatae Ecclesiae de ipsorum Fratrum consilio Apostolica auctoritate providimus, teque illi in Episcopum praeficimus et Pastorem, curam et administrationem ipsius Ecclesiae tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae Millesimo Quingentesimo Sexagesimo Primo, Quinto Kalendas Julii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

---

[1] Bartholomaeus de Ballesteros idem esse videtur ac Michael Hieronymus de Ballesteros. De eo cfr. supra doc. 128.

181

Ex supernae providentia maiestatis

Arm. XLII 17 fol. 329rv — die 11 augusti 1562
Hernáez I 176
BM II 757

SANATIO ET ORDINATIO CONSECRATIONUM EPISCOPALIUM

Sollicitudo omnium Ecclesiarum Summo Pontifici concredita illas quoque remotissimas amplectitur, quare omnia iuris et facti obstacula removet, ut episcopi electi quantocitius ministerium suum exercere possint. In Indiis Occidentalibus et Nova Hispania rarae adhuc sedes episcopales exstant, ita ut sufficiens numerus episcoporum ad munus consecrationis episcopalis canonice praescriptus non facile haberi possit. Summus Pontifex, precibus Philippi regis motus, consecrationes episcopales usque nunc numero praelatorum competenti ad id non adhibito sanat, a censuris ecclesiasticis absolvit, ac in futurum permittit, ut episcopi electi munus consecrationis suscipere possint ab uno episcopo, assistentibus sibi duabus vel tribus personis in dignitate ecclesiastica constitutis.

Pius IV

Ad perpetuam rei memoriam. Ex supernae providentia maiestatis cuius universa dispositione reguntur ad supremum apostolatus apicem meritis licet imparibus evocati non solum universum ovile dominicum vigilantiae nostre creditum verum etiam singulos singulorum eius gregum quantumlibet terrarum marisque distantia remotorum pastores undique contemplamur. Et ut ad officium pastorale electi illud quantocitius sublatis quibuslibet iuris factique obstaculis ad Dei laudem et animarum sue cure commissarum salutem exequi possint nostrae cooperationis ministerium presertim dum id Catholicorum Regum vota requirunt, quantum nobis ex alto permittitur, favorabiliter adhibemus. Sane charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum Rex catholicus nobis nuper exponi fecit quod in Occidentalibus Indiis novoque Hyspaniae regno propter recentem illius populorum ad fidem Orthodoxam conversionem rare sedes Episcopales in tanta terrarum amplitudine adhuc institute reperiuntur; unde fit ut post electionem prelatorum ad illas vacantes factam, sufficiens episcoporum numerus ad munus consecrationis illis exhibendum infra tempus de consecrandis episcopis a iure statutum coadunari nequeat. Quare prefatus Philippus Rex nobis humiliter supplicari fecit quatinus in premissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur sacrorum canonum equitatem a nemine ultra quam prestari possit exigere perpendentes, ac omnes et singulos venerabiles fratres archiepiscopos et episcopos in Indiis prefatis constitutos, qui hactenus munus predictum numero prelatorum competenti ad id non adhibito alias

tamen rite susceperunt ab huiusmodi excessu ac suspensionis aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis per eos propterea incursis apostolica auctoritate tenore presentium absolventes, secumque super irregularitate si quam inde contraxerint et quod munere prefato sic per eos suscepto, suisque etiam presbiteratus ordinibus ac officio pontificali uti et in illis etiam in altaris ministerio ministrare, ac suis etiam metropolitanis et cathedralibus ecclesiis preesse libere et licite valeant de specialis dono gratie dispensantes huiusmodi supplicationibus inclinati universis et singulis quos ad Cathedrales etiam Metropolitanas Ecclesias in Indiis prefatis nunc et pro tempore institutas illarum vacatione occurrente canonice eligi et assumi contigerit, ut deinceps perpetuis futuris temporibus post eorum electionem et assumptionem huiusmodi nullo alio sibi obstante canonico a quocumque maluerint catholico Antistite gratiam et communionem apostolice sedis habente accitis et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus in dignitate ecclesiastica constitutis, seu Cathedralis aut Cathedralium aut Metropolitanarum Ecclesiarum canonicis prefatum consecrationis munus recipere valeant. Ac eidem antistiti ut idem munus illis auctoritate prefata impendere libere possit plenam et liberam auctoritate et tenore premissis facultatem concedimus et indulgemus. Non obstantibus quibusvis apostolicis ac in provincialibus et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus necnon ecclesiarum ipsarum etiam iuramento confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Et quia difficile foret presentes literas ad singula quaeque loca in quibus eis utendum erit deferri volumus et praedicta auctoritate decernimus illarum transumptis etiam impressis manu notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis eandem prorsus fidem etiam in iudicio et extra, ac ubique adhibendam esse quae ipsis presentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud Sanctum Marcum etc., die XI augusti 1562, anno 3°.

182

Etsi Sedes Apostolica

Arm. XLII 17 fol. 330rv
Hernáez I 168-169

die 12 augusti 1562

INDI ETIAM TEMPORIBUS PROHIBITIS
MATRIMONIA CELEBRARE POSSUNT

Quia in regionibus Indiarum Occidentalium, ubi *innumerabiles populi* fidem catholicam recenter receperunt, rari adhuc sunt presbyteri et mos illius gentis non est nuptias suas festis aliisque profanis spectaculis celebrare, Summus Pontifex permittit, ut matrimonia etiam temporibus prohibitis celebrent, id est tam in Adventus Domini, Septuagesimae et Quadragesimae temporibus, in quibus nuptiae sunt prohibitae, *citra tamen publicum festivae laetitiae strepitum.*

Pius IV

Ad futuram rei memoriam. Etsi Sedes Apostolica sanctorum Patrum regulas ecclesiasticamque disciplinam ubique gentium quantum sibi ex alto permittitur iugiter asserere dinoscatur, aliquando tamen in hoc vel necessitate cogente vel alia rationabili causa suadente presertim dum id catholicorum Regum vota exposcunt merito remissior esse non recusat. Sane charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum Rex catholicus nobis nuper exposui fecit quod in Occidentalibus Oceani maris Indiis ditioni sue subiectis quarum in memorabiles populi Dei misericordia catholicam fidem non ita pridem receperunt rari sunt adhuc presbiteri qui tot populorum animarum curam exercere et illis ecclesiastica sacramenta temporibus opportunis ut expediret ministrare possint; unde propter sacerdotum absentiam Indi matrimonia inter se absque presbiteri ministerio et ecclesiastica bene-

dictione nonnunquam contrahunt ad quos tandem presbiteri quibus offitium provintias illas visitandi incumbit etiam his plerunque temporibus quibus nuptie ab ecclesia sunt prohibite declinantes illos iam carnali copula citra presbiteri ministerium coniunctos absque benedictione aliave solemnitate ecclesiastica matrimonialiter coniungunt. Cum autem sicut eadem expositio subiungebat mos gentis illius non sit nuptias suas festis aliisve prophanis spectaculis celebrare ac propterea non magni referre videatur si matrimonia sua temporibus a iure prohibitis solemnizare permittatur. Nos sacerdotum penuriam neophitorumque predictorum circa ritus ecclesiasticos ruditatem facile in premissis excusantes ipsius Philippi Regis in hac parte supplicationibus inclinati cum universis et singulis utriusque sexus Indis predictis ut deinceps ad annos viginti quinque a datis presentium conputandos tam in adventus Domini septuagesime et quadragesime quam aliis anni temporibus in quibus nuptie fidelibus ab ecclesia sunt prohibite matrimonia invicem alias rite contrahere et in facie ecclesie, citra tamen publicum festive letitie strepitum solemnizare benedictionemque ecclesiasticam recipere; ac presbiteris ut illam eis temporibus huiusmodi impendere et nuptiis assistere libere et licite valeant apostolica auctoritate tenore presentium de specialis dono gratie dispensamus, sibique pariter indulgemus. Non obstantibus quibusvis apostolicis ac in provintialibus et sinodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus ceterisque contrariis quibuscumque. Et quia difficile foret presentes litteras ad singula queque loca in quibus eis utendum erit deferri volumus, et predicta auctoritate decernimus illarum transumptis etiam impressis manu notarii publici subscriptis et sigillo alicuius persone in dignitate ecclesiastica constitute munitis eandem prorsus fidem etiam in iuditio adhibendam esse que ipsis presentibus adhiberetur si forent exhibite vel ostense. Datum Romae apud Sanctum Marcum etc., die XII augusti 1562, anno 3°.

183

Romanus Pontifex

Arm. XLII 17 fol. 331r-332r — die 12 augusti 1562

LEGES ECCLESIAE UNIVERSALIS PRO NOVELLIS ECCLESIIS INDIARUM OCCIDENTALIUM MITIGANTUR

Secundum doctrinam sancti Pauli Apostoli severitas canonica censurae ecclesiasticae pro novellis Ecclesiis mitigari debet. Neophyti Indiani magna consternatione interdictum ecclesiasticum ob alicuius seu aliquorum contumaciam in aliquam ecclesiam statutum respiciunt et Deum sibi irratum esse credunt. Ideoque Summus Pontifex qui novellarum Ecclesiarum incrementum desiderat, christifidelibus Indicae nationis permittit, ut tempore interdictionis ecclesias ingredi et ibi etiam ianuis apertis et pulsatis campanis missae et aliis divinis officiis interesse possint.

Pius IV

Ad futuram rei memoriam. Romanus Pontifex qui iuxta sanctissimi vasis electionis beati Pauli apostoli doctrinam cunctorum christifidelium infirmitati facile compatitur, aliquando canonicam ecclesiastice censure severitatem erga suos in Christo dilectos neophitos et adolescentes in fide populos presertim dum id a se Regum catholicorum votis expetitur libenter mitigare consuevit. Sane charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum Rex catholicus nobis nuper exposui fecit quod si quando et quoties interdictum ecclesiasticum in aliquibus ecclesiis Occidentalium maris Oceani Indiarum ditioni sue subiectarum ob alicuius seu aliquorum contumatiam vel alias ordinaria vel apostolica auctoritate apponi contingit dilecti filii partium illarum indigene noviter ad veri Dei cultum magna illius pietate conversi ritus ecclesie censurarumque huiusmodi adhuc rudes ab ingressu ecclesie missarumque auditu et aliorum sacramentorum ecclesiasticorum comunione propterea repulsi Deum sibi iratum esse seque ab eius ecclesia reiici coniicientes mirum in modum aflicti merentesque domum redeunt in magnam illius populi consternationem et nascentis apud eos fidei nocumentum. Quare predictus Philippus Rex nobis humiliter supplicavit quatenus hanc Indorum infirmitatem sublevare ac alias in premissis opportune providere de benignitate aspostolica dignaremur. Nos igitur qui novellarum in vinea Domini plantarum incrementum cupientes etiam sensibus infantium et lactentium, ut eos Domino lucri faciamus libenter acquiescimus huiusmodi supplicationibus inclinati omnibus et singulis utriusque sexus Indice nationis christifidelibus, ut tempore interdicti huiusmodi in eorum ecclesiis et aliis piis locis quavis etiam apostolica auctoritate appositi dunmodo illi causam non de-

derint nec id eis specialiter interdici contingat ecclesias et alia pia loca huiusmodi ingredi et inibi etiam ianuis apertis et pulsatis campanis per parrochianos rectores vel eorum vicarios aut alios presbiteros missas et alia divina offitia etiam alta voce excommunicatis tamen et interdictis solunmodo penitus exclusis celebrari facere et illis interesse necnon confessionis penitentie, eucharistie et alia ecclesiastica sacramenta suscipere et eorum deffunctorum cadavera etiam cum funerali pompa ecclesiastice traddi sepulture, ac ipsis rectoribus, vicariis et aliis presbiteris eligendis ut missas et alia divina offitia celebrare et ecclesiastica sacramenta fidelibus huiusmodi ministrare, ita ut celebrantibus ipsis ad culpam nequeat imputari ordinariorum locorum vel aliorum licentia desuper minime requisita libere et licite valeant ad triginta annos proxime futuros dumtaxat auctoritate apostolica tenore presentium de speciali gratia concedimus et indulgemus, non obstantibus quibusvis apostolicis ac in provintialibus et sinodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus necnon cancellarie apostolice regulis editis et edendis ac ecclesiarum quarumlibet etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus necnon quibusvis similium gratiarum revocationibus suspensionibus vel derogationibus, etiam in Cruciate Sancte et redemptionis captivorum ac fabrice Basilice Principis apostolorum de Urbe favorem a nobis et apostolica Sede nunc et pro tempore quomodolibet emanatis. Que omnia et singula illorumque vim quo ad premissa suspendimus nec aliquem in eis effectum sortiri aut locum sibi vendicare posse decernimus, ceterisque contrariis quibuscunque. Et quia difficile foret presentes litteras ad singula queque loca in quibus eis utendum erit deferri volumus et predicta auctoritate decernimus illarum transumptis etiam impressis manu notarii publici subscriptis et sigillo alicuius persone in dignitate ecclesiastica constitute munitis, eandem prorsus fidem etiam in iuditio adhibendam esse que ipsis presentibus adhiberetur, si forent exhibite vel ostense. Datum Romae apud Sanctum Marcum etc., die XII augusti 1562, anno 3°.

184

Licet Ecclesia Romana

Arm. XLII 17 fol. 333rv die 12 augusti 1562
Hernáez I 181

CONCEDITUR FACULTAS CONFICIENDI OLEUM SANCTUM EX BALSAMO LOCALI

Ecclesia Romana locorum rerumque condicione causa ordinem pro confectione sacramentorum aliquando moderatur. Quia in regionibus Indiarum Occidentalium balsamum orientale ad conficiendum chrisma non facile inveniri potest, Summus Pontifex facultatem concedit, chrisma cum balsamo quod in illis regionibus invenitur conficere et ad unctiones ecclesiasticas adhibere, praesentibus ministris ecclesiasticis *numero qui ad id commode haberi poterit.*

Pius IV

Ad perpetuam rei memoriam. Licet ecclesia Romana ceterarum per universum orbem ecclesiarum mater et magistra certos antiquitus in sacramentorum confectione ritus tradiderit quos per illarum presules observari decet, nonunquam tamen in his que difficultatibus subiacere noscuntur ordinem prescriptum moderatur prout locorum rerumque conditione pensata id conspicit in Domino salubriter expedire. Sane charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum Rex Catholicus nobis nuper exponi fecit, quod in Occidentalibus Indiis sibi subiectis et ad fidem catholicam paucis ab hinc annis Domino miserente conversis ad sanctum Chrisma aliasque sacras ecclesie unctiones iuxta sanctorum Patrum traditionem conficiendas, non solum magna balsami orientalis sive Alexandrini penuria habetur, sed etiam ob recentem populorum illarum conversionem absolutus mini-

strorum ecclesie numerus non facile reperitur, unde presules ecclesiarum ipsa tam neccessaria sacramenta vix hactenus conficere potuerunt, que tamen balsami orientalis penuria cum etiam in ipsis Indiis balsamum indigena reperiatur ex hoc inde balsamo commode suppleri posset, si Sedis Apostolice ad id accederet auctoritas, quare prefatus Philippus Rex nobis humiliter supplicavit quatenus his necessitatibus occurrere, ac alias in premissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur in tam huberrimo propaginum in vinea Domini per dictum Regem eiusque progenitores feliciter insitarum proventu spiritualiter exultantes et novellas huiusmodi plantas amenis charitatis et gratiarum imbribus irrigare et confovere volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati omnibus et singulis venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis per universas Indiarum earundem partes constitutis, ut Sanctissimum Chrisma, reliquasque ecclesiasticas Sancti Olei unctiones huiusmodi cum eo quod in partibus illis reperitur balsamo, ac illo ministrorum ecclesiasticorum numero qui ad id commode haberi poterit adhibito, in reliquis vero iuxta prefatum ecclesie Romane ritum conficere et consecrare libere et licite valeant plenam et liberam licentiam et facultatem auctoritate apostolica tenore presentium perpetuo concedimus et indulgemus, non obstantibus quibusvis apostolicis ac in provincialibus et sinodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ceterisque [contrariis] quibuscumque. Et quia difficile foret presentes literas ad singula queque loca, in quibus eis utendum erit, deferri, volumus et predicta auctoritate decernimus illarum transumptis etiam impressis manu notarii publici subscriptis et sigillo alicuius persone in dignitate ecclesiastica constitute munitis, eandem prorsus fidem etiam in iuditio et extra, ac ubique, adhibendam esse, que ipsis presentibus adhiberetur, si forent exhibite vel ostense. Datum Romae apud Sanctum Marcum etc., die XII augusti 1562, anno 3°.

185

Romanus Pontifex

Arm. XLII 17 fol. 335rv — die 12 augusti 1562

EPISCOPI A VISITATIONE AD LIMINA EXSOLVUNTUR, NE DIUTIUS A GREGIBUS SUIS ABESSE COGANTUR

Inter pastoralis curae sollicitudines Summi Pontificis illa est, ut episcopi quam minimum ab ovibus sibi creditis abscedant. Ideoque archiepiscopi et episcopi in Indiis Occidentalibus, quamquam iuramentum emiserint de liminibus beatorum Petri et Pauli apostolorum singulo biennio personaliter visitandis, precibus Philippi regis concedit, *ut limina praedicta per procuratorem sive nuntium ad id ab eis deputandum singulis quinquenniis visitando, personaliter ad Urbem accedere minime teneantur,* propter immensam locorum distantiam, longamque navigationem et diutinam eorum a suis populis absentiam.

Pius IV

Ad perpetuam rei memoriam. Romanus Pontifex quem preter omnes sue pastoralis cure solicitudines illa potissimum angit ut gregis dominici pastores quam minimum ab ovilibus sibi creditis abscedant sed debitis illorum custodiis indesinenter incumbant nonunquam antiqua Sedis apostolice instituta quantunvis per ecclesiarum prelatos iurata presertim dum illa commode prestari non posse conspicit ad illorum commodum ratione suadente moderatur. Sane charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum Rex catholicus nobis nuper exponi fecit quod licet venerabiles fratres archiepiscopi et episcopi per universas occidentis Indias sibi subiectas constituti in suis ad ecclesias sibi commissas promotionibus seu receptionibus corporale iuramentum de liminibus beatorum Petri et Pauli apostolorum singulo biennio personaliter visitandis prestiterint hoc tamen tum propter immensam locorum distantiam longamque et fere annalem navigationem tum propter diutinam eorum a suis populis que necessario sequeretur absentiam prestare nequeunt. Quare prefatus Philippus Rex nobis humiliter supplicari fecit quatenus in premissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur attendentes Romanos Pontifices predecessores nostros dum priscam iuramenti formam huiusmodi a prelatis exigendam censuerunt de tan longe remotis minime cogitasse qui si peregrinationem tan longinquam subire cogerentur id non solum christifidelibus in partibus illis degentibus damnosum foret, verum etiam in frequentis Indorum ad fidem orthodoxam conversionis, cui prelatorum presentia predicatioque plurimum conferre solet, preiuditium redundaret ac propterea et prelatorum labori parcere, et animarum saluti consulere volentes necnon eosdem archiepisco-

pos et episcopos iuramentum per eos prestitum huiusmodi hactenus transgressum ab ea transgressione ac quibusvis ecclesiasticis censuris et penis si quas inde incurrerint harum serie absolventes, huiusmodi supplicationibus inclinati omnibus et singulis archiepiscopis et episcopis prefatis presentibus et futuris ut limina predicta per procuratorem sive nuntium ad id ab eis deputandum singulis quibusque quinqueniis visitando personaliter ad Urbem accedere minime teneantur, nec propterea periurium incurrisse censeri possint apostolica auctoritate tenore presentium perpetuo concedimus et indulgemus illisque iuramentum predictum per eos prestitum et deinceps forsan prestandum etiam exnunc prout ex tunc ad effectum predictorum gratiosse relaxamus non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscunque. Et quia difficile foret presentes literas ad singula queque loca in quibus eis utendum erit deferri, volumus, et predicta auctoritate decernimus illarum transumptis etiam impressis manu notarii publici subscriptis et sigillo alicuius persone in dignitate ecclesiastica constitute munitis eandem prorsus fidem etiam in iuditio et extra ac ubique adhibendam esse que ipsis presentibus adhiberetur, si forent exhibite vel ostense. Datum Romae apud Sanctum Marcum etc., die XII augusti 1562, anno 3°.

186

Provida Sedis Apostolicae solertia

Arm. XLII 17 fol. 336rv — die 12 augusti 1562

CONTRA MISSIONARIOS QUI PECUNIAS ACCUMULANT

Philippus rex Summo Pontifici exposuit quod aliqui missionarii religiosi clam divitias illicite et vario praetextu acquirunt, in Hispaniam reportant, inter sanguineos partiuntur et in alios illicitos usus convertunt, ac supplicavit *huic in dies magis pullulanti morbo tempestive mederi.* Pius IV sub poenis ecclesiasticis et virtute sanctae oboedientiae missionariis prohibet deinceps pecunias ultra quam viatico suo necessarias exportare quas insuper antequam na-

vem ascendant superiori suo religioso denunciare et ostendere debent. Litterae denunciationis officialibus navium ostendendae sunt, pecuniae in dictis litteris non comprehensae auferendae sunt.

Pius IV

Ad perpetuam rei memoriam. Provida sedis apostolicae solertia licet omnes ecclesiae Dei ministros ab avaritiae macula esse cupiat alienos ipsos tamen religiosos qui solemne paupertatis votum altissimo praestiterunt et ad hanc humani generis labem publica concione passim detestandam quotidie mittuntur ab omni criminis huius suspicione prorsus immunes preservare studet et ut id facilius assequatur praesertim dum catholicorum in hoc regum vota concurrunt omnem huiuscemodi lapsus occasionem libenter submovet et alias in his mature providet prout in Domino conspicit salubriter expedire. Sane nobis nuper exponi fecit charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum Rex catholicus quod inter Sancti Dominici et Minorum aliorumque ordinum fratres in Indiam occidentalem aliasque terras et insulas maris Occeani proficiscentes tantum inolevit avarae perversitatis abusus et plerique fratrum eorumdem pecuniis clam ibi quaesitis sibique contra solemne paupertatis votum ab eis emissum appropriatis sub ficta superiorum suorum licentia ac aliquando sub ficto praetextu quod pecuniae huiusmodi ad alios pertinent, vel in Hyspaniarum [regnum] redeuntes magnam pecuniarum quantitatem reportant illamque inter consanguineos et necessarios suos partiuntur, et in alios illicitos usus convertunt in voti religionisque spretum animarum suarum periculum fisci regii et aliorum fraudem ac malam proximi aedificationem. Quare prefatus Philippus Rex nobis humiliter supplicari fecit quatinus huic in dies magis pullulanti morbo tempestive mederi et alias in premissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur fratres ipsos ad haec loca non pecuniarii sed spiritualis mercimonii exercendi nec in terris sed in coelo thesaurisandi gratia peregre proficisci debere, ac propterea hanc usurpatam avaritiae et subsequentis apostasiae ansam ab eorum manibus excutiendam esse censentes, ac omnibus et singulis cuiusvis ordinis fratribus in virtute sanctae obedientiae ac sub excommunicationis late sententiae poena per contravenientes eo ipso incurrenda, ne deinceps talia attemptare presumant districtius inhibentes huiusmodi supplicationibus inclinati, quod deinceps nullus praedictorum aut aliorum quo-

rumvis ordinum religiosus cuiuscumque dignitatis, status, gradus vel conditionis existat ab Indiis aliisque partibus praefatis rediens pecunias ultra quam viatico suo verisimiliter necessarias fuerint exportare omnesque pecunias per eos exportandas antequam naves ascendant superiori suo in partibus illis existenti denunciare et ostendere litterasque denunciationis ac taxationis viatici huiusmodi ab eo recipere teneantur sub excommunicationis predictae ac huiusmodi pecuniarum ab ipsis fratribus per deputatos regios realiter auferendarum, et in pios partium illarum usus arbitrio ordinarii loci convertendarum penis similiter ipso facto incurrendis perpetuo apostolica auctoritate tenore praesentium statuimus et ordinamus; ac officialibus regiis et deputatis praefatis eosdem redeuntes fratres postquam naves, causa reditus, ascenderint seu antea prout eis visum fuerit perscrutandi et perquirendi; ac fratres ipsos ad ostendendum eisdem officialibus pecunias quas secum afferunt et litteras denunciationis huiusmodi modis et formis prout eis apparebit cogendi omnesque pecunias in dictis litteris non comprehensas ab eis auferendi, et in pios usus predictos, ut prefertur, convertendi facultatem eadem auctoritate concedimus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac predictorum et aliorum quorumvis ordinum etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et litteris apostolicis eisdem ordinibus eorumque superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis clausulis et decretis etiam motu proprio etiam iteratis vicibus concessis, approbatis et innovatis etiam mari magno et bulla aurea nuncupatis quibus omnibus etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis specifica, expressa et individua mentio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret illorum tenores formas et decreta ac data, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et forma in eis tradita, observata, inserti forent presentibus pro sufficienter expressis habentes illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus caeterisque contrariis quibuscumque. Et quia difficile foret praesentes litteras ad singula quaeque loca in quibus eis utendum erit, deferri, volumus et predicta auctoritate decernimus illarum transsumptis etiam impressis manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius persone in dignitate ecclesiastica constitute munitis eandem prorsus fidem, etiam in iudicio adhibendam esse quae ipsis presentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud Sanctum Marcum etc., die XII augusti 1562, anno 3°.

187

Charissimus in Christo filius

Arm. XLII 17 fol. 337rv die 12 augusti 1562

LICENTIA VESCENDI LACTICINIIS TEMPORIBUS IEIUNII ET ABSTINENTIAE

Summus Pontifex Clemens VII vel Paulus III fidelibus nationis Hispanae in regionibus Novae Hispaniae ad triginta annos veniam dedit, ut temporibus ieiunii et abstinentiae lacticiniis vesci libere possent, quia in illis partibus pisces aliique temporibus illis permissi cibi non ita facile reperiri possunt. Pius IV facultatem hanc ad alios triginta annos prorogat, extendit et ampliat, ita ut fideles Hispanae nationis absque conscientiae scrupulo vel censurarum ecclesiasticarum incursu libere et licite lacticiniis temporibus praedictis vesci possint.

Pius IV

Ad futuram rei memoriam. Charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum Rex catholicus nobis nuper exponi fecit quod dudum felicis recordationis Clemens VII vel Paulus III Romanus Pontifex predecessor noster, considerans in partibus occidentalis Indie maris Oceani quam Hispaniam novam vocant quadragesimali et aliis anni temporibus in quibus esus carnium et lacticiniorum ab ecclesia prohibitus est pisces aliosque temporibus huiusmodi permissos cibos non ita facile reperiri ac propterea religiosorum presbiterorum aliorumque nationis Hispanie christifidelium in partibus illis degentium victui necessitatibusque subvenire volens illis ut quadragesimali et aliis temporibus predictis ovis, butiro, caseo et ceteris lacticiniis usque ad triginta annos extunc inmediate futuros vesci libere possent apostolica auctoritate indulsit prout in eiusdem predecessoris litteris desuper for-

san confectis plenius dicitur contineri. Cum autem sicut eadem expositio subiungebat finis triginta annorum predictorum instet et hispani, qui in partibus illis multiplicati sunt, ieiuniorum tempore adhuc premissorum penuria laborent, idcirco predictus Philippus Rex nobis humiliter supplicavit, quatinus tempus per predecessorem concessum huiusmodi ad alios triginta annos prorogare de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur qui fidelium omnium presertim in regionibus adeo remotis degentium necessitatibus libenter quantum nobis ex alto permititur subvenimus veriores dictarum litterarum tenores presentibus pro expressis habentes huiusmodi supplicationibus inclinati tempus triginta annorum ac cum omnibus et singulis in eis contentis clausulis desuper confectas litteras predicta ad alios triginta annos a fine priorum vel si iam lapsi sunt a data presentium computandos, ita quod interea fideles ipsis dictis temporibus ovis et lacticinio vesci licite possint eadem auctoritate tenore presentium prorogamus, extendimus et ampliamus ac potiori pro cautela universis et singulis tam presbiteris et clericis aliisque cuiusvis etiam mendicantium ordinum religiosis, quam ceteris Hispanie nationis fidelibus qui posterioribus triginta annis eandem Hispaniam novam incoluerint ut quadragesimali aliisque temporibus predictis ovis, caseo, butiro et aliis lacticiniis absque conscientie scrupulo vel censurarum ecclesiasticarum incursu vesci libere et licite valeant eadem auctoritate de speciali gratia concedimus et indulgemus. Non obstantibus quibusvis apostolicis ac in provintialibus et sinodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Et quia difficile foret presentes litteras ad singula queque loca in quibus eis utendum erit, deferri, volumus et predicta auctoritate decernimus illarum transumptis etiam impressis manu notarii publici subscriptis et sigillo alicuius persone in dignitate ecclesiastica constitute munitis, eandem prorsus fidem, etiam in iuditio adhibendam esse que ipsi presentibus adhiberetur, si forent exhibite vel ostense. Datum Romae apud Sanctum Marcum etc., die XII augusti 1562, anno 3°.

188

Religionis zelus

Arm. XLII 17 fol. 398rv die 3 octobris 1562

INDULTUM SUSCIPIENDI HABITUM MILITIAE SANCTI IACOBI DE SPATA

Gubernator provinciae de *Chile*, Franciscus de Villagran, dubitat, num habitum Militiae Sancti Iacobi de Spata (Spada) seu de Compostella, a Philippo rege, qui huius Ordinis perpetuus administrator est, sibi oblatum, suscipere et professionem regularem emittere possit, quia mater eius defectum natalium patiebatur. Ideoque indultum a Summo Pontifice petiit. Pius IV precibus annuit ac speciali gratia concedit, ut Franciscus de Villagran habitum suscipere, professionem emittere, praeceptorias assequi et ad vitam retinere libere et licite possit.

Pius IV

Dilecto filio mariscalco Francisco de Villagran pro serenissimo Philippo Rege catholico in provincia de Chile gubernatori et generali capitaneo.

Dilecte fili salutem et apostolicam benedictionem. Religionis zelus vite ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita super quibus apud nos fide digno commendaris testimonio nos inducunt ut te specialibus favoribus et gratiis prosequamur. Exponi siquidem nobis nuper fecisti quod charissimus in Christo filius noster Philippus Hyspaniarum Rex catholicus qui etiam militie Sancti Iacobi de Spata sub regula Sancti Augustini perpetuus administrator ex indulto apostolico existit habitum per milites dicte militie gestari solitum tibi tradere et ad professionem per eosdem milites emitti solitam te recipere intendit verum licet tu ex patre et avis ac proavis paternis

et maternis nobilibus procreatus existas quia tamen mater tua ex quodam preceptore aut commendatore ordinis Sancti Iohannis Hierosolimitani nata et procreata defectum natalium patiebatur dubitas propterea iuxta regularia statuta et difinitiones, constitutiones necnon stabilimenta militie huiusmodi apostolica auctoritate approbata et confirmata ac approbatas et confirmatas ad susceptionem habitus per milites dicte militie gestare soliti et professionis regularis per eosdem milites emitti solite emissionem inhabilem esse ac ideo ab ea repelli. Quare idem Philippus rex et perpetuus administrator et tu nobis humiliter supplicari fecistis ut tibi quod militie huiusmodi habitum suscipere et professionem regularem emittere et postquam habitum susceperis et professionem emisseris quascumque preceptorias dicte militie tibi canonice conferendas recipere et assequi et quoad vixeris retinere possis concedere et indulgere aliasque tibi ac statui tuo in premissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati tibi quod militie predicte habitum, ut prefertur, suscipere et professionem regularem emittere et postquam habitum susceperis et professionem emisseris quascunque preceptorias militie predicte tibi canonice conferendas assequi et recipere ac quoad vixeris retinere libere et licite possis et valeas constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac militie et ordinis huiusmodi etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus ac stabilimentis, usibus et naturis diffinitionibus privilegiis quoque indultis et litteris apostolicis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derrogatoriarum derrogatoriis, aliisque efficatioribus et insolitis clausulis necnon irritantibus et aliis decretis etiam motu proprio et ex certa scientia ac de apostolice potestatis plenitudine seu consistorialiter ex quibusvis causis et quavis etiam imperiali vel regia consideratione aut alias quomodolibet concessis aut etiam iteratis vicibus approbatis et innovatis ceterisque contrariis nequaquam obstantibus dicta auctoritate tenore presentium de speciali gratia concedimus et indulgemus ac statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus, diffinitionibus, naturis, privilegiis, indultis et litteris apostolicis etiam si pro earum sufficienti derrogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa et individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quavis alia expressio habenda seu aliqua alia exquisita forma servanda esset tenores huiusmodi ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et forma in illis tradita, observata et inserti forent presentibus pro sufficienter expressis habendis illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter et expresse derrogamus ac sufficienter derrogatum esse decernimus. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc., die tertia octobris 1562, anno 3°.

189

Religionis zelus

Arm. XLII 17 fol. 396rv die 3 octobris 1562

DISPENSATIO OB DEFECTUM NATALIUM

Specialibus favoribus pro-regem in Nova Hispania Didaco Ybarra prosequi volens, Summus Pontifex indulget ei, ut, nonobstante eventuali defectu natalium, quia pater eius presbyter existebat, habitum militiae Sancti Iacobi de Spata (*Compostella*) suscipere, professionem emittere et quascumque praeceptorias Militiae ei canonice conferendas recipere et assequi et ad vitam usque retinere possit.

Pius IV

Dilecto filio Didaco de Ybarra genero don Ludovici de Velasco pro Serenissimo Philippo Rege catholico in Nova Hispania proregi.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. Religionis zelus, vite ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos fide digna commendaris testimonio, nos inducunt ut te specialibus favoribus et gratiis prosequamur. Exponi siquidem nobis nuper fecisti quod charissimus in Christo filius noster Philippus, Hispaniarum Rex catholicus, qui etiam militie Sancti Iacobi de Spata, sub regula Sancti Augustini, perpetuus administrator ex indulto apostolico existit habitum per milites dicte militie gestari solitum tibi tradere et ad professionem per eosdem milites emitti solitam te recipere intendit verum licet tu ex patre avis et proavis paternis nobilibus genitus et procreatus existas quia tamen pro eo quod pater tuus presbiter existebat defectum natalium pateris dubitas propterea iuxta regularia statuta et diffinitiones, constitutiones necnon

stabilimenta militie huiusmodi apostolica auctoritate approbata et confirmata ac approbatas et confirmatas ad susceptionem habitus per milites dicte militie gestari soliti et professionis regularis per eosdem milites emitti solite emissionem inhabilem esse, ac ideo ab ea repelli. Quare idem Philippus Rex et perpetuus administrator et tu nobis humiliter supplicari fecistis ut tibi quod militie huiusmodi habitum suscipere et professionem regularem emittere, et postquam habitum susceperis et professionem emisseris quascunque preceptorias dicte militie tibi canonice conferendas recipere et assequi, et quoad vixeris retinere possis concedere et indulgere aliasque tibi ac statui tuo in premissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati tibi quod militie predicte habitum, ut prefertur suscipere et professionem regularem emittere et postquam habitum susceperis et professionem huiusmodi emisseris quascunque preceptorias militie predicte tibi canonice conferendas assequi et recipere ac quoad vixeris retinere libere et licite possis et valeas constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac militie et ordinis huiusmodi etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus ac stabilimentis, usibus et naturis, diffinitionibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis sub quibuscunque tenoribus et formis ac cum quibusvis etiam derrogatoriarum derrogatoriis aliisque efficatioribus et insolitis clausulis necnon irritantibus et aliis decretis etiam motu proprio et ex certa scientia ac de apostolice potestatis plenitudine seu consistorialiter ex quibusvis causis et quavis etiam imperiali vel regia consideratione aut alias quomodolibet concessis aut etiam iteratis vicibus approbatis et innovatis, ceterisque contrariis nequaquam obstantibus dicta auctoritate tenore presentium de speciali gratia concedimus et indulgemus, ac statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus, diffinitionibus, naturis, privilegiis, indultis et litteris apostolicis etiam si pro earum sufficienti derrogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quevis alia expressio habenda seu aliqua alia exquisita forma servanda esset tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et forma in illis tradita observata inserti forent presentibus pro sufficienter expressis habendis illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus ac sufficienter derrogatum esse decernimus. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc., die 3ª octobris 1562, anno 3°.

Specimina quaedam
Registrorum et Minutarum
diversos scribendi modos illustrantia



L. Podocatharus Alexander etc. Carissimo in Christo filio Fernando Regi et
Carissime in Christo filie Elisabeth Regine Castelle Legionis Ara-
gonum et Granate Illustribus. Salutem etc. Inter cetera divine
maiestati beneplacita opera et cordis nostri desiderabilia illud
profecto potissimum existit ut fides catholica et
christiana religio nostris presertim temporibus exaltetur
ac ubilibet amplietur et dilatetur animarumque salus
procuretur ac barbare nationes deprimantur
et ad fidem ipsam reducantur. Unde cum ad hanc
sacram Petri sedem divina favente clementia meritis
licet imparibus evocati fuerimus cognoscentes vos
tamquam veros catholicos reges et principes quales semper
fuisse novimus et a vobis preclara gesta toti pene iam
orbi notissima demonstrant nec dum id exoptare
sed omni conatu studio et diligentia nullis laboribus
nullis impensis nullisque parcendo periculis etiam proprium
sanguinem effundendo efficere ac omnem animum vestrum
omnesque conatus ad hoc iam dudum dedicasse quemadmo-
dum recuperatio regni Granate a tyrannide Sarracenorum
hodiernis temporibus per vos cum tanta divini nominis
gloria facta testatur digne ducimur non immerito
et debemus illa vobis etiam sponte et favorabiliter
concedere per que huiusmodi sanctum et laudabile
ac immortali Deo acceptum propositum in dies ferventiori
animo ad ipsius Dei honorem et imperii christiani propagationem

Inter cetera 3.V.1493. Reg. Vat. 775 fol. 42v (doc. 1).

122

L. Podocatharus

Alexander etc. Dilecto filio Bernardo
Boil fratri ordinis Minorum, vicario dicti
ordinis in Hispaniarum regnis salutem etc.
Piis fidelium presertim catholicorum regum
et principum votis que religionis pro-
pagationem divinique cultus augmentum
et fidei catholice exaltationem ac animarum
salutem respiciunt libenter annuimus eaque quan-
tum cum Deo possumus favoribus prosequimur
opportunis. Cum itaque sicut carissimus
in Christo filius noster Ferdinandus Rex et
carissima in Christo filia nostra Elisabet
Regina Castelle et Legionis Ara-
gonum et Granate illustres nuper
nobis nuper exponi fecerunt ipsi fervore
devotionis accensi desiderantes quod
fides catholica in terris et insulis
per eos de novo inventis versus partes occiden-
tales et maris [illegible] Occeani
repertis ac in aliis incognitis et aliis
imposterum reperiendis floreat et exal-
tetur, decreverunt ut ad partes illas de-
stinari ut mitti per te et alios presbyteros se-
culares vel religiosos ad id idoneos
et per te deputandos verbum Dei predicare
et seminare ac incolas et habita-
tores insularum et terrarum predictarum

Piis fidelium 25.VI.1493. Reg. Vat. 777 fol. 122r (doc. 4).

Ct · L. Puccius

A Julius etc. Dilecto filio Petro Electo Hyaguaten. Sal. etc.
Cum nos nuper de persona tua nobis et fratribus nostris ob tuorum
exigentiam meritorum accepta ecclesie Hyaguaten. tunc ab omni
primeva erectione carenti de eorundem fratrum consilio
duxerimus auctoritate apostolica providendum preficiendo te illi in
Archiepiscopum et pastorem curam et administrationem ipsius eccl.
tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo prout in nostris
inde confectis litteris plenius continetur ac postmodum pallium
insigne videlicet plenitudinis Pontificalis officii ex parte tua
suppliciter a nobis per dilectum filium Andream Gentile clericum
Januen. nuntium tuum cum ea qua decuit instantia postu-
latum Nos tuis supplicationibus inclinati Pallium ipsum de corpore
A beati petri sumptum per venerabiles fratres nostros Toletan. et Hispalen.
Archiepiscopos assignandum tibi per eundem Andream duximus
destinandum ut ipsi vel eorum alter illud tibi assignet
iuxta formam quam eis sub bulla nostra mittimus interclusam
et ab eo nostro et ecclesie Romane nomine sub forma quam sub
eadem bulla dirigimus fidelitatis debite solitum recipiat
iuramentum. Tu autem illo intra ecclesiam tuam
illis diebus duntaxat utaris qui expressi in ipsius ecclesie
Hyaguaten. privilegiis continentur ut igitur signum non discrepet
a signato sed quod geris exterius interius servetur in mente
fraternitatem tuam monemus et hortamur attente per apostolica
tibi scripta mandantes quatenus humilitatem et iustitiam dante
domino que dat preciosa et munera largitur observare
studeas que sunt servant et promovent servatorem
et Hyaguaten. ecclesiam sponsam tuam curas solerter nutrire



~~210~~
209

Cum nos nuper 14.XI. 1505. Reg. Lat. 1169 fol. 209r (doc. 9a).

Fri francisco angelorum ordinis s^ti francisci Ministro Generali.

~~N° 312~~ 30a

Dilecte fili etc. Religiosam et sanctam mentem tuam, quam ~~summa~~ cum doctrina et prudentia coniunctam erga dei honorem et cultum egregiam ~~cum antea amplissimi testimonii~~ tum nuper etiam in sermonibus et colloquiis que una ~~tecum~~ habuimus, esse ~~[illegible]~~ animadvertimus dignam omni ex parte iudicamus, ut eam nos omni paterno amore et officio prosequamur. Cum autem tu qui ordinis s^ti francisci fratrum generalis minister pro tuis ipsius virtutibus et religione merito existis, ad christianam fidem apud novarum terrarum, et locorum proxime a car^mo in christo filio nostro Carolo electo imperatore, Hispaniarum etc. Regi catholico inventorum gentes predicandam et amplificandam, non modo ex fratribus et religionis tuis, mittere, sicut iam fecisti, sed tu met ipse accedere, sanctosque dei apostolos in eo imitatus, evangelicamque veritatem in animos illorum pro tuis viribus ~~et horum viribus~~ infundere, finesque christianitatis et sacratissimo crucis signo illuc usque extendere, et augere cupias, teque ad id iam accingas, et propediem iter capturus sis. Nos ~~tam laudabilem~~ tuam ad tam salutiferum opus voluntatem et studium, plurima ~~[illegible]~~ cum laude in domino commendantes, teque ut in ea ~~per~~ constanter perseveres omni cum spe et fiducia ~~ad~~ ut id ~~[illegible]~~ per te ipsum plane sis facturus adhortantes, deumque ~~[illegible]~~ omnipotentem, qui ad sancta huiusmodi opera animum tuum impellit, ut suo celesti lumine ad veritatem ipsam ignaris illis hominibus clarius demonstrandam adiuvet deprecantes, Benedictionem nostram apostolicam ~~tibi [illegible] damus~~ largimur in nomine patris et filii et spiritus sancti. ~~[illegible]~~ Tibi damus ac donamus [illegible] salvatoris nostri christi iesu imitationem atque exemplo ac apostolice predicationis officium quo tibi premium eterne vite illis gentibus et populis [illegible] salus acquiratur [illegible] domini nostri iesu christi nomine [illegible]

Datum Rome die vij Iunij . M . D . xxvj anno Tertio

(margin:) tecum ea pro nobis benedictionem dimittimus.

Religiosam et sanctam 7.VI. 1526. Arm. XL 11 fol. 295r (doc. 34).

Meritis tuae devotionis 8.II.1531. Arm. XL 32 fol. 117r (doc. 49).

Apostolatus officium 6.IX.1531. Reg. Lat. 1547 fol. 45v (doc. 53a).

1280

iteratis vicibus concessis, confirmatis et innovatis,
quibus omnibus, illorum omnium tenores ac si de verbo
ad verbum insererentur presentibus pro sufficienter ex-
pressis haberi, illis alias in suo robore permansuris, hac vice
duntaxat, quoad premissa, specialiter et expresse derogamus,
ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Rome etc. die xix
Octobris 1532. Anno IX°.
Blosius.

918 / Charissimo in Christo filio nostro Carolo
Romanorum Imperatori semper Augusto.

Dilectissime in Christo fili noster salutem etc. Exponi nobis
nuper fecisti quod cum plures insulas terre
nove in quibus ... cui Salvatoris Domini
nostri Jesu Christi nomen, et Christiana fides incognita
erant, ... tue imperiali ditioni subie-
cisti, pro salute animarum inibi habitantium consulere cupi-
ens, ipsos fidem nostram ... Insulas aliquos
Religiosorum approbatorum professores, qui inibi verbum
Dei predicarent, et publicarent, ipsosque incolas in viam
mandatorum Domini dirigere, et instruere desiderari
desideras

Exponi nobis 19.X.1532. Arm. XXXIX 52B fol. 918v (doc. 57).

Apostolatus officium 9.I.1534. Reg. Lat. 1600 fol. 14v (doc. 59a).



47 p. lambert



47

Illius fulciti praesidio 18.XII.1534. Reg. Lat. 1642 fol. 47r (doc. 68).

n° 440 Dilecto filio Alphonso dela cruz, electo nicaraguen. Indiarum maris occeani

Julius etc.

J. Card. puteus

Cum nos nuper 28.VI.1552. Arm. XLI 64 fol. 416r (doc. 171).

616

615

Piis fidelium 11.XII.1566. Reg. Vat. 2017 fol. 615r (doc. 203).

Dilecto filio nobili puero Philippo Ingas et dilectae in Christo filiae nobili puellae
Beatrici et Ingas, diocesis de Cuzco.

Dilecti filii salutem etc. Oblatae nobis nuper pro parte vestra petitionis series continebat, quod
olim homines in Indiis maris oceani de Perù gentili aut alio non tamen christiano more
viventes, et praecipue illorum Reges, quos Ingas vocant, inter se fratres et sorores germani invi-
cem matrimoniali copulari consueverunt, et propterea vos, qui duplici seu quadruplici secundo
et tertio ac aliis et forsan duplicatis et triplicatis consanguinitatis et etiam forsan affinitatis
gradibus, non tamen primo gradu, invicem estis coniuncti seu attinentes, debellatis ipsis Indis
et sub ditionem carissimi in Christo filii nostri Hispaniarum Regis Catholici pro maiori parte redactis
illorumque incolis ad sanctam fidem catholicam in maximum numerum Deo cooperante con-
versis, pater et mater tui in Christo filia Beatrix infidelitate demum deposita sacrosanctam
Domini nostri Jesu Christi religionem amplexi fuerunt, pater vero et mater tui fili Philippe in eadem
infidelitate persistentes, ac dicti Regis catholici ditionis rebelles hactenus fuerunt, magna
infidelium illarum partium eorum infidelitatem sectantium comitante caterva, in quadam
Provincia de Perù nuncupata christianos assidue maximis damnis et inquietationibus
afficerunt, tandem ut bellis et incommodis huiusmodi per alicuius affinitatis inter vos con-
trahendae nexum finis aliquando imponi posset, inter christianos ex una et tui fili Phi-
lippe patrem et matrem aliosque infideles eorum partes sequentes ex alia partibus conventum
fuit, quod vos, qui in nono vel circa vestrae aetatis anno constituti estis, matrimonium inter
vos contraheretis, quo facto tui fili Philippe pater et mater, omnesque eorum partes huiusmodi sequentes,
qui ducenta millia hominum et forsan ultra existunt, sacrum baptismatis lavacrum
susciperent, catholicamque fidem omnino profiterentur, et inter cetera et pro maiori prae-
missorum observatione concordatum extitit, quod tu fili Philippe in manibus ipsorum christianorum ad
effectum ut te baptizari faceres, et sanctam fidem catholicam edoceris, consignari deberes,
prout postmodum baptizatus fuisti. Cum autem hoc ad maximum Dei laudem, populi praefati
animarum salutem, et christianae religionis augmentum, pacemque et tranquillitatem dictae
Provinciae maiorem in modum tendere dignoscatur, propterea nobis humiliter supplicari fecistis.

[Margin:] … de Perù — matrimonialiter copulari desideratis cum

Oblatae nobis nuper 26.IX.1568. Sec. Brev. 25 fol. 60r (doc. 227).

381

261

In *supereminenti* 11.IX.1570. Reg. Vat. 2012 fol. 261r (doc. 254).

254

Sacrosanctae Romanae Ecclesiae 12.X.1570. Reg. Vat. 2012 fol. 254r (doc. 255).

TIPOGRAFIA EDITRICE M. PISANI S.A.S. - ISOLA DEL LIRI (FR) - ROMA